BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IX
D
18
NAPOLI

A

IX . D . 18

A

R. P.

HIERONIMI FLORAVANTII

ROMANI E SOCIETATE IESV THEOLOGI.

DE BEATISSIMA TRINITATE.

Libri Tres.

PRIMVS EST CONTRA HAERETICOS.
SECVNDVS INTER SCHOLASTICOS.
TERTIVS CONTRA GENTILES.

Nunc Tertium in lucem Editi, & ab Authore recogniti, aucti, atqueà pluribus mendis, quæ in alijs Editionibus inter impri mendum irrepſerant expurgati.

Omnia Eccleſiæ iudicio ſubmitto.

MACERATAE
Ex Officina Petri Saluionis. Anno M. DC. XVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ORATIO AVTHORIS AD DEVM.

TIBI ò Beatiſſima TRINITAS quæ omnia ex nihilo condidiſti, & docuiſti me à iuuentute mea, & vſq; in ſenectam, & ſenium non derelinques me, hos meos tenuiſſimos labores offero pro te ſuſceptos, & loquentes de te. Studium quidem ſeruiendi tibi, & ſponſæ tuæ, vt optime noſti, maximum in me fuit. Cæterum cum nullius vires, nullius ingenium tam magno Myſterio par eſſe poſſit, multum eſt voluiſſe. Accipe igitur hæc tria æra minuta, quæ mea paupertas in Eccleſiæ coniicit Gazophylacium. Me beatum ſi eadem benignitate dignaberis munus hoc meum, qua olim munera illius pauperulæ reſpexiſti, vt idem ſit laborum meorum præmium, quod argumentum.

Pſalm. 70.

Exod. 15.

Regna in æternum & vltra.

APPROBATIO R. P. FERDINANDI ALBERI, SOCIETATIS IESV VICARII GENERALIS.

CVM tres libros de Sanctiſſima Trinitate P. Hieronimi Florauantij, Societatis noſtræ Theologi, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 18. Iulij 1615.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

ACcepi à Sacerdote quodam Societatis Ieſu familiari meo, quid de his libris ſenſerit R. P. Franciſcus Suarez Theologus noſtri temporis Illuſtriſſimus. Cuius iudicium hic placuit adſcribere, vt ſit elogij loco, quod te ad legendum impellat. vale.

Ad-

Admodum R. Patri

FRANCISCO SVAREZ

Pax Chriſti.

MITTO ad te mi Pater, quo præceptore glorior, Opuſculum quoddam meum de Beatiſſima Trinitate, vt tu & præſtantia doctrinæ, & authoritate magiſtri, quæ sūt inutilia, deleas, & quæ deſiderantur, adiicias. Times fortaſſe falcem mittere in alienam ſegetem? mittis in tuam: quod enim docente te didici, tibi debetur tanquā tuum. Mihi præterea à te carior multo erit cenſura, quā laus: recipiam enim ſemper cum incremento cenſuram; laudibus verò non minuetur debitum erga te meum, ſed augebitur. Vale mi Pater, & in tuis precibus, & Sāctis Sacrificiis memor eſto mei. Ex Collegio Maronitarum X. Iulij 1604.

R. V. *Minimus in Chriſto Seruus*
Hieronimus Florauantius.

Admodum R. Patri

HIERONIMO FLORAVANTIO COLLEGII MARONITARVM RECTORI.

Pax Chriſti.

LEgi libros R. V. de Sanctiſſima Trinitate: & vt dicam, ſine adulatione, quod ſentio, numquam legi de hac materia Tractatum magis abſolutum, tam propter eruditionē, quam propter ſoliditatem ſcholaſticam, cum clara breuitate coniunctam. V. R. dicit ſe gloriari de me præceptore, & ego de R. V. meo aliquando diſcipulo: nam *Gloria patris eſt filius ſapiens.* Obnixè commendo me precibus, & Sacrificiis R. V. Ex Domo profeſſa, 8. Septembris 1604.

R. V.

Seruus in Domino.
Franciſcus Suarez.

INDEX
LIBRI PRIMI:

Qui eſt contra Hæreticos.

CAP. I. Paucis propoſitionibus ex ſacris literis proponitur ſumma totius Myſterij à Pag. 1. ad 6.
Deindè teſtimonio Luciani hoſtis Religionis affertur Apoſtolorum Doctrina de Trinitate Pag. 6.
Agitur de Symbolo S. Athanaſij, quod fuſius explicat, quæ paucis dixerat Lucianus. pag. 7.

Cap. II. *Agitur contra* Sabellium *, & eos qui diuinas Perſonas non diſtinguebant realiter pag. 8. & 9. Aſſeritur*
Errorem non diſtinguentium perſonas ortum habuiſſe ex eo quod pro eodem ſumerent ſubſtantiam, & ſubſiſtentiam, Vſiam, & Hypoſtaſim, cum tamen multum inter ſe differant. De Voce Vſia à pag 9. ad 12. De voce Hypoſtaſis à pag. 10. ad 18. De vocibus ſubſtantiæ, & ſubſiſtentiæ apud Latinos. pag. 18. Argumenta Sabellij, & aliorum, qui Perſonas non diſtinguebant, cum ſuis ſolutionibus à pag. 19 ad 22. Viſio B. Annonis in qua docetur tres Perſonas diſtingui realiter ſicut tres digiti in eadem manu pag. 23.

Cap. III. *Agitur contra Arium, & eos, qui admiſſa reali diſtinctione Perſonarum, impugnabant Diuinitatem Filij. Quis fuerit Arius Diuinitatis Filij hoſtis acerrimus, & quæ illi remedia adhibita, vt reſipiſceret, à pag. 24. ad 26.*
Cogitur Concilium Nicænum, in quo inter Catholicos, & Hæreticos duplex fuit concertatio. Prima Verbalis de voce ὁμοούσιος, & ἑτερούσιος. *Nimirum an dici deberet Filius eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, an alterius. Admiſſa eſt prima, exploſa ſecunda à pag. 26. ad 31. 2. Concertatio, fuit realis de Filij Diuinitate.*
Primo ergo aſſeruit Arius Filium non eſſe coæternum Patri, quæ propoſitio validis argumentis oppugnatur à Patribus. Afferuntur Arij Argumenta, & ſoluuntur à pag. 31. ad 42.
Secundo Aſſeruit Arius Filiũ non eſſe verũ Deũ, *ſed Creaturam. Oppugnatur hæc ſecunda propoſitio Arij. Afferuntur illius argumenta,*

IX. D. 18

A

R. P.
HIERONIMI FLORAVANTII
ROMANI E SOCIETATE IESV THEOLOGI.
DE BEATISSIMA TRINITATE.
Libri Tres.

PRIMVS EST CONTRA HAERETICOS.
SECVNDVS INTER SCHOLASTICOS.
TERTIVS CONTRA GENTILES.

Nunc Tertium in lucem Editi, & ab Authore recogniti, aucti, atqueà pluribus mendis, quæ in aliјs Editionibus inter impri mendum irrepſerant expurgati.

Omnia Eccleſiæ iudicio ſubmitto.

MACERATAE
Ex Officina Petri Saluionis. Anno M. DC. XVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ORATIO AVTHORIS AD DEVM.

TIBI ò Beatiſſima TRINITAS quæ omnia ex nihilo condidiſti, & docuiſti me à iuuentute mea, & vſq; in ſenectam, & ſenium non derelinques me, hos meos tenuiſſimos labores offero pro te ſuſceptos, & loquentes de te. Studium quidem ſeruiendi tibi, & ſponſæ tuæ, vt optime noſti, maximum in me fuit. Cæterum cum nullius vires, nullius ingenium tam magno Myſterio par eſſe poſſit, multum eſt voluiſſe. Accipe igitur hæc tria æra minuta, quæ mea paupertas in Eccleſiæ coniicit Gazophylacium. Me beatum ſi eadem benignitate dignaberis munus hoc meum, qua olim munera illius paupérulæ reſpexiſti, vt idem ſit laborum meorum præmium, quod argumentum.

Pſalm. 70.

Exod. 15.

Regna in æternum & vltra.

APPROBATIO R. P. FERDINANDI ALBERI, SOCIETATIS IESV VICARII GENERALIS.

CVM tres libros de Sanctiſſima Trinitate P. Hieronimi Florauantij, Societatis noſtræ Theologi, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 18. Iulij 1615.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

ACcepi à Sacerdote quodam Societatis Ieſu familiari meo, quid de his libris ſenſerit R. P. Franciſcus Suarez Theologus noſtri temporis Illuſtriſſimus. Cuius iudicium hic placuit adſcribere, vt ſit elogij loco, quod te ad legendum impellat. vale.

Ad-

Admodum R. Patri

FRANCISCO SVAREZ

Pax Chriſti.

MITTO ad te mi Pater, quo præceptore glorior, Opuſculum quoddam meum de Beatiſſima Trinitate, vt tu & præſtantia doctrinæ, & authoritate magiſtri, quæ sũt inutilia, deleas, & quæ deſiderantur, adiicias. Times fortaſſe falcem mittere in alienam ſegetem? mittis in tuam: quod enim docente te didici, tibi debetur tanquã tuum. Mihi præterea à te carior multo erit cenſura, quã laus: recipiam enim ſemper cum incremento cenſuram; laudibus verò non minuetur debitum erga te meum, ſed augebitur. Vale mi Pater, & in tuis precibus, & Sãctis Sacrificiis memor eſto mei. Ex Collegio Maronitarum X. Iulij 1604.

R. V.

Minimus in Chriſto Seruus
Hieronimus Florauantius.

Admodum R. Patri

HIERONIMO FLORAVANTIO

COLLEGII MARONITARVM RECTORI.

Pax Chriſti.

LEgi libros R. V. de Sanctiſſima Trinitate: & vt dicam, ſine adulatione, quod ſentio, numquam legi de hac materia Tractatum magis abſolutum, tam propter eruditionẽ, quam propter ſoliditatem ſcholaſticam, cum clara breuitate coniunctam. V. R. dicit ſe gloriari de me præceptore, & ego de R. V. meo aliquando diſcipulo: nam *Gloria patris eſt filius ſapiens.* Obnixè commendo me precibus, & Sacrificiis R.V. Ex Domo profeſſa, 8. Septembris 1604.

R. V.

Seruus in Domino.
Franciſcus Suarez.

INDEX
LIBRI PRIMI:

Qui eſt contra Hæreticos.

CAP. I. Paucis propoſitionibus ex ſacris literis proponitur ſumma totius Myſterij à Pag. 1. ad 6.
Deindè teſtimonio Luciani hoſtis Religionis affertur Apoſtolorum Doctrina de Trinitate Pag. 6.
Agitur de Symbolo S. Athanaſij, quod fuſius explicat, quæ paucis dixerat Lucianus. pag. 7.

Cap. II. *Agitur contra* Sabellium, *& eos qui diuinas Perſonas non diſtinguebant realiter pag. 8. & 9. Aſſeritur Errorem non diſtinguentium perſonas ortum habuiſſe ex eo quod pro eodem ſumerent ſubſtantiam, & ſubſiſtentiam, Vſiam, & Hypoſtaſim, cum tamen multum inter ſe differant.* De *Voce Vſia à pag 9. ad 12. De voce Hypoſtaſis à pag. 10. ad 18. De vocibus ſubſtantiæ, & ſubſiſtentiæ apud Latinos. pag. 18. Argumenta* Sabellij, *& aliorum, qui Perſonas non diſtinguebant, cum ſuis ſolutionibus à pag. 19 ad 22. Viſio B. Annonis in qua docetur tres Perſonas diſtingui realiter ſicut tres digiti in eadem manu pag. 23.*

Cap. III. *Agitur contra Arium, & eos, qui admiſſa reali diſtinctione Perſonarum, impugnabant Diuinitatem Filij. Quis fuerit Arius Diuinitatis Filij hoſtis acerrimus, & quæ illi remedia adhibita, vt reſipiſceret, à pag. 24. ad 26.*
Cogitur Concilium Nicænum, in quo inter Catholicos, & Hæreticos duplex fuit concertatio. Prima Verbalis de voce ὁμοούσιοσ, *&* ἑτεροούσιοσ. *Nimirum an dici deberet Filius eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, an alterius. Admiſſa eſt prima, exploſa ſecunda à pag. 26. ad 31. 2. Concertatio, fuit realis de Filij Diuinitate.*
Primo ergo aſſeruit Arius Filium non eſſe coæternum Patri, quæ propoſitio validis argumentis oppugnatur à Patribus. Afferuntur Arij Argumenta, & ſoluuntur à pag. 31. ad 42.
Secundo *Aſſeruit Arius Filiũ non eſſe verũ* Deũ, *ſed Creaturam. Oppugnatur hæc ſecunda propoſitio Arij. Afferuntur illius argumenta,*

✠ 5 & ſo-

& ſoluuntur à pag. 42. ad 60.

Tertio Aſſeruit Arius Chriſtũ Dominũ non eſſe naturalem Dei Filiũ, ſed adoptiuum. Oppugnatur hæc tertia propoſitio Arij, Afferuntur illius Argumenta, & ſoluuntur à Pag. 60. ad 69. Arius conuictus à Patribus venit ad Concilium Nicænum, & fatetur Filium eſſe conſubſtantialem Patri, & ſubſcribit Omouſio. Sed ſoluto Concilio redijt Arius ad Vomitum. pag. 69. & 70.

Cap. IIII Agitur contra Macedonium, & alios qui oppugnabant Diuinitatem Spiritus Sancti pag. 70. & 71. Macedonium primus impugnat Serapion Thumis Epiſcopus, & Athanaſium concitat in Macedonium pag. 79. Probatur Spiritus Sancti Diuinitas, & contraria Argumenta ſoluuntur à pag. 72. ad 79. B. Antonius, Athanaſium, & Serapionem legatarios inſtituit paupertatis ſuæ, Quod ille Diuinitatem Filij, iſte Spiritus Sancti egregiè defenderit. pag. 79.

Cap. V. Agitur contra Græcos ſchiſmaticos qui Spiritum Sanctum negant procedere etiam à Filio. Potiſſimæ cauſæ cur Græci ità ſenſerint duæ ſunt. Prima eſt, quod ex Græcis Patribus pauci apertè dixerunt Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio. Secunda quod Latini inſcijs Græcis addiderunt Symbolo particulam illam Filioque, ſed neutra cauſa excuſat ſchimaſticos, à pag. 80. vſque ad 83. Quatuor Argumenta quibus ex ſcripturis oſtenditur proceſſio Spiritus Sancti etiam à Filio, quæ attulit Chryſolanus Paſchalis ſecundi legatus coram Alexio Imperatore. Argumenta quæ pro ſuo errore afferunt ſchiſmatici, proferuntur, & ſoluuntur à pag. 83. ad 88. Nicolaus Papa V. prædicit Græcis, ipſos Imperium amiſſuros poſt triennium, ſi in errore perſiſtant, & vt prædixerat contigit. Idem multo prius prædixerat illis B. Brigida. pag. 89.

Cap. VI. Oſtenditur Catholicam ſententiam veram eſſe, & Arianorum falſam. Primo ex varijs viſionibus pag. 90. Secundo ex miraculis à pag. 90 ad 92. Tertio ex pœnis diuinitus illatis, vel repulſis à pag. 92. ad 94. Idem denique oſtenditur ex Teſſera Catholicorum, Ideſt ex formatis literis, pag. 94.

I N D E X
LIBRI SECVNDI.
Qui eſt inter Scholaſticos.

De Potentia Productiua Perſonarum.

*ſito quod habuimus ex fide, vt oſtendimus Libro primo, duas Per-
ſonas Trinitatis verè produci. Secundam à Prima, Tertiam à Prima,
r Secunda.*

De Potentia productiua.

*nditur in Deo eſſe verè potentiam productiuam reſpectu Perſonarũ,
uæ producuntur, & hanc potentiam eſſe realem, tàm reſpectu Perſo-
arum procedentium quam reſpectu actionum quibus producuntur.
Deniq; potentiam hanc intrinſece includere eſſentiam, & relationem
nagis tamen principaliter eſſentiam, vt loquitur S. Thom. q. 41. ar. 5.
ib. 2. à pag. 3 ad 10. In Annotationibus deindè ſoluuntur difficul-
ates contra allatas propoſitiones. Præterea oſtenditur ad quam cau-
ſam reduci poſſit eſſentia Diuina cum dicitur Filium, & Spiritum San-
ctum produci de Patris eſſentia. à pag. 77. ad 82.*

De Actionibus Notionalibus.

*OSt potentiam productiuam in diuinis agitur de actionibus notiona-
libus, quæ ſunt ab hac potentia, & quibus producuntur Perſonæ.
Oſtenditur ergo has actiones notionales verè eſſe ab intellectu, & vo-
luntate tamquam à principio proximo. Deindè non differre ab actio-
nibus eſſentialibus intelligendi, & volendi, quod ſint actus diuerſi,
ſed quod aliquid aliud includant, quod non includunt actiones eſſentia-
les. Præterea has actiones notionales differre inter ſe ratione, quod
ſint à diuerſis principijs, & ad diuerſos terminos differre realiter ſi
paſſiue ſumantur. Tertio Differre quodammodo ſpecie, vt loquitur S.
Thom. q. 10. de potentia. a 2. Quia productio Verbi eſt proprie ge-
neratio, productio verò Spiritus Sancti non eſt lib. 2. à pag. 10 ad 20.
Denique ſi propriè loquamur actiones notionales, non liberas, aut ne-
ceſſarias dici debere, ſed naturales à pag. 10. ad 20.
n Annotationibus deindè ſoluuntur difficultates contra allatas propoſi-
tionesà pag. 77. ad 93.*

De Relationibus Diuinis.

POſt Actiones notionales agitur de relationibus diuinis, quæ ſunt formalis terminus actionum notionalium, vt productiones ſunt. Oſtenditur ergo eſſe in Deo relationes reales, & has eſſe tantum quatuor, differre ab eſſentia ſolum ratione, ipſas quidem non eſſe de eſſentia Deitatis, ſed Deitatem de eſſentia ipſarum. Denique relationes dicere perfectionem, & eſſe infinitas non ſimpliciter, ſed in ſuo genere à pag. 21. ad 27.

In Annotationibus deinde ſoluuntur difficultates contra allatas propoſitiones à pag 93. ad 111.

De Perſonis in Vniuerſum.

POſt relationes agitur de Perſonis, quæ ſunt totalis terminus diuinarum productionum, & oſtenditur Perſonam eſſe incommunicabilem ſubſiſtentiam. Has autem ſubſiſtentias incommunicabiles eſſe tres tantum in Deo. Præter has autem dari etiam ſubſiſtentiam communicabilem, & eſſentialem ratione tantum diſtinctam ab illis tribus. Agitur præterea quomodo Diuinæ Perſonæ conſtituantur per intellectum ex eſſentia, & relatione. Et quomodò realiter inter ſe diſtinguantur per relationes à pag. 27. ad 37.

In Annotationibus deinde ſoluuntur difficultates contra alletas propoſitiones à pag. 111. ad 129.

De Perſonis In particulari.

AGitur Primo de Notionibus, quibus Perſonæ dignoſcuntur, & de prima Perſona oſtenditur rectè vocari Principium reſpectu Filij, & Spiritus Sancti, reſpectu ſecundæ Patrem, & quia non generatur, vt Filius, neq; ſpiratur, vt Spiritus Sanctus, Ingenitum, & innaſcibilem à pag. 38. ad 40.

In Annotationibus deindè ſoluuntur difficultates contra allatas propoſitiones à pag. 124. ad 132.

De Secunda Perſona.

OStenditur dici Filium, Verbum, & Imaginem. Verbum in diuinis dici tantum perſonaliter, & produci per ſe ex cognitione diuinarum Perſonarum, & creaturarum poſſibilium. Ex cognitione autem

tem earum quas Deus cognoſcit ſcientia viſionis tantum concomitanter. Denique Filio proprie conuenire rationem imaginis non Spiritui Sancto; Sed eſſe imaginem tantum reſpectu Patris, non reſpectu aliarum rerum quæ dicuntur Verbo à pag. 43 ad 55.
In Annotationibus deinde ſoluuntur Argumenta contra allatas propoſitiones à pag. 132. ad 142.

De Tertia Perſona.

Oſtenditur Tertiam Perſonam rectè vocari Spiritum, ideſt Spiratum, quod nomen reſpicit Spiratorem; ſpirari autem Spiritum Sanctum non à ſolo Patre, ſed etiam à Filio à quo ſi non procederet non diſtingueretur realiter, licet autem Spiritus Sanctus requirat per ſe duo ſuppoſita Patris, & Filij à quibus procedat; Pater tamen, & Filius non ſunt duo, ſed vnicum tantum principium Spiritus Sancti. Oſtenditur præterea Spiritum Sanctum recte vocari Amorem, & Donum, & Propoſitionem hanc, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto admitti debere à pag. 55. ad 62.
In Annotationibus deinde ſoluuntur Argumenta contra allatas propoſitiones à pag. 142. ad 154.

De his quæ conſequuntur Perſonas.

Oſtenditur tria noſtro modo intelligendi conſequi Perſonas iam conſtitutas. Primum eſt Immanentia vnius Perſonæ in alia, quam dicimus eſſe non ſolum ratione eſſentiæ, ſed etiam ratione perſonalitatis, ſic enim totus erit in Verbo Pater. Secundum eſt æqualitas, & ſimilitudo, quas relationes dicimus eſſe rationis, non reales, neque vnã Perſonam eſſe priorem altera, niſi prioritate tantum originis. Tertium eſt Miſſio vnius Perſonæ ab alia, vbi docemus ad miſſionem duo requiri Primo, vt Perſona quæ dicitur mitti procedat ab ea à qua mittitur per proceſſionem æternam à Perſona producente. Secundo, vt producatur aliquis temporalis effectus, ratione cuius Perſona dicatur ad hunc potius mitti, quam ad illum. Agitur præterea de miſſione Inuiſibili & Viſibili à pag. 65. ad 68.
In Annotationibus deinde ſoluuntur argumenta contra allatas propoſitiones à pag. 151. ad 166. De modis loquendi in hoc Myſterio à pag. 69. ad 76.

INDEX
LIBRI TERTII.
Qui eſt contra Ethnicos.

Cap. I. In priore capitis parte oſtenditur Philoſophos habuiſſe cognitionem aliquam Trinitatis mutuatam ab Oraculis, à libris Sybillarum, à conſuetudine cum AEgiptijs, denique ex lectione Sacrarum Scripturarum, ſed hanc ipſorum cognitionem multis fuiſſe erroribus admiſtam; nam in tribus Perſonis diuinis tres aſſerebant eſſe naturas, ſicut ſunt in tribus hominibus. Præterea non omnes faciebant, æquales, ſed ſecundam aiebant eſſe minorem Prima, & Tertiam Prima, & Secunda. Quare ab ipſis acceperunt Ariani Hæreſim ſuam. In altera deinde capitis parte oſtenditur nulla ratione Myſterium hoc cognoſci poſſe naturaliter, ſed opus fuiſſe reuelatione diuina à pag. 169. ad 190.

Cap. II. Oſtenditur Myſterium hoc licet naturali ratione demonſtrari non poſſit, nihil tamen continere, quod repugnet, ſiue ſpectes productiones ipſas, ſiue naturam quæ his productionibus communicatur, ſiue modum quo communicatur, ſiue Perſonas quibus communicatur, merito dici poſſe ſupra, non tamen contra naturã à pag. 190. ad 194.

Cap. III. Aſſeritur Porphyrium, & Philoponum tres naturas in tribus Perſonis diuinis conſtituiſſe. Unde factum eſt, vt Ariani quod in eodem errore verſarentur. edicto Conſtantini, & Theodoſij, appellati ſint Porphyriani, pag. 195. Refertur cauſa cur à fide Porphyrius defecerit, ipſius calumniæ in Originem, & Ammonium, & qui Porphyrium oppugnauerint, pag. 196. Oſtenditur à nobis non eſſe probandum hoc Myſterium contra Gentiles Philoſophos, qui ſcripturas non admittunt, ſed ſoluendas eſſe rationes ipſorum, quibus conantur oſtendere hoc Myſterium eße impoſſibile. pag. 197. Cur Sancti Patres obſcurius interdum locuti ſint de vna numero natura Diuina in tribus Perſonis à pag. 198. ad 202. Jacob cum quietem caperet in Bethel, ſimilitudinem quandam accepiße huius Myſterij pag. 202. Afferũtur quinque rationes Philoſophorũ contra vnitatem naturæ diuinæ in tribus Perſonis, & ſoluuntur. à pag. 203. ad 209. Afferuntur aliæ quinque rationes ipſorum contra proceſſionem diuinarum Perſonarum, & ſoluuntur à pag. 209. ad 214 Denique producitur Porphyrius librum offerens Conſtantino, in quo erroris conuictus confutauerat ea quæ contra Chriſtianam Religionem aliquando ſcripſerat, & finis imponitur diſputationi. pag. 214

FINIS TABULAE.

ECCLESIAE CARMEN AD DEI PATRIS HOMOVSION PRO NOBIS INDVTVM CARNE.

O Qui ſuperis iura dynaſtis
Profers, & opes Patris, & artes
Seruas, tu gemini opiſex orbis,
Nouus es conditor, authorque tui?
Quid vomet Arius tua ſi videat
Numina noſtro condita cœno?
Quamque nigranti noxia promet.
Aconita tuis hydrus ab antro?
Non te tenebræ recipient Deum
Inopem, & lumine diſcinctum tuo
Poſitoq; trucem ſulmine dexteram
Temnent ſtygij membra Tyranni.
Ah cæcas mentes ſobolem Patris
Veram è ſolio ſublimis amor
Trahit ad cunas, luciſq; notas
Tegit æternæ corporis vmbra.
Idem qui regit, & quatit orbem
In cruce pendet, quiq; pererrat
Pedibus terras, immotus polo
Sedet & nutu ſydera torquet
Ergo cedant humana Deo
Et ſola fides animis imperet.

R. PATRIS HIERONIMI FLORAVANTII ROMANI E SOCIETATE IESV THEOLOGI.

DE BEATISSIMA TRINITATE

Liber Primus.

CONTRA HAERETICOS

CAPVT PRIMVM.

DIVIDEMVS hoc primum caput in duas partes. In priori paucis propoſitionibus proponemus, quid de myſterio Beatiſſimæ Trinitatis habeamus in ſacris literis. In poſteriori parte afferemus antiquiſſimum teſtimonium de ſumma huius myſterij, quam tradere conſueuerunt Apoſtoli.

Prima pars Capitis.

QVod attinet ad primam partem, ſex docent in vniuerſum ſcripturæ de Beatiſſima Trinitate.

I. Deum vnum tantummodo eſſe, *Deuter. Cap. 6.* Audi Iſrael Dominus Deus tuus vnus eſt, *Et 1. Corint. 8.* Nobis autē vnus eſt Deus. *Deus, vnus tantum eſt.*

 II. Do-

In Deo ſunt tres perſonæ diſtinctæ.

II. Docent, in Deo tres eſſe perſonas re diſtinctas inter ſe, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Et de Patre quidem nemo vnquam dubitauit, nec hæreticus quidem. eſſe perſonā; Nam perſona nihil aliud ſignificat, quam rem per ſe ſubſiſtentem, intelligentem, & agentem. Patri autem, vel maxime conuenit quod dicitur *Exod. 3* Ego ſum qui ſum, ſicut & alia quæ abſolute de Deo dicuntur, vt, Deum creaſſe cœlum, & terram, omnia in ſapientia feciſse: at quis cogitare poteſt, eum non ſubſiſtere per ſe, qui non modo condidit omnia, & condidit, vt Dauid loquitur, in intellectu, ſed ab exiſtendo nomen etiam ipſum accepit? Filium etiam naturalem, & vnigenitū huius Patris, de quo tam frequens fit mentio in Euangelio, præſertim Ioannis, perſonam eſse, dubitari non poteſt. Nam ſi eſt vere Filius illius Patris naturalis, & vnigenitus, & Pater eſt perſona, non poteſt Filius non eſse perſona. Valentinus tamen teſte Irenæo lib. 1. cap. 1. & Sabellius, vt Author eſt S. Athanaſius *in oratione contra Gregales Sabellij*. Filium diſtinguunt à Verbo; & Filium quidem aſserunt eſse perſonam; At Verbum negant perſonam eſse. Sed errant, inquit Athanaſius, & Irenæus; nam idem omnino eſt Filius, & Verbum: ſed dicitur *Filius*, quatenus accepit eſse à Patre per generationem, dicitur *Verbum*, quatenus producitur, & accipit eſse per intellectum.

Irenæus, & Athanaſ.

Probatur ergo, tam diuinum Verbum, quam Spiritum Sanctum eſse perſonas. De Verbo oſtendit id Athanaſ. *in oratione contra Gregales Sabellij*. quia in ſcripturis quædam illi tribuuntur, quæ conuenire non poſsunt niſi perſonæ. Nam *Ioan. cap. 1.* dicitur eſse Deus, & apud Deum, & condidiſse omnia, & veniſse tanquam Dominus in hunc mundum, & aſsumpſiſse carnem, & verſatus cum hominibus, & ſe recipientibus vitam æternam tribuiſse. At hæc conuenire non poſsunt niſi perſonæ, ergo diuinum illud Verbum eſt perſona. Idem eadem ratione probatur de Spiritu Sancto; nam *Ioan.* 14 dicitur docere alios; Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem, 1. *Corinth.* 12. dicitur operari: Hæc autem omnia operatur vnus, & idem Spiritus. *Ioan.* 16. dicitur futura nunciare; Quæ futura ſunt annunciabit vobis: *Ioan.* 14. dicitur arguere mundum de peccato, & ſimilia quæ omnia; vt per ſe patet, fieri non poſsunt, niſi à perſona; ergo Spiritus Sanctus eſt perſona.

Ioan. c. 1.

Ioan. c. 14.
1. Cor. 12.
Ioan. c. 16.

III. Do-

III. Docent ſcripturæ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum perſonas eſſe re diſtinctas inter ſe, non nomine tantum. Prima ratio eſt, quia aliquando in ſcripturis numerantur hæ tres perſonæ tanquam plane diſtinctæ. 1. *Ioan.* 5. Tres ſunt, (non vnum cum triplici nomine) qui teſtimoninm dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Eodem modo diſtincte numerantur. *Matth.* 28. & alibi. Secunda ratio S. Athanaſ. *contra Gregales Sabellij*, quia ſcriptura loquens de diuinis perſonis ita loquitur, ſicut loqui ſolet de pluribus perſonis humanis, quæ realiter diſtinguuntur. Probatur Antec. Nam vt omittam *Matth. vlt. & 1. Ioan.* 5. numerari has tres perſonas diſtinctis nominibus, vt numeratur Petrus, Paulus, & Franciſcus, *Ioan.* 14. Ego inquit Chriſtus Dominus, rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis. Quæ verba expendens Sanctus Athanaſius loco citato ſic habet: *Cum de ſe loquitur Filius, ego, inquit, cum de Patre, ille dicit, cum de Spiritu Sancto, alium ſubiungit, cur non ergo manifeſtæ defectionis, & Apoſtaſiæ crimen ſit, negare tria, & illum qui iſta locutus eſt, vnum ſolum eſſe dicere?* Hæc Athanaſius.

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ.

IV. Docent ſcripturæ, has tres perſonas eſſe verum Deum. Et diuinitatem quidem Patris nemo vocauit in dubium: quia ſi Pater non eſt Deus, erit neceſſario creatura, ergo creatus ab aliquo; à quo? cum ipſe non modo ſit author rerum omnium creatarum, ſed etiam primus inter diuinas perſonas, à quo Filius, & Spiritus Sanctus producuntur. Probo ergo ſecundam perſonam eſſe verum Deum. 1. *Ioan. cap*5. Vt ſimus in vero Filio eius, hic eſt verus Deus, & vita æterna, quod teſtimonium appellat Sanctus Athanaſius in diſput. cum Ario *ſcriptam demonſtrationem*, & ſubdit. Sicut *Ioan. cap.* 17. dixit. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum*: ita hic de Filio dicit: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. Reſpondebant Eunomiani ex Nazianzeno, *Orat. 3. de Theologia*, Filium eſſe quidem Deum, ſed æquiuoce. At ſi ita eſſet, non eſſet verus Deus, quia non haberet Dei naturam: ſicut homo pictus dici non poteſt verus homo, quia non habet naturam humanam. Quare recte S. Cyrillus lib. 12. Theſaur. c. 13. *Si Chriſtus, inquit, verus Deus eſt, ſubſtantialiter, non participatione, hoc ipſum eſt ſicut creatura; qui autem verus Deus eſt, natura Deus eſt*. Hæc ille.

Omnes tres perſonæ ſunt verus Deus. Patrem eſſe Deum nemo auſus eſt negare.

Euidens teſtimoniũ ex ſcripturis de Filij diuinitate. Prima ſolutio Eunomij, Confutatur.

Secunda ſolutio Eraſmi Confutatur.

Secundo reſpondet Eraſmus in annotatione ad illum locum, illud, *Hic eſt verus Deus*, non ad Filium, ſed ad Patrem referri. At primo, quis vnum Eraſmum fautorem Arianorum omnibus S. Patribus anteponat? nobiſcum enim ſentit, & exponit S. Athan. loco cit. Cyrillus lib. 12. Theſau. c. 13. Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. 6. Ambro. lib. 1. de fide cap. vlt. Hilarius lib. 6. de Trinit. poſt medium; Hieron. in cap. 63 Iſaiæ, Baſil. Nazianz. & alij plures. Secundo ex ipſomet Græco textu conſtat, pronomen illud, *Hic*, ad Filium referri debere, ſic enim legimus καί ἐσμεν ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ· οὗτός ἐστι &c. Et ſimus in Filio eius Ieſu Chriſto, hic eſt verus Deus, &c. Cum enim nomen *Ieſu Chriſto* proxime antecedat pronomen, *Hic*, per ſe conſtat, pronomen illud de Chriſto dici, & ad Chriſtum referri. Adde illud οὗτος poni pro ὅς, vt notat Oecumenius, *Hic*, pro, *qui*, Arabes etiam idem oſtendunt: ſic enim legunt. Et hic eſt verus Deus. Alij: Hic enim eſt verus Deus: quæ duæ particulæ, Et, & *Enim*, oſtẽdunt verba ſequentia iungi debere immediate præcedentibus. Denique hic duo coniunguntur attributa Dei, *Verus*, & *Vita æterna*. Igitur ad quem refertur *Vita æterna*, refertur etiam *Verus Deus*. At *Vita æterna* in ſacris literis ſolet eſſe propriũ attributum Chriſti. Ego ſum Via, Veritas, & Vita, *&* *Ioan. 6.* Qui credit in me, habet vitam æternam: Et in hoc eodem cap. 5. Epiſt. 1. Et hæc vita æterna in Filio eius eſt: Ergo etiam illud alterum attributum, *Verus*, refertur ad Chriſtum.

Euidens locus ex ſcripturis pro diuinitate Spiritus S.

Probo nunc tertiam perſonam, hoc eſt Spiritum Sanctum, eſſe etiam verum Deum, ex cap. Act 5. vbi loquens Petrus cum Anania, Cur, inquit, tentauit Satanas cor tuũ, mentiri te Spiritui Sancto? & explicans, quis ſit iſte Spiritus Sanctus, cui mentitus erat Ananias, ſubdit, Non es mẽtitus hominibus, ſed Deo; ergo Spiritus Sanctus eſt Deus. Hoc loco vtitur *S. Athan.* ad probandam Spiritus Sancti diuinitatem in lib. de communi eſſentia diuinitatis, & *Nazianz.* oratione quinta de Theologia.

Pater à nullo eſt, Filius eſt à Patre Spiritus Sanctus à Patre, & filio.

V. Docent ſcripturæ, hunc ordinem originis eſſe inter has diuinas perſonas, vt Pater à nullo ſit, Filius ſit à ſolo Patre, Spiritus Sanctus autem ſit à Patre ſimul, & Filio. Patrem à nullo alio eſſe nõ indiget probatione, quia eſt prima perſona, ergo ab alia non eſt, alioquin nõ eſſet prima. Filium eſſe à Patre probatur *Ioan. 7.* Ego à Patre proceſſi: *& ibidem:* Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum. Quare non eſt Filius Dei αὐτόθεος, id eſt Deus

à ſe,

à ſe, ſed à Patre: quod pluribus oſtendit *Genebrard.lib.* 1. *de Trinit.* Spiritum autem eſſe à Patre, habetur *Ioan.* 14. Spiritus veritatis, qui à Patre procedit; eſſe autem à Filio, habetur *Joan. cap.* 17. Vbi loquens Chriſtus de Spiritu Sancto dicit: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: quid accipiet Spiritus Sanctus à Filio niſi ſcientiam? dixerat enim, *Non à ſemetipſo loquetur, ſed quæcunque audiet loquetur:* & de ſcientia exponunt omnes fere Interpretes. *Auguſt. Cyril. Chryſoſt. &c.* At quomodo poteſt Spiritus Sanctus accipere à Filio ſciẽtiam, niſi ab illo accipiendo eſſentiam? Nam cum Spiritus Sanctus ſit Deus, idem in illo eſt ſcientia, & eſſentia: ab eo ergo accipit eſſentiam, à quo accipit ſcientiam. Nos autem in quibus ſcire eſt accidens, accipimus naturam à Parentibus, & ſcientiam à magiſtris. Cur autem dicat, *Accipiet*, in futuro, docet S. Auguſt. in hunc locũ, quia omnia tempora compræhendit æternitas, & quoniam hic loquitur de Spiritu Sancto mittendo ad Apoſtolos: & legati tunc ſolent inſtrui, quando mittuntur, ideo dicit: Quæcunque audiet: & De meo accipiet, in futuro, non in præterito, aut in præſenti tempore.

Ex his quinque infertur VI. Vnam tantum eſſe naturam numero in tribus illis perſonis diuinis, ac proinde omnino æquales inter ſe eſſe, neque dici debere plures Deos, ſed vnum tantum. Probatur, quia vt dixi in prima propoſitione, Deus eſt tantum vnus, ergo vna tantum natura diuina. Dices: in ſcripturis aſſeritur eſſe vnum tantum Deum, ſed forte ſpecie vnũ, non numero. Contra, nam *Exod.* 26. Dicit Dominus: Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus, præter me: vbi pronomina illa, *Ego*, &, *Me*, non patiuntur, vt *Deus*, accipiatur pro ſpecie, ſed pro natura indiuidua, hæc enim pronomina non ſolent tribui ſpeciei. Itaque qui dicit, ſolus homo eſt ratione prędiditus, verum dicit, ſed qui dicit, ſolus ego ſum ratione præditus falſum dicit, quia ſunt etiam alij homines, & omnes ratione præditi. Eodem modo ſi tres perſonæ eſsent vnus Deus, ſed ſpecie, quãdo ſcriptura dicit, ſolus Deus Iſrael eſt verus Deus, verum diceret: ſed ſi Pater, verbi gratia, diceret, *ſolus ego ſum Deus*, falſum tunc diceret; quia Filius, & Spiritus Sanctus haberent ſimilem naturam ſpecificam cum Patre. Cum ergo Pater dicat, ego ſolus ſum Deus, & mentiri non poſſit, euidens eſt, eſſe vnum numero Deum, non ſpecie, & naturam diuinam in tribus

Vna tantũ eſt natura diuina in tribus perſonis.

Exod. 26.

tribus illis perſonis, eſſe vnam numero, non ſpecie. Idem colligitur euidenti ratione. Nam in Deo ſunt tres perſonæ, vt diximus: ſi ergo eſſent in illis tres numero naturæ, omnino dici deberent tres Dij. Quod pugnat cum fide, quam profitemur, & cum ſcripturis. Probatur conſequentia: *Deus* eſt nomen ſubſtantiuum: ad multiplicandum autem nomen ſubſtātiuum, nihil amplius requiritur, quam vt multiplicentur ſuppoſita, & naturæ: at hic multiplicantur ſuppoſita, ſunt enim tria vt oſtendimus; Ergo ſi multiplicentur etiam naturæ numero, ſicut Paulus, Timotheus, & Syluanus, ſunt vere tres homines, quia ſunt tres perſonæ, & habent tres humanas naturas diſtinctas numero. Ita diuinæ perſonæ multiplicata natura, eſſent vere tres Dij. Si autem fateamur, vt fateri debemus, omnes tres diuinas perſonas eſſe vnum numero Deum, non poſſunt diuinæ perſonæ non eſſe æqulles inter ſe.

Secunda Pars Capitis.

QVod attinet ad ſecundam partem huius capitis, ſummam huius myſterij pauciſſimis verbis complexus eſt Lucianus Chriſtianæ fidei hoſtis acerrimus: qui dum Apoſtolos docentes deridet, quos audiuerat, Apoſtolorum nobis doctrinam de Trinitate non ſuſpectam tradit, qua maxime poſteritas indigebat. Igitur Atheus iſte in Philopatre Tryphonem quendam inducit, quem Pauli Apoſtoli fingit eſſe diſcipulum, à quo ad fidem eruditur Critia Chriſtianæ Religionis irriſor. Interroganti autem Critiæ, atque dicenti; quem tibi iurabo, reſpōdet Triphon, *Deum alte regnantem, magnum, æthereum, atque æternū, Filium Patris, Spiritum, ex Patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tres, hunc Deum exiſtima.* Hæc ille. Vbi Primo tres perſonas diſtincte nominat. Secundo dicit, has tres eſſe vnum, nimirum ratione vnius eſſentiæ. Tertio has tres perſonas non appellat *tres Deos*, ſed *Deum vnum*, in ſingulari, vt apparet tam ex principio ſententiæ, quam ex fine. Hæc autem tum ait ſe didiciſſe Triphon, *quando, inquit, me conuenit Galilæus ille recaluaſter, naſo aquilo, qui in tertium vſque cælum per aerem ingreſſus eſt: quæ optima, & pulcherrima ſunt, inde didicit, per aquas nos renouauit, in beatorum veſtigia inſiſtere fecit, & ex impiorū regionibus nos reduxit.* Sic Apoſtolum Paulum deſcribit. Hæc eadem tria capita, quæ

Lucianus in Philopatre.

Lu-

Lucianus paucis attigit, & vniuerſum quodammodo myſteriũ complectuntur, explicata nobis reliquit Sanctus Athanaſius in ſuo illo celeberrimo Symbolo, cui viro multum Roma debet, tam propter exemplum, quàm propter doctrinam: propter exemplum, quia vocatus ad Vrbem à Iulio I. Pontifice circa annum Domini 340. itineris comites ſecum duxit duos monachos notæ ſanctitatis, Iſidorum, & Ammonium; de Iſidoro ſcribit Palladius in Lauſiaca cap. 1. de Ammonio, Socrates li. 4. cap. 18. vbi hic, inquit, nihil ex Vrbis magnificis operibus videre voluit, præter templum Apoſtolorũ. Loco autem argenteæ ſuppellectilis ſecum tulit in Vrbem tantus Epiſcopus vitas Antonij Magni adhuc viuentis, & Pachomij à ſe ſcriptas, quibus ſcriptionibus quantum ardorem Spiritus in Romanorum animis excitauerit, & rerum terrenarum contemptũ, teſtatur S. Hieron. in Epiſt. 16. loquens de Marcella. Eidem Athanaſio Roma debet propter doctrinam: cum enim delatus eſſet ab Euſebianis apud Iulium Romanum Pontificem (ad quem totius Chriſtiani orbis cauſæ ad religionem ſpectantes perpetuò referri conſueuerunt) Romam venit, vt ipſe teſtatur in Apologia prima & ſecunda Cumque non prius audiretur reus, quã publicam ſuæ fidei profeſſionẽ edidiſſet, eamque Latino idiomate (vt moris erat) corã Pontifice: Athanaſius Romæ agens Symbolum illud ſuum Latino ſermone compoſitũ corã Iulio, & Aſſeſſoribus recitauit; quod in Archiuijs Eccleſiæ Romanę repoſitum, & aſſeruatum diu latuit; ſed multos poſt annos tãdem inuentum ob ſingularem doctrinam, quam continet, ſingulis Dominicis in Eccleſia Romana publice legitur. In eo autem ſic habet: Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in vnitate veneremur, non confundentes perſonas, nec ſubſtantiam ſeparantes: Proſequitur deinde, & explicat ſingula capita. Hoc autem Symbolum, vt Symbolum Athanaſij, citat. S. Auguſt. in Pſalm. 120. eiuſque ſententijs paſſim vtitur in Enchiridio cap. 36. lib. 5. de Trinitate, cap. 8. in Epiſtola 174. ad Paſcentium, & ſermone 145. de tempore. Gregorius etiam Nazianzenus in oratione de laudibus Athanaſij teſtatur, eum perfectiſſimam fidei Confeſſionẽ compoſuiſſe, quam totus inquit Oriens, & Occidens veneratur. Dionyſius etiam Areopagita, vt finem capiti imponam, Germanus Pauli diſcipulus, cap. 2. diuinorum nominum, duobus

Iſidorus, & Ammonius comites Athanaſii ad Iulium primum.

De Symbolo Athan.

Dyoniſius Areopag.

duobus verbis huius nobis myſterij ſummam tradidit: Eſt, inquit, Trinitas beatiſſima ἡ τριαδικὴ ἑνὰς, id eſt ad verbum, *terna vnitas*, & ibidem, eſt ἑνὰς τρισυπόστατος id eſt, *vnitas ter ſubſiſtens.*

CAPVT II.

CAtholicam veritatem in priore capite explicatã, quatuor genera hoſtium impugnant: quidam enim negant diſtinctionem perſonarum, vt Sabelliani, quidam perſonarũ diuinitatem, vt Ariani, quidam proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, vt ſchiſmatici, quidam denique naturæ vnitatem in tribus perſonis, vt Ethnici. Cum Ethnicis diſputabimus in toto tertio libro. Nunc negotium nobis erit cum hæreticis: & in hoc quidem capite contra eos agemus, qui diſtinctionem perſonarum negant. Diuidemus autem caput in tres partes. In prima afferemus authores hæreticos, qui diuinas perſonas non diſtinguebant. In ſecunda proponemus occaſiones huius erroris, eumque de medio tollemus. In tertia aduerſariorum argumenta cum ſolutionibus.

Prima pars Capitis.

Qui confuderint perſonas.

QVantum attinet ad primam partem. Vetus eſt hic error; Nam tempore Ignatij Martyris, vt ſcribit ipſe in Epiſtola ad Philippenſes, quidam docere iam cæperant, Patrem, & natum, & paſſum eſse. Idem deinde anno Domini 196. aſseruit Praxeas Aſiaticus cum ſuis, qui ob id Patropaſſiani dicebantur, vt ſcribit Tertullianus in libro conrra Praxeam, & lib. de præſcriptionibus in fine. Sed acerrimus huius erroris propugnator fuit poſtea Sabellius Lybicus An. Domini 255. quem hauſerat à Noeto Præceptore ſuo, vt ſcribit Epiphanius contra hæreſes 57. Hi omnes Eccleſiæ & veritatis hoſtes habiti ſunt: nam Praxeas, vt Author eſt Optatus Milleuitanus contra Parmen. cap. primo, damnatus eſt à Zephirino Papa: quare eidem Pontifici pœnitentiæ ſuæ libellum obtulit, ſed iterũ deinde è ſtomacho euomuit hæreſim. Noetus, ex Epiphanio hęreſi 57. pulſus eſt

ab

ab Eccleſia à Presbyteris omnibus Epheſinis, vt ipſe ſcribit: à Smirnenſibus tamen id factum fuiſſe, author eſt Theodoretus lib. 6. de fabulis, & paulo poſt expulſionem mortuus, Catholica priuatus eſt ſepultura. Sabellius damnatus, & profligatus vbique fuit, primo in Smirnenſi Concilio, vt author eſt Nicephorus lib. 9. cap. trigeſ. primo, deinde in Alexandrina Synodo, ex eodem, libro quinto cap. decimoquinto, vbi Hoſij legati ſtudium in eo maxime fuit, inquit Socrates, cap. 5. vt exploderet errorem Sabellij. Atque hæc de prima capitis parte dicta ſint ſatis.

Secunda pars capitis.

QVantum attinet ad ſecundam, iſtorum omnium hæreſis inde ortum habuit, quod, vt Euſebij verbis vtar lib. 10. Hiſtor. cap. 29. neſciuerint diſtinguere, inter Vſiam & Hypoſtaſim, ſeu inter ſubſtantiam, & ſubſiſtentiam: ſicut enim vna tantum eſt in Deo Vſia, & ſubſtantia, ita putauerunt vnicam eſſe Hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam, ſiue ſubſiſtentem perſonam. Ergo vt huius erroris occaſio tollatur, explicandæ nobis erunt hæ voces *Vſia; Hypoſtaſis, ſubſtantia, & ſubſiſtentia.*

Quæ fuerit occaſio confundendi perſonas.

De Voce οὐσία. *Vſia.*

VIdebimus primò quid ſignificet, ſecundo an tribui poſſit Deo, tertio an ſit idem quod φύσις ſeu natura, quarto, quomodo Græci Patres vſurpent vocem Vſiæ, & Hypoſtaſis. Aduertendum ergo primo, *Vſiam*, nihil aliud ſignificare, quam eſſentiam rei. Hæc eſt ſententia omnium Sanctorum. Athanaſij in tractatu de definitionibus. Nyſſeni in lib. de differentia Vſiæ & Hypoſtaſis. Damaſceni in lib. primarum inſtitutionũ, cap. 1. & aliorum. Imo Ariani ipſi hoſtes Eccleſiæ hoc fatentur apud *Socratem lib. 3 cap. 5.* afferunt enim *Vſiam* eſſe id, quod definitione explicatur, at definitione, vt omnes nouerunt, explicatur eſſentia.

Vſia ſignificat eſſentiam rei ex Athan. & alijs.

Aduertendum ſecundo, Arianos negaſſe Vſiam tribui poſſe Deo: primo, quia non eſt hoc nomen in ſcripturis: affert hanc cauſam Athan. in Dialogo 1. de Trinit. & Theodoretus in Eccleſiaſtica hiſtor. lib. 2. c. 8. Secundo, quia Vſia ſignificat

Ariani negãt Vſiam tribui poſſe Deo. A patribus reſpondetur Arianis.

ſubſtantiam receptiuam contrariorum, qualis non eſt ſubſtantia diuina: Hanc ſecundam cauſam refert S. Ambroſius lib. de fide contra Arian. cap. 4. Ad primam aliqui primo dicebant, non reperiri Vſiam, reperiri tamen eius originem, & rem ſignificatam nomine Vſiæ, nam *Exod.3.* dicitur, *Ego ſum qui ſum*, vbi indicat Deus, Verbum εἶναι ſeu *eſſe*, eſſe ſibi maxime proprium, ex quo illa duo facta ſunt Vſia, & eſſentia, ſic Epiphanius hæreſi 73. & Ambroſ. lib. de fide contra Arianos cap. 4. Alij dicebant ſecundo, non reperiri nomen Vſiæ in ſcripturis, eius tamen deriuata (quod ſatis erat) reperiri *Matth. 6.* da nobis hodie panem ἐπιούσιον *ſuperſubſtātialem*, quod veteres fere omnes Euchariſtiæ tribuerunt. Sic Victorinus lib. 1. cōtra Arian. & Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 7. Alij tertio oſtenderunt hoc ipſum nomen in ſacris literis. Nam *Lucæ* 15. vbi filius ille prodigus dicit Patri, *da mihi partem ſubſtantiæ*, Græce pro *ſubſtantia* eſt *Vſia*. Ariani dicebant eo loco ſignificari diuitias, non eſſentiam, ſed acute *Ambroſ. lib. 3. de fide. cap.* 7. eos refellit dicens, Deum non habere alia bona, aut diuitias, quam ſuam eſſentiā, quare ſi hoc nomen in ſcriptura *diuitias* ſignificat, cum Deo tribuitur, ſignificare debere Dei naturam, & eſſentiam, & hoc indicaſſe Chriſtum *Ioan.* 16. omnia tua mea ſunt, & Paulum ad *Epheſ.* 2. & ad *Coloſſ.* 2. dum ait, eſſe in Chriſto omnes theſauros Dei. Ad ſecundam reſpondet *S. Ambroſ. lib. de filij diuinit. c.* 4. Vſiam eſſe ſubſtantiam, non omnem tamen ſubſtantiam eſſe eiuſdem rationis, ſed quandam eſſe corpoream, capacem contrariorum, Diuinam autem eſſe ſpiritualem, remotiſſimam ab omni contrario.

Pro eodem ſere ſumuntur Eſſentia, & natura.

Eſt tamen aliquid diſcriminis inter has duas voces.

Aduertendum tertio: pro eodem fere ſumi οὐσίαν, & φύσιν *eſſentiam*, & *naturā*, vt author eſt Damaſcenus in Dialecticę c. 11. Cæterum aliquid eſt diſcriminis inter hæc Duo, aut in re ſignificata, aut certe in modo ſignificandi, quod ſatis erit, vt vnum ex his nominibus minus proprie quam alterū dicatur de Deo. Igitur docet *Ariſt. 5. Met. cap. 4.* nomen *naturæ* tripliciter ſumi: primo pro generatione, ἀπὸ τοῦ φύεσθαι, id eſt à naſcendo: ſecundo pro re per generationem producta, quæ ab aliquibus vocatur *natura naturata.* Tertio pro principio generationis in vnaquaque re, ſic definitur natura ſecund. phyſ. principium motus & quietis, & quia principium agendi in vnaquaq; re ſolet eſſe eius eſſentia, factum eſt, vt nomen φύσις & naturæ accipiatur

tur pro eſsentia: quia tamen nomen *naturæ* ſemper ſapit originem, ex qua tractum eſt, minus proprie de Deo dicitur quam nomen *eſſentiæ*, quia non eſt tam proprium Deo generare, & generari, quam eſse. Hoc diſcrimen cum multi veteres authores perciperent, multa dixerunt, quæ hodie dura viderentur: Exempli cauſa. Athanaſ. Dialog. 1. de Trinitate ait, Spiritum Sanctum non eſse diuinæ naturæ, ſed diuinæ eſsētiæ, alludit ad originem nominis, quod quia à naſcendo dictū eſt, & Spiritus Sanctus non naſcitur, ſed procedit, negat Spiritum Sanctū eſse diuinæ naturæ. Nazianzenus autem in lib. ad Euagrium de diuinitate, hac de cauſa ait eſsentiam magis proprie Deo conuenire, quam naturam, & S. Ambroſ. in Commentarijs 2. c. ad Philippenſes, Subſtantiam, inquit, Dei adeo naturā vocamus, quia de illa natus eſt Chriſtus, quaſi dicat: ſi Chriſtus non naſceretur ex Deo, eſsentia Dei non appellaretur *natura*, & quia Spiritus Sanctus non naſcitur, ſi ſpectemus originem vocabuli, non habet naturam. Diuus etiam Thom. agnouiſse videtur hāc differentiam, nam *p. p. q. 29. a. 1. ad 4. & q. 39. a. 2. ad 3.* docens, Cur tres perſonæ Trinitatis dicantur potius eiuſdem *eſſentiæ*, quam *naturæ*; quia eſsentia, inquit, ſignificat ipſam ſubſtantiā rei, non autem principium operationis, quare multa poſsunt dici eiuſdem naturæ, quia habent eandem operationē, vt omnia calida, licet non ſint eiuſdem eſsentiæ.

Quo ſenſu Athan. & Amb. dixerint Spiritum Sanctum non habere diuinam naturam.

Diuinæ perſonæ magis proprie dicuntur eſſe diuinæ eſſentiæ, quam naturæ ex S. Thom.

Diſcrimen inter Vſiam, & Hypoſtaſim.

Aduertendum 4. Græcos videri eam tantum differentiam ponere inter Vſiam, & ὑπόστασιν, quam ponunt inter naturam indiuiduam, & ſpecificam: Sic enim ſcribit Baſil. in epiſt. ad Terentium, quam habet, inquit, rationem, id quod commune eſt, ad id quod proprium, hanc habet Vſia, ſiue eſsentia ad Hypoſtaſim, hoc eſt ſubſtantiam, ſiue ſubſiſtentiam: & in Commentario ad Gregorium Niſsenum de differentia Vſiæ, & Hypoſtaſis docet, ſicut ſpecies ab indiuiduo & commune à proprio, ſic differre Vſiam, ab Hypoſtaſi. Et apud Theodoretū in Dialogo immutabili, quærit Eraniſtes, *eſt ne aliqua differentia inter ſubſtantiam & Hypoſtaſim?* Reſpondet Orthodoxus in hæc verba: *Si externa quidem ſpectetur ſapientia, nulla eſt, ſed ſi Patrum doctrina attendatur, quam habet differentiam commune, & proprium, vel genus & ſpecies ad indiuiduum, eandem habet ſubſtantia, & Hypoſtaſis*, hæc Theodoretus. Eadem plane eſt etiam cæterorum Græcorum ſententia, vt videre eſt apud Cyrillum

Alexandrinum *lib.1.de Trinit.* Damaſcenum in Dialectica *cap.* 11.*& lib.3.* de fide *c.6.*& *Suidam in verbo Hypoſtaſis.* Sed ſciendũ, *Exponuntur Græci Patres.* Patres iſtos nolle dicere, tres diuinas Hypoſtaſes ita ſe habere ad diuinam naturam, ſicut ſe habent Petrus, Paulus & Timotheus, ad ſpeciem humanam, nam ſi ita ſentirent, dicere omnino deberent, tres perſonas diuinas eſſe tres Deos, vt argumentabamur c.1. huius libri, ſicut Petrus, Paulus, & Timotheus, ſunt vere tres homines. At ipſi pernegant dici poſſe, eſſe tres Deos, & huius argumenti longiſſimas ſcribunt diſputationes. Non ſunt ergo exponendi, vt verba ſonant. Comparant ergo quod eſt eſſentiale in hoc myſterio naturæ communi, & quod eſt perſonale differentijs indiuiduantibus. Qua ſimilitudine explicant tres veritates. Prima eſt, ſicut ſpecies nõ exiſtit niſi in indiuiduis, ita natura diuina non exiſtit niſi in hypoſtaſibus. Secunda, ſicut humanitas non diſtinguitur re ab hac humanitate, ita natura diuina non diſtinguitur re ab hypoſtaſibus diuinis. *Indiuiduum* autem hic ſumitur ſicut in definitione perſonæ pro natura ſingulari incommunicabili, nam in Chriſto natura humana eſt indiuidua, quia tamen non eſt incommunicabilis, non eſt hypoſtaſis. Tertia, ſicut differentiæ indiuiduantes non ſunt de eſſentia ſpeciei, ita neque Hypoſtaſes ſunt de eſſentia naturæ diuinæ. Quod multi ex Scholaſticis defendũt, vt lib.2. dicemus.

De Voce ὑπόστασις. *Hypoſtaſis.*

DE Voce *Hypoſtaſis* tractabimus alia quatuor. Primo, quis primus vſurpauerit hanc vocem in hac materia de Trinitate? Secundo, diſſenſionem Patrum Græcorum, & Latinorũ de vocis huius acceptione, & quæ fuerit origo huius diſſenſionis. Tertio, in qua tandem acceptione recepta ſit ab Eccleſia: Quarto, in qua ſignificatione frequentius vſurpetur in ſcriptura tam noua, quam veteri.

Hoſius Syluestri Legatus. Aduertendum ergo. I. Hoſium Cordubenſem Syluestri Papæ legatum in Concilio Nyceno, omnium primum occaſionem dediſſe Patribus diſputandi de ſignificationibus huius vocis, Hic enim, inquit, *Socrates lib.3 cap.4. & 5. Dum Sabellij Afri dogma explodere cogitauit, de Vſia, id eſt de eſſentia, & hypoſtaſi, id eſt ſubſtantia ſeu perſona diſceptauit*, hæc Socrates refert de Hoſio in Synodo Alexandrina.

Ad-

Aduertendum. II. Contentionem de ſignificatione huius vocis, inter Catholicos tantum fuiſſe, vt ſcribit S. Hieron. in Epiſt. 57. ad Damaſum, non inter Hæreticos, & Catholicos. Quanta autem fuerit hæc contentio, teſtatur Gregorius Nazianzenus *in oratione de laudibus Athanaſij*, *Vbi cum parua quædam*, inquit, *vt in contentione fieri ſolet, moleſtiæ cauſa ſemper accederet, eo tandem res adducta eſt, vt periculum eſſet, ne orbis terrarum fines, vna cum ſyllabis à ſe inuicem diſtraherentur, & abrumperentur.* Fundamentum autem diſsenſionis, fuit multiplex huius nominis ſignificatio; Nam nomen hoc apud Græcos Philoſophos vſitatiſſimum, duas præſertim habet ſignificationes, aliquando enim ſignificat veritatem oppoſitam opinioni, & ſpeciei, nam quod Latini dicunt aliquid eſse ſola ſpecie, aut opinione, Ariſt. in lib. de Mundo, dicit εἶναι κατὰ ἔμφασιν. Quod illi dicunt eſse re ipſa, & veritate, Ariſt. dicit εἶναι καθ' ὑπόστασιν eodem modo *Themiſtius lib. 2. de natura* ait, quædam eſſe, quæ neque cogitatione, neque κατὰ ὑπόστασιν id eſt re ipſa auelli poſſunt à rebus. Authores Eccleſiaſtici vſurparunt etiam hoc nomen eodem ſenſu; ſic Dionyſius ait, bonum eſſe ἐνυπόστατον malum vero non eſſe ἐνυπόστατον ſeu παρυπόστατον, id eſt, bonum habere veram naturam, & vt in ſcholis dicunt eſſe affirmationem; malum vero eſſe tantum priuationem alienæ rei, quæ ſit hypoſtaſis, id eſt natura, quod Scholaſtici ſolent dicere, omne malum eſſe in aliquo bono. Eodem modo vtitur hac voce Nicetas lib. de venerandis imaginibus, & alij. Alia ſignificatio eſt magis propria huius verbi, & ſignificat baſim, & fundamentum, quo aliqua res nititur; ſic vſurpat, Alexander lib. 2. de anima cum ait, materiam primam ipſam per ſe non habere hypoſtaſim per formam, hoc eodem ſenſu Græci Authores Eccleſiaſtici appellarunt ἐνυπόστατον, id quod per ſe cohæreret, & conſtaret & ἀνυπόστατον id, quod non poteſt cohærere per ſe, ideo ſolent hoc diſcrimen conſtituere inter verbum noſtrum, & Dei, quod noſtrum ſit ἀνυπόστατον quia ſtatim euaneſcit; verbum autem Dei ſit ἐνυπόστατον, id eſt per ſe ſubſiſtens, ſic *Cyrillus Hieroſoly. Catecheſi 11. Baſilius lib. 1. contra Eunomium.* Nyſſenus lib. quo colligit teſtimonia ex veteri Teſtamento pro Trinitate aduerſus Iudæos Cyrillus Alexandr. *lib.* 5. de Trinit. & Damaſcenus ſæpe. Hinc apparet non recte Arianos dixiſſe, vt author, eſt *Socrates lib. 3. c. 5.* nomen hoc tribui

Contentio de Voce Hypoſtaſis inter Catholicos tantū fuit.

Quid ſignificet hypoſtaſis apud Philoſophos, primo Veritatem.

Eccleſiaſtici vtuntur hac voce pro natura.

2. Hypoſtaſis ſignificat baſim & fundamentum.

Ariani negant vocem

hypoſtaſis tribui poſſe Deo ex Socrate.

tribui non poſſe Deo, quod barbarum eſſet, neque enim reperiri apud Authores Græcos, aut alio certe ſenſu reperiri minime Deo conuenienti; ſignificare enim aliquando inſidias, vt apud Sophoclem in Pheniſſis; aliquando condimentum, vt apud Menandrum; apud Medicos vero feces, & ſedimenta, idque confirmabant teſtimonio Irenæi Grammatici; Sed decipi Irenæum ſatis liquet, ex his quæ diximus. Propter hanc ergo duplicem nominis ſignificationem diuiſi ſunt in duas ſententias Eccleſiaſtici authores, nam aliqui intuentes in priorem ſignificationem, exiſtimarunt hypoſtaſim idem omnino eſſe, atque eſſentiam quia cuiuſque rei veritas, eſt eius eſſentia, in hac fuerunt omnes Patres Latini, & nonnulli etiam ex Græcis: Hieron. in Epiſt. ad Damaſum. Victor. lib. de Omouſio. *Auguſt. lib. 5. de Trinit. c. 8 & 9.* Acacius in Epiſtola ad Cyrillũ Alexand. q. 10. Epiphanius hæreſi 61. imo Concilium Sardicenſe Orthodoxum decreuit in Deo non eſſe ponendam niſi vnam hypoſtaſim, quia pro hypoſtaſi eſſentiam intelligit: decretum habetur apud *Theodoretum lib. 2. Eccleſiaſticæ Hiſt. c. 8.* Alij Authores Græci, & pauci ex Latinis, *hypoſtaſim* appellarunt *ſuppoſitum*, & *perſonam*, ideo in Trinitate poſuerunt tres hypoſtaſes. Sic *Theodoretus in lib. contra Sabellium, Nyſſenus in lib. de differentia Vſias, & Hypoſtaſis, Cyrillus lib. 1. de Trinit. Baſilius Epiſt 43.* & alij plures.

Latini Patres, & nonnulli etiam ex Græcis hypoſtaſim ſumunt 1. mo do pro veritate & eſſentia.

Græci fere oẽs ſumũt hypoſtaſim 2. modo pro perſona, quæ eſt baſis eſſentiæ.

Aduertendum 3. licet olim diſſenſio fuerit inter Patres, vtro modo accipi deberet hęc vox pro *eſſentia*, an pro *ſubſiſtentia*. Quidam enim aiebant, in Deo vnicam tãtum eſſe hypoſtaſim, ne viderentur Ariani; alij timebant dicere vnam tantum eſſe in Deo hypoſtaſim, ne ſentire viderentur cum Sabellio; Itaque cum vtraque pars conueniret, & bene ſentiret in re, vt fuſe explicat *S. Hieron. in Epiſt. 57. ad Damaſum*, diſſentiebant tamen in ſola voce. Idem oſtendit factum Athanaſij in Alexandrino Cõcilio, vt docet Nazianzenus in oratione de laudibus Athanaſij, vbi ſic ait, cũ à nobis eſſentia vna, & tres Hypoſtaſes pie dicerentur, & ſimili quidem modo apud Romanos intelligerẽtur: Cæterum cum ob linguæ illius anguſtiam, verborumque inopiam hypoſtaſim ab eſſentia diſtinguere non poſſent, eamque ob cauſam in illius locum *perſonarum* induxiſſent nomen, B. Athanaſius vtraque parte humaniter accerſita, & verborum ſententia diligenter, & accurate perpenſa, poſtquam concordes

Athanaſ. prudentia in vſu iſtarum vocũ.

reperit,

reperit, neque quoad doctrinam quidquam inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegit, vt nominum vſum ipſis concedēs, rebus eos conſtringeret.

Receptũ iam eſt ab Eccleſia nomen hypoſtaſis pro ſubſiſtentia & perſona.

Receptum tamen iam eſt ab Eccleſia, vt *hypoſtaſis* ſumatur pro *ſubſiſtentia*, atque ita tuto dicamus, in Deo tres eſse hypoſtaſes ſicut dicimus, eſse tres perſonas, ſic enim loquitur Dionyſius Areopagita, vt cap. 1. notauimus, dum Trinitatem vocat τρισυπόστατον. Idem facit Iuſtinus in lib. de recta fidei confeſſione, & alij. Quinta etiam Synodus Conſtantinopolitana *c.* 1. definit eſsentiam Diuinam eſse in tribus hypoſtaſibus, & idem habent alia generalia Concilia; Quare qui nũc negaret in Deo tres hypoſtaſes, argueretur erroris, quia in tota Eccleſia, tam Græca, quam Latina pro eodem ſumitur hypoſtaſis, & perſona, neque huic definitioni repugnat Concilium Sardicenſe apud *Theodoretum lib.* 2. *Hiſtor. cap.* 8. vbi legimus, hæreticorum eſse, tres hypoſtaſes in Deo aſserere, Catholicorum autem, vnam tantum; Nam Concilium ibidem explicans ſententiam ſuam affirmat, vnam tantum in Deo hypoſtaſim eſse, ſi Hypoſtaſis accipiatur pro eſsentia, vt hæretici ſolent accipere, hæc ſunt verba Concilij.

Aduertendum 4. tam in nouo Teſtamento quam in veteri, fere ſemper hoc nomen *hypoſtaſis* accipi ſolere, pro baſi, & fundamento, quæ cauſa fortaſse fuit, vt hoc nomine vterentur Patres, ad ſignificãdam potius perſonam quam eſsentiã in Deo. Et in nouo quidem Teſtamento nunquam quod ſciam reperitur hoc nomen niſi apud Paulum his quinque locis. Primus eſt 2. *Corint. c.* 9. ne erubeſcamus nos in hac ſubſtãtia: ἐν τῇ ὑποστάσει, vbi deeſt genitiuus *gloriæ*, vel *gloriationis*, quam plerique Græci codices habent, & Paulus ipſe addit infra *c.* 11. eandem ſententiam repetens, ſenſus eſt, ne erubeſcamus in ea maxime re, in qua vna maxime ſumus gloriati de vobis, & quam poſueramus veluti fundamentum veſtrarum laudum, & noſtræ gloriationis, ſic Ambroſ. Hieron. & Theophilactus hoc loco. Secundus locus eſt in eadem Epiſtola cap. 11. vbi, *in hac*, inquit, *ſubſtantia gloriæ*, & ſubſtantiam gloriæ vocat baſim, qua nitebatur eius gloriatio, vt ſtatim explicat: Iudæi ſunt? & ego; Iſraelitæ ſunt? & ego &c. hæc eſt ſubſtantia ſeu baſis. Tertius locus ad *Heb. cap.* 1. qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ. Huius loci ſunt tres expoſitiones:

Hypoſtaſis nomen in nouo Teſtamento. 2. Cor. 9.

2. Corin. 11.

Ad Heb. 1.

duæ

duæ primæ per, *ſplendorem gloriæ &c.* intelligunt Chriſtũ Dominum ſecundum perſonam diuinam. Tertia Chriſtum Dominum ſecundum naturam humanam. Primo igitur quidam putant *hypoſtaſis* nomine eſſentiam ſignificari Patris, ſic *Athanaſ. Dialog.* 1. *&* 3. *de Trinit. Epiph. hæreſi.* 69. *Ambroſ. ibi.* & hæc ratio fuit, vt Ariani reiecerint hanc epiſt. ex Athan. ne cogerentur dicere, eandem eſſe eſſentiam in Patre, & Filio. Alij dicunt nomen *hypoſtaſis* accipi hic pro *perſona*, & eſſe ſenſum, perſonam Filij ſimilem eſſe perſonę Patris, ſed in eadem eſſentia, vt duo corpora alba dicuntur eſſe ſimilia, ſed in albedine, ſic Baſilius in lib. de differentia inter *Vſiam* & *Hypoſtaſim.* Nyſſenus in lib. de eadem re, Suidas in verbo *Hypoſtaſis*, Chryſoſt. Theodo. & Theophil. hoc loco. Alij acute dixerunt, ſermonem hic eſſe de Chriſto homine; nam diuinitatem Patris, non poſſe à nobis percipi niſi adumbratam quodammodo humanitate Filij; ideo appellari Chriſtum figuram hypoſtaſeos Patris, quod noſtris ſenſibus obijciat quodammodo perſonam Patris, quam in ſeipſa cognoſcere non poſſemus. Hoc videtur indicare Chriſtus ipſe *Io. cap.* 14. illis verbis, Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, & ad *Coloſſ.* 2. Paulus, in quo, inquit, inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id eſt, accommodate ad ſenſum corporeum. Huius expoſitionis meminit Chryſoſt. eo loco, Author lib. de Incarnatione Verbi, qui eſt inter opera *S. Auguſt. Tom.* 4 *& Tertull. lib.* 5. *contra Marcionem*, exponens illud, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Ex his tribus expoſitionibus, tam ſecunda, quam tertia pro ſubſtantia intelligit perſonam Patris. Quartus locus eſt ad *Heb.* 3. *Si tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem retineamus*: vbi eſt eadem vox *hypoſtaſis*, ſenſus eſt ſimilis alteri loco in *epiſt.* 1. ad Corinthios, *cap.* 3. *Vt Sapiens*, inquit, *Architectus fundamentum poſuit, vnuſquiſque videat quomodo ſuperædificet, fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt.* Quod illic dicit, *poſitum eſſe fundamentum*, id eſt Chriſtum, hic dicit, *participes effecti ſumus Chriſti*, & quod illic dicit, vnuſquiſque videat quomodo ædificet ſuper fundamento hoc, hic dicit, *ſi tamen initium ſubſtantiæ*, ſeu fundamenti, hoc eſt, ſi Chriſtum fundamentum vſque ad vitæ finem firmum teneamus. Quintus locus eſt in eadem *epiſt. c.* 11. *Fides eſt ſperandarum hypoſtaſis, ſeu fundamentum rerum.* Græcus ſcholiaſtes, per *hypoſtaſim*

Ad Hebr. 3.

Ad Hebr. 11.

ſtaſim exponit veritatem: ſed veteres authores omnes intel-
gunt baſim, & fundamentum rerum ſperandarum, eſt enim
des fundamentum, quo nituntur res, quæ ſperantur.

In veteri etiam teſtamento quater apud ſeptuaginta reperi
omen *hypoſtaſeos*, & ſemper pro baſi, & fundamento, primò Nomen hypo-
ſ. 38. & *ſubſtantia mea* apud te eſt, id eſt, in te pono fundamē ſtaſis in teſta-
im omne meum. Secundo, *Pſ.*68. infixus ſum in limo profun mento Veteri. Pſal. 38.
, & non eſt *ſubſtantia*, id eſt, non habeo rem vllam qua nitar Pſal. 68.
d euadendum. Tertio, *Pſ.*88. memorare, quæ mea *ſubſtantia*,
l eſt, recordare Domine quam debile, & infirmum eſt funda- Pſal. 88.
entum vitæ meæ. Quarto, *Pſal.* 138. non eſt occultatum os Pſal. 138.
eum à te quod feciſti in occulto, & *ſubſtantia* mea in infe-
oribus terræ, id eſt, nihil eſt in me, quod te poſſit latere, nec
ſa quidem oſſa, nec ipſa quidem hypoſtaſis mea, id eſt nec pri-
ium quidem fundamētum vitæ meæ, quod vt magis explicet
bdit, imperfectum meum גלמי id eſt embrionem meū, hoc
ſt quod dixi, primum principium, & fundamentū vitæ meæ. R. Dauid.
mbrio rudis illa maſſa &c. Sic exponit Rabbi Dauid & 70.
tiam legunt *embrionem*, Quod ſi quæratur, an aliquādo in ſcri-
turis, hæc vox *hypoſtaſis* reperiatur in ea ſignificatione, quam
renæus Grammaticus afferebat, Reſpondeo ſemel tantum, ni
allor, accipi poſſe nomen hoc pro cōdimento, vt ipſe dicebat: Sap. 16.
apientiæ ſcilicet *c.* 16. vbi legimus, etenim ὑπόστασις tua, tuam
 filios oſtendebat dulcedinem. Erat ibi ſermo de manna: vo-
at autem manna hypoſtaſim, & ſenſus poteſt eſſe duplex:
rimus ὑπόστασις tua, id eſt creatura tua illa nobilis, id eſt māna.
Jam apud Dionyſium Areopagitam ὑπόστατης ſæpe ſignificat
reatorem: erit ergo ὑπόστασις creatura, tanquam dicat, creatura
a, id eſt illud manna dulcedine ſua oſtendebat dulcedinem,
 ſuauitatem authoris, id eſt tuam. Secundus ſenſus, rectius eo
oco nomen hypoſtaſis ſignificabit condimentum, vt apud Me
andrum ſignificat, voluit ergo dicere: ſatis apparebat cibum
lum non ab alio coquo fuiſſe conditum, quàm à te Domine,
on enim tam ſuauis eſſe potuiſſet. Hunc eundem ſenſum ha-
ere poteſt nomen ipſum *manna*, quo nō tantum ſignificatur
uod dixerunt Iudæi, Quid eſt hoc, hoc enim ſignificaretur
oce מה הוא *mahu*, ſed dixerūt מן הוא *manhu*, id eſt *paratus*,
u *conditus eſt cibus iſte*, vt non opus ſit ipſum coquere, quod in-
icabat Dei beneuolentiam, & protectionem erga ipſos.

C DE

De nominibus ſubſtantiæ, & ſubſiſtentiæ apud Latinos.

DVo dicemus de his nominibus, primo in qua ſignificatione, olim Patres vterentur his vocibus. Secundo, in qua ſignificatione vtamur nunc.

Subſiſtentiæ nomine qui vſi ſint omnium primi in materia de Trinitate.

Acceptio vocis ſubſtantiæ apud Paucos Latinos.

Quod attinet ad primum, in diſputatione de Trinit. multi vſi ſunt nomine *ſubſtantiæ*, ſed nomine *ſubſiſtentiæ* vix quiſquam, præter Ruffinum, Boetium, & Victorinum. Subſtantiam autem primo quidam dixerunt eſſe idem quod *hypoſtaſis*, ſic S. Hieronym. antequam doceretur à Damaſo, vt manifeſtum eſt ex Epiſtola eius ad Damaſum. S. autem Auguſtinus, non eodem modo ſemper ſumit nomen *ſubſtātiæ*; aliquando dicit eſſe tantum vnam ſubſtātiam in Deo, & ſumit ſubſtantiam, pro eſsentia, quod paſſim docet; Aliquando vero ait, eſse tres ſubſtantias, accipiens ſubſtantiam, pro ſubſiſtentia. Sic *Epiſtola* 50. & in *Pſalm.* 120. & *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 7. *Caſſianus lib.* 3. *de Incarnatione, &c.* Secundo, alij putarunt ſubſtantiam dictam eſse à *ſubſiſtendo*, id eſt, per ſe cohærendo: Ideo maxime Deo conuenire, ſed eſse in Deo vnam tantum ſubſtantiam. Sic Ambroſius lib. de fide contra Arianos *c.* 3. Tertio, alij crediderunt, ſubſtantiam eſse dictam à *ſubſtando*; ſubſtare autem nihil eſt aliud, quam accidentibus ſubeſse: ideo ſubſtantiam nō niſi abuſiue de Deo dici. Sic *Auguſt. l.* 7. *de Trinit. c.* 5. Quarto, alij dixerunt eſsentiam reſpondere *Vſiæ*, & ſubſtantiam *hypoſtaſi*, ideo tres faciunt ſubſtantias in Deo, ſic Boetius, in lib. de duabus naturis, & Victorinus in lib. de Homouſio.

Acceptio huius vocis apud Scholaſtic.

Quod attinet ad ſecundū, ſentētia Scholaſticorū, quę hodie verſatur in ſcholis, hæc eſt: Subſtantiā, quæ dicta eſt à *ſubſtando*, id eſt à ſubiacendo accidentibus, ſignificare quidē eſsētiā, ſed minus proprie Deo conuenire, quam nomen eſsentiæ, & naturæ. Cæterum non eſse ponendam in diuinis, niſi vnam ſubſtantiā, ſubſiſtentiam autem dictam eſse à *ſubſiſtendo*, id eſt per ſe cohęrendo, quod eſt proprium perſonæ; propterea in Deo tres dicendas eſse ſubſiſtentias ſicut dicimus tres perſonas per ſe ſubſiſtentes, quas Tertulianus lib. contra Praxeam vocat tres per ſe cohærentes: huius ſententiæ author fuit *Ruffinus in Hiſtor. Eccleſ. l.* 10. *c.* 29. vt ſupra indicauimus. Hinc conſtat proprijſſime, & ad Scholaſticorum normam loquutum eſse *Magnum Gregorium lib.* 2. *Epiſtolarum indict.* 10. *Epiſt.* 37. vbi ſcribens ad Nata-

Ad ſcholaſticorum normā proprijſſime loquutus eſt Gregor. Papa.

lem

lem Salonitanum, *Ille*, inquit, loquitur de Abrahamo, *in tribus Angelis vnum ſalutans, Trinitatis ſubſiſtentias vnius ſubſtantiæ eſſe declarauit*. Habemus authores erroris in prima parte capitis, & occaſionem errandi in ſecunda. Superſunt in hac tertia parte argumenta errantium cum ſolutionibus.

Tertia Pars Capitis.

TRia conabatur oſtēdere Sabellius cum ſuis. I. Verbum nō eſſe perſonā à Patre diſtinctam. II. Multo minus eſſe Spiritum Sanctum. III. Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnicam eſſe perſonam, & Patrem dici, quatenus producit, & creat omnia; Filium, quatenus humanam naturam aſſumpſit, Spiritum Sanctum, quatenus ſanctificat. *Argumen. Sabellij.*

Primam ergo propoſitionem probant his argumētis. I. Verbum mentis in nobis eſt tantum conceptus mentis, non perſona, ergo eodem modo erit in Deo. Reſpondet *S. Athanaſ. Sermon. 3.* cōtra Arianos, Sicut Deus longiſſime diſtat à nobis, ita, & Verbum eius à noſtro, noſtrum eſt accidens, & inhærens, illud eſt ſubſtantia per ſe cohærens. Contra ad ſummū hoc probat, Dei Verbum eſſe ſubſtantiam, ſicut eſt etiam ſapientia, bonitas diuina, &c. at eſſe perſonam, non probat; ſicut nec ſapiētia diuina perſona eſt. Reſpondet Tertullianus contra Praxeā, Verbum diuinum, qua diuinum eſt, eſſe ſubſtantiam, ſicut & ſapientia, quatenus vero productum eſt ad intra, in ipſo Deo diſtingui hypoſtaſi à producente, alioquin idem eſſet producēs, & productum, quod eſſe non poteſt, at eſſe productum in ipſomet Deo, non conuenit ſapientiæ diuinæ, nec iſtis attributis, ſed Verbo tantum, & Spiritui Sancto. *I. Argum. Solutio Athanaſ.*

Secūdū argumētū. Verbū reperitur in omni intelligente, ergo cōmune eſt ōnib⁹ diuinis perſonis. At quod eſt cōmune perſonis ōnibus, eſſentiale eſt, nō perſonale; ergo Verbū non eſt perſona diſtincta à Patre. Reſpon. *S. Auguſt. li. 5. de Trin. ca. 12.* quē ſecutus eſt etiam *S. Thom. 1. diſtinct. 17. q. 4. a. 2.* conceptū, ſeu Verbum in diuinis dupliciter ſumi poſſe: Primo eſſentialiter, & ſic eſt commune perſonis omnibus, & eſt quid abſolutū, non reſpectiuum, niſi forte relatione rationis, eſt enim Verbum hoc modo ſumptum, intellectio, vt repræſentans intellectui res intellectas. Secundo ſumi notionaliter, & ſic Verbum eſt conce- *II. Argum. Solutio S. Auguſt à quo mutuatus eſt S. Thom.*

ptus, productus à Patre, qui eſt ipſe Filius realiter differens à producente; & hoc modo tantùm ſumitur à Theologis nomen Verbi, cum proprie, & preſſe loquuntur, non pro intellectione eſſentiali, de qua re infra *lib.2.* dicemus fuſius.

Argumenta ex ſcripturis

III. Argumētū ex ſcripturis, quāuis ſcripturas vix afferrēt Sabelliani, inquit, *Epiph. contra hæreſ. 62.* quia non inueniebant locos, quibus hæreſim ſuam, vel apparenter confirmarent. Igitur contra Verbum, afferunt primo illud, *Erat, cap. 1. Ioan.* cur non dixit *Eſt*, ſed *Erat*? vt indicaret, inquiunt, nō eſſe Verbum ſubſiſtentem perſonam. Secundo ſi Verbum eſt perſona à Patre diſtincta, quænam? certe illa eadem, quæ Chriſti aſsumpſit humanitatem: At Petrus *Act. cap. 10* loquitur de perſona Chriſti tanquam de perſona à Verbo diſtincta, ait enim *Verbum miſit Deus filijs Iſrael Euangelizans pacem per Ieſum*, quo loquendi modo indicat, Ieſum eſse perſonam diſtinctam ab illo Verbo, quod Pater miſit filijs Iſrael.

Ad 1. reſp. Ambroſ.

Ad primum reſpondet *S. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 1.* illud præteritum imperfectum *Erat* durationem ſignificare indefinitam, vt nimirum ſemper fuiſse Verbum intelligeremus; non vt oſtenderet diuinum Verbum non eſse perſonam. Quod ſi tanti faciunt tempus præſens, vtitur illo Dauid *Pſalm. 118.* loquens, vt S. Baſilius exponit, de æterno Verbo, *in æternum Domine Verbum tuum permanet in cælo.*

Ad 2. ſolutio Athan.

Ad ſecundum locum duplex expoſitio. Prima S. Athanaſij in oratione contra Arium de dicto, *Deus de Deo*, vbi Verbum accipit pro perſona Verbi, & ait, ſenſum Apoſtoli hunc eſse, Patrem miſiſse Verbum, ad carnem ſumendam, vt aſsumpta carne per ſeipſum Euāgelizaret, & adducit ſimilem locum ex epiſtola ad Corinth. vbi Paulus, *expectantes*, inquit, *reuelationem Ieſu Chriſti, qui conſeruabit vos inculpabiles vſque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quo loco duos videtur facere Chriſtos, nec tamen facit. Secunda expoſitio accipit Verbum more Hæbreorum pro re geſta, *videamus hoc verbum, quod factum eſt*, & regitur ab illo *vos ſcitis*; ſenſus eſt, omnes noſtis, quid fecerit Deus cum filijs Iſrael: ipſe enim miſit nunciū pacis per Ieſum Chriſtum, qui eſt omnium Dominus, quare illud *Euangelizans* non ad Verbum refertur, ſed ad Deum Patrem.

2. Solutio aliorum.

Cōtra Spiritū Sanctum hæc alia.

Secundam propoſitionem probant ipſi Primo, quia hæc Tertia perſona vbiq; vocatur *Spiritus*, quod nomen cum ſit cōmu-

ne

e Patri,& Filio, ſatis indicat, non eſse proprium alicuius perſonæ. Secundo vocatur Arra, pignus, & hæreditas, quæ nomina non videntur cōuenire perſonæ, ſed donis attributis à Deo.

Ad primum reſpondet *S.Auguſt. lib.* 15. de Trinit. *cap.* 19. nos breuiter reſpondemus, Spiritum vt ſignificat productum per ſpirationem, non per generationem, nomen eſse notionale, proprium Tertiæ perſonæ. *Ad* 1. *Reſpſ. Auguſt.*

Ad ſecundum reſpondet S. Athanaſ. in lib. *de communi eſſentia diuinitatis*, etiam Patrem appellari partem hæreditatis noſtræ, *Pſal.* 15. & *Pſal.* 141. & tamen eſse perſonam. Vocantur ergo interdum Perſonæ ipſę dona, quia ipſæ nobis Perſonæ donantur, cum ipſarum nobis dona tribuuntur, quibus ipſis fruamur, vt dicemus, vbi dè miſſione. Diſtingui autem Spiritum Sanctum à ſuis donis, conſtat ex *c* 5. ad Galat. vbi numerantur fructus Spiritus Sancti, ergo diſtinguuntur ab ipſo, cuius ſunt fructus, & ex *c* 12. 1. *ad Corinth.* vbi dicitur Spiritum Sanctum diſtribuere dona pro vt ipſe vult; ergo ipſe qui diſtribuit, diſtinguitur à diſtributis donis. *Ad* 2. *Reſpon. Athan.*

Tertiam propoſitionem tribus maxime argumentis probāt, inquit Tertullianus contra Praxeam. *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum vnam tātum eſſe perſonam ſic probant. Argum. I.*

Primum ſumitur ex omnibus illis locis, vbi Deus dicitur tātum *vnus*. Huic argumento, quo maxime nitebantur authores huius erroris, vt teſtis eſt S. Auguſtinus in Serm. Dominicæ 2. poſt feſtum Trinitatis; reſpondit olim *S. Gregorius Thaumatur.* referente Baſilio in *Epiſt.* 64. cum Æliano Gentile diſputans. Verum quia vſus eſt, inquit Baſilius, & verbis, & modis loquēdi non admodum proprijs, occaſionē hæreticis præbuit, vt Catholicum, & Sanctum Virum dicerent Sabellianū. Verba impropria fuerunt, *creatum*, & *factum*, cum ſermo fieret de Filio Dei, Modus loquendi improprius ibidem refertur à Baſilio; dicebat enim, *Patrem, & Filium, iuxta mentis quidem conſiderationem, duos eſſe, Hypoſtaſi vero eſſe vnum*: Hæc Baſilius, *ſed non dogmatice hoc ab illo, ſed contentioſe dictum eſt*, inquit, hoc eſt in diſputationis æſtu, vbi excuſanda ſunt verba, ſi non adeo proprie ſumantur. Cęterum, & *Athanaſ in orat. contra Gregales Sabellij*, & *Nazianzen. orat.* 3. *de Theolog.* & *Baſilius* reſpondent, nulla ratione ſequi, plures à nobis cōſtitui Deos, qui tres diuinas Perſonas aſserimus; quia omnium illarum Perſonarū eſsentia, & natura cum vna numero ſit, vnū tantummodo conſtituit *Reſpon. Atha. Nazianz. & Baſilij.*

ſtituit Deum. Dicam clarius,ſuppoſita,& ſubſiſtētiæ tres ſunt, ſed natura, & eſsentia horum trium ſuppoſitorum , eſt tantum vna. Cum ergo quælibet perſona habeat eſse Deum ab eſsentia & natura, & hæc ſit vna, conſtat nos non aſserere plures Deos, ſed plures perſonas, habentes tamen eandem numero deitatem.

Secundū Argumentū ſumebatur ex illis ſcripturis in quibus Filius videtur dicere ſe eſse vnā perſonā cum Patre, ergo. Idē intelligi debet de Spiritu Sancto, vt *Ioan.* 1. Ego & Pater vnū ſumus. Reſpondet Tertullianus, illud, *Ego & Pater* ſignificare diuerſas perſonas,illud vero *vnum* ſignificare eandem eſsentiā. Ideo ait, Patrem,& Filium,non eſse vnum maſculina terminatione; quia non eſt eadem vtriuſque perſona,ſed eſse vnū neutra, propter eandem vtriuſque naturam. Eodem modo exponit, quod afferebant ex *c.* 14.*Ioan.* Ego in Patre,& Pater in me eſt, Filius enim perſona diuerſus à Patre, dicitur eſſe in Patre potiſſimum ratione eiuſdem eſſentiæ, & naturæ cum illo.

Reſpon.Tertull.

Tertium Argumentum. Dei regimen eſt Monarchicum,at Monarchiæ obeſt multitudo dominorum, non ergo ſunt plures perſonæ in diuinis. Reſp.*Tertul.in lib.cōtra Praxeam cap.* 10. Monarchianis iſtis (ſic enim eos appellat Tertul. quod adeo ſtudioſi eſſent Monarchiæ, vt illi obeſſe putarent numerum perſonarum) in humanis Monarchas plerumque filios habuiſſe, ſine vllo tamen Monarchiæ detrimento , idem, ergo dici poſſe in diuinis,præſertim cum ibi non ſit ſimilis natura in perſonis,ſed prorſus eadem, vnde oritur,inquit Athan.in ſuo Symbolo, vt non ſint tres domini, ſed vnus tantummodo Dominus.Sicut ergo in eadem manu ſunt plures digiti realiter inter ſe diſtincti, ſic in eadem numero eſſentia diuina, tres ſunt perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ,qua ſimilitudine licet ſimplici, vſus tamen eſt Chriſtus Dominus Beato apparens Annoni, vt ſcribit Sigebertus nobilis Author in eius vita,*c.* 18.referam verba. *Cum Clericus quidam, inquit, in his Canticis, quæ Patris, & Filij, & Spiritus Sancti gloriam per diuerſas perſonarum appellationes reſonant, mediam ſemper, id eſt Filij tranſiliret perſonam, quam fidei contrariam, & omnino fugiendam negligentiam, cum nemine attendente, nulla per longum tempus corrigeret emendatio, Venerabilis Pontifex in ſecretiſſimo noctis cuiuſdam ſilentio quieſcendi cauſa iacens in lecto, palpebris nec dum plene ſopore depreſſis, ex ea deſuper parte, qua verticem*

Reſpond.Tertull.

Viſio B.Annonis.

icem reſpiciebat ſonum aure percepit, negligenter, & corrupte, percurrentis gloria Patri, & Spiritui Sancto, & denuo repetentis id ipſum, media præ celeritate intermiſſa dictione, factuſque repente tanquam in extaſi, quendam cuius claritas, & habitus humanum excedebat modum, in maieſtate quam Filium Dei decebat contra ſe ſtantem aſpexit, qui radiantibus oculis in ora ſtupentis comem ſe, & placidum ingerens, protentis coram eo tribus ſiniſtræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice dicens: Ecce Pater: moxque ſecundum, Ecce Filius, poſt hæc & tertium, Ecce Spiritus Sanctus, & voces intra fauces paulum cohibens, ecce tres, ait, in vna deitate ſimiliter adorandæ perſonæ, quibus gloria par dicitur ab vniuerſali ſemper Eccleſia mediam inter Patrem, & Spiritus Sancti perſonam Filius habet, nec vllam accipit diuiſionem à duobus in vlla diminutione maieſtatis eiuſdem, & gloriæ. His ita Catholica veritate ſe habentibus, vt quid Clerici tui blaſphemias ſine correptione pateris? Eam quam cum Patre, & Spiritu Sancto communem poſſideo gloriam, mihi ſubtrahit, in duobus vocabulis perſonarum, me qui media Trinitatis perſona ſum, ad omnem gloriæ decantationem tranſiliens. Hæc Sigebertus. Eadem ſimilitudine vſus videtur Spiritus Sanctus, *Iſai.*40. vbi Deum aſſerit ſuſpendere tribus digitis molem terræ, quo loco Gloſſa, ſunt, inquit, tres digiti Beatiſſimæ Trinitatis: poteſtas, hoc eſt potentia diuinitatis in tribus diuinis perſonis exiſtens. Eodem modo exponit Paſchaſius Diaconus Romanus allegorice cum Gloſſa hos tres digitos, in *lib* 1. *de Spiritu Sancto, cap.*7. cuius ſcripta egregie commendat *S. Gregorius Papa lib.* 4. *Dialog. c.*40.

Paſchaſius Cardinalis l. 1, *de Spiritu Sancto.*

CAPVT III.

Contra impugnantes Diuinitatem Filij.

IN tertio & quarto capite agemus contra eos, qui admiſſa diſtinctione perſonarum, diuinitatem ipſarum oppugnant, & in cap.4. contra eos diſputabimus, qui oppugnant diuinitatem Spiritus Sancti. In hoc autem tertio contra negantes diuinitatem Filij. Diuidemus autem hoc caput in tres partes, in prima explicabimus

plicabimus quis Arius fuerit, quid eum impulerit, vt Filium negaret æqualem Patri, & quæ illi adhibita remedia, vt reſipiſceret In ſecunda ponemus concertationem, vt ita dicam, verbalem de vocibus quibuſdam inter Catholicos, & Arianos. In tertia concertationem realem inter eoſdem, de ipſius Filij diuinitate, cum ſolutione ad argumenta Arianorum.

Prima Pars Capitis.

Mos Alexan. Eccleſiæ. Arius ſcripturarum interpres in Eccleſia Bauchal.

QVantum ad primum, in ſingulis olim Alexandrinis Eccleſijs, veteri inſtituto, aliquis erat, qui ſacros populo libros interpretaretur. Erant autem Alexandriæ Eccleſiæ permultæ, ex Epiphan. *contra hæreſ 69.* Eccleſia Dyoniſij, Thæonæ Pierij, Serapionis, Diziæ, Mandidij, Anniani, Bauchalidis, & Abiæ. In Eccleſia igitur Bauchalidis anno Domini 315. hoc munere fungebatur Præsbiter quidam nomine Arius. qui motus inuidia in Alexandrum Antiochenum, quod ſibi Prælatus eſſet, & Alexandriæ deſignatus Epiſcopus, *quem carpere*, inquit, *Theodoretus lib. 1. cap. 2. & 3. in vita non poterat, carpere conatus eſt in doctrina. Itaque ſicut ille Filium Patri conſubſtantialem prædicabat. Sic Arius creaturam, & minorem Patre.* Hæc ille. Hoc conſilio contentionem aggreſſus cum Alexandro, incidit in eum locum. *Prouerb. 8.* inquit, *Epiphan. contra hæreſ. 68. Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio*, quo maxime teſtimonio nixus, tria præcipue de Dei Filio impia dogmata promulgauit: Primum, Dei Filium non eſſe æternum, ſed creatum, ante cęteras tamen creaturas, *antequam quicquam faceret.* Secundum; Dei Filium eſſe creaturam, & minorem Patre: *Dominus creauit me.* Tertium, quod ſequebatur ex duobus illis prioribus, non eſſe Dei Filium naturalem, ſed adoptiuum, ac proinde nõ eſſe Homouſion, & conſubſtantialem Patri. Hęc autem tria de Dei

Duæ Epiſt. Arij apud Epiphan. & Theodor.

Filio potiſſimum docuiſſe Arium, conſtat ex duabus ipſius epiſtolis, quæ adhuc extant, apud *Epiphan. contra hæreſ. 69.* & *Theodor. lib. 1. cap. 5.* quarum altera eſt ad Euſebium Nicomedienſem, altera ad Alexandrum. Sed merito Cõſtantinus Magnus ita exponentem ſcripturas, malum appellat interpretem. Sic enim orditur ſecundam epiſtolam ad Arium, *Malus Interpres negotium eſt Diaboli, eiuſque effigies, & imago.* Huius 2. Epi-

tolæ Conſtantini ad Arium meminit *Socrates lib.1. cap.6.* ipſa tamen Epiſtola habetur in Vaticano, quam Latinam fecit ex Græco Petrus Morinus. Et hæc quidem hæreſis longe prius eſt orta quam Arius, licet eius nomine celebretur. Nam Cherintus, Carpocrates,& Ebion,Chriſto Diuinitatem detraxerũt, vt ſcribunt *Ireneus lib.1. cap.25. & Tertul.in lib. de Carne Chriſti,* & copioſe *Epiphan.hæreſ.27.28. & 30.* Præterea ex Anacleto *epiſt.2.* diſcimus,multos ante tempus Arij fuiſſe,qui negarunt, Filium eſse æqualem Patri, ductos teſtimonio *Iſai.10.*& ad *Roman.9.* quo deinde vtebantur etiam Ariani: *Verbum abbreuiatũ fecit Dominus ſuper terram;* ita enim appellari aiebant, quod Filius minor eſset Patre; & apud Euariſtũ *Epiſt.1.* legimus, fuiſse in Africa qui dicerent,illud 1.ad *Timoth. 6. Solus habet immortalitatem,* &c. intelligendum eſse de ſolo Patre; Filium vero natura ſua eſse mortalem. S.etiam Athan.in epiſt. de Sentent. Dionyſij,multis teſtimonijs Dionyſij probat, errorẽ Arij fuiſſe illo antiquiorem. Adde,à Patribus Originem aliquando appellatum eſse Arij Patrem. Sic *Epiphan.hæreſ.64.* & *Hiero.epiſt. ad Pammachium,*& alibi.Quid ergo cauſæ fuit,cur hæc hæreſis, cum eſſet ante nata,non viguerit niſi ſub Ario? Huius rei duæ cauſæ colliguntur ex Hiſtorijs:altera fuit,quod Alexãder Alexandrinus Epiſcopus fuerit homo remiſſior, nec ſtatim fregerit conatus Arij. Altera colligitur ex *Epiphan. contra hæreſ. 69.* quod Arius fuerit præditus omnibus dotibus corporis, & animi, quæ valere poterant ad fallendum. Sic enim ipſe, qui potuit ſæpe Arium vidiſse, & Conſtantinus Magnus in epiſtola ad Arium, & Arianos, Arium deſcribunt. *Lybs fuit genere, ſtatura valde longus, ſpecie ſubtriſti, exangui vultu, obtutu languido, corpore attenuatus, in colloquio dulcis, perſuadens ſemper animas, inquit Epiphan. & blandiens, dimidium pallium indutus, & ſtolam.* Denique adeo magnis dotibus ad fallendum præditus erat, vt ſcribat S. Athanaſius, appellatum fuiſse Chriſtum Arianorum: & Epiphanius: *Figuratus, inquit, erat velut doloſus ſerpens, qui decipere poſſet omne innocens cor per verſutum ſuum prætextum.* Monitus ergo primum paterne eſt ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino, delatus à Meletio, vt ſcribit *Epiphan. contra hæreſ. 68.* Sed in errore perſeuerans, exutus, inquit, eſt præsbiterio. Quo loco, ſciendum eſt, Arium multo prius à Petro Alexandrino excommunicatum fuiſse; verũ non

Conſtantini Magni Epiſtola ſecunda ad Arium. Socrat.

Hæc hæreſis fuit ante Ariũ

Cur ſub Ario potiſſimum viguerit hæc hæreſis.

Arius quomodo deſcribatur ab Epiph. & Conſtãtino.

Arius quamobrem à Petro Alexandrino excõmunicatus.

propter hæreſim, ſed quod adhærens Meletio, fouerat ſchiſma. Abſolutus ergo ſemel à Petro, & ab eodem factus Diaconus, cum iterum ad Meletium deſciuiſset, & rurſus doloſe vellet abſolui, & Præsbiter fieri, vt ipſi Petro iam morituro in Epiſcopatu ſuccederet; prohibuit Dominus, veſte conſciſsa apparens Petro, & iubens illi, ne Arium amplius ad communionem reciperet: illud præterea iniunxit, vt idem ſequenti die Achillæ, & Alexandro ſignificaret, qui pro Ario deprecatores acceſsuri erant, quod præſtitit egregie Petrus. Cæterum cum Petro in Epiſcopatu ſucceſſiſset Achillas, hic Arium incaute recepit, & Præsbiterum ordinauit Eccleſiæ Bauchalidis. Deinde vero, inquit Athan. oratione prima contra Arianos, ab Alexandro, qui ſucceſſit Achillæ, noua intercedente hęreſis cauſa, fuit ab Eccleſia Dei, fideliumque communione primo reiectus, delatus, vt diximus ab illo ipſo Meletio, propter quem bis illum antea Petrus ab Eccleſia reiecerat. Decipiũtur ergo, qui putant, Arium ob hæreſim contra Dei filium fuiſse excõmunicatum à Petro; conſtat enim ex Athan. ob hanc cauſam excommunicatum primo fuiſse ab Alexãdro, qui Achillæ ſucceſſit, non à Petro, qui præceſſit Achillam. Monitus eſt etiam per litteras à Conſtantino Magno, vt cum Alexandro in amicitiam rediret ex Epiphan. *contra hæreſ. 69.* cui non modo non paruit Hæreſiarca; ſed, quod mirum eſt, inofficioſas etiã ipſi Imperatori reddidit literas, vt teſtatur ipſemet Conſtantinus in poſteriori ad Arium epiſtola. Tandem in Nicæno Concilio damnatus eſt Arius cum ſuis. Hiſtoria notior eſt, quam vt hoc loco referri debeat, & copioſe refertur à *Baronio, tom. 2. & 3. Annalium.* Atque hæc de prima capitis parte.

Quando apparuerit Chriſtus Petro Alexãdrino veſte conſciſſa. Ex Sozom. lib. 1. c. 14.

Arij inurbana reſpõſio ad Imperatorem

Secunda Pars Capitis.

Controuerſia Verbalis de Voce ὁμοούσιος

QVantum ad ſecundum, duplex concertatio fuit inter Catholicos, & Arianos in Concilio Nicæno, inquit *Athan. in Epiſt. de Synodis Arimin. & Seleuc.* Prima de voce ὁμοούσιος, ideſt, Conſubſtantialis, & ἑτεροούσιος, id eſt Alterius ſubſtantiæ, vtra tribui deberet Filio Dei. Secunda fuit de ipſa Filij Diuinitate. Et prima quidem controuerſia licet eſset de voce, adeo tamen vehemens, & acris fuit, vt aliquando ipſis Imperatorũ Decretis fuerit cohibenda. De Conſtantino conſtat ex ipſius epi-

piſtolis ad Alexandrum, & Arium ; de Conſtante , conſtat ex *heodoreto li.3.c.31*. S. etiã *Athan. in lib. de Decretis Nicęnæ Synodi* ſcribit, Arianos ſumma vi contendiſſe, vt hæc vna vox ὁμοούσιος, ideſt, Conſubſtãtialis, non admitteretur à Patribus, quamuis de reliquis vocibus non admodum eſſent ſolliciti: admiſſa tamen, & recepta à Patribus eſt, & exploſa vox ἑτεροούσιος. De hac igitur voce notanda ſunt hæc.

Primo, non fuiſſe nomen hoc conditum in Concilio Nycęno neceſſitate quadam explicandi Myſterium Trinitatis, vt plerique dixerunt: quæ opinio orta eſt ab authoritate *Auguſt. Tractatu 97. in Joan.* Vbi, *Aduerſus, inquit, impietatem Arianorum Patres nouum nomen condiderunt* ὁμοούσιον, *ideſt, Conſubſtantialis.* Idem dicit Fulgentius in Reſponſione ad obiectiones Arianorũ. Et Vigilius in illo Dialogo, vbi inducit Athanaſiũ, & Ariũ diſputantes coram Probo. Cæterum S. Athan. in Epiſtola de Sententijs Dionyſij probat, nomen hoc eſſe antiquius Concilio Nycęno; & in lib. de Synodis Arimin. & Seleu. idem probat teſtimonijs Euſebij Cæſarienſis. Denique in Epiſtola ad Epiſcopos Africæ docet, reperiri hoc nomen apud Authores 130. annis antiquiores Nycęno Concilio: quod mirum eſt Auguſtinum apud Athanaſ. non vidiſſe, aut ſi vidit, non meminiſſe. Idem habet Theodoretus *lib. 1. Hiſtoriæ c. 11.* Clemens etiam Alexandrinus multo antiquior Nicæno Cõcilio bis vſus eſt hac voce *lib. 2. & 3. Stromatum. Et Author Quæſtionũ*, quæ inſcribuntur nomine Iuſtini *quæſt. 16. & 129.* vſurpat etiam vocem *Homouſion.*

Hæc vox Homouſios non fuit condita in Concilio Nycęno, ſed longe prius.

Notandum ſecundo, in Nycæno Concilio hoc nomen inductum primo fuiſſe ab Arianis, vt teſtatur *S. Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 7.* ait enim, Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum Arianum epiſtolam ad Arianos ſcripſiſſe, in qua eos admonebat, ne concederent, Chriſtum eſſe Filiũ Dei naturalem, & increatum ; *Quia inquit ſi Filium Dei naturalem, & increatum dicimus, Homouſion cum Patre incipimus confiteri. Quæ Epiſtola, inquit, Ambroſ. cum in Concilio Nycæno lecta eſſet, hoc verbum in Tractatu fidei poſuerunt Patres, quia viderunt aduerſarijs eſſe formidini; & quaſi euaginato ab ipſis gladio, ipſorum nefandæ caput hæreſis amputaretur.* Hæc S. Ambroſius.

In Concilio Nycæno hæc vox inducta primum eſt ab Arianis.

Notãdum tertio, de ſignificatione huius nominis, exiſtimatur à multis, nomen hoc ſignificare res eiuſdem numero naturę,

Homouſios nõ ſignificat res eiuſdẽ numero natura.

 & eſſen-

& eſſentiæ, quales ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quod non ita eſſe probatur. I. Quia *Clem. lib. 2. & 3. Stromatum*, & Theodorus in lib. quem ſcribit ἐπιτομάς, vocant omnes homines *homouſios* inter ſe; atqui non eſt vna numero eſſentia in multis hominibus, ſed ſpecie tantum. II. Probatur, quia Authores Græci, qui ſcripſerunt poſt Concilium Nycænum, explicantes, quid ſignificet hæc vox ὁμοούσιος, exemplum ponunt in tribus hominibus, Paulo, Syluano, & Timotheo: ſic Baſilius in Epiſtola de Differentia inter Vſiam, & Hypoſtaſim. S. etiam Athanaſ. in oratione 2. contra Arianos, & in Epiſtola de Synodis Arimin. & Seleuc. exemplum affert in humanis de patre, & filio à ſe genito, quos dicit eſſe *homouſios*: at hi, vt conſtat, non habent vnam numero naturam; ergo nomen ὁμοούσιος non hoc ſignificat. III. Quia Chriſtus à Patribus paſſim dicitur conſubſtantialis Patri ſecundũ Diuinam Naturam, & conſubſtantialis Matri ſecundũ humanam: ſic Leo Papa in Epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam, *Niſi*, inquit, *conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignaretur, & Matri, ſub iugo Diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.* At Chriſtus licet eandem haberet Diuinã Naturam numero cum Patre, humana tamen natura, in qua conſubſtantialis erat matri, diuerſa erat numero ab humana natura matris. Quare licet re uera Pater, Filius, & Spiritus Sãctus habeant vnam numero eſſentiam; id tamen non ſignificat vox ὁμοούσιος, ſed ſignificat tantum eiuſdem naturæ: & hoc vrgebant Patres in Concilio Nycæno contra Arianos, Chriſtum eſſe eiuſdem eſſentiæ cum Patre, & ideo verum eſſe Deum; quo conceſſo conſequens erat, eſſe eiuſdem eſſentiæ, etiam numero; nam Deus non poteſt eſſe niſi vnus numero. Et hoc eſt quod ſcriptum reliquit *Cyrillus lib. 11. in Joan. cap. 20. Subſtantialitas, inquit, non æquali ratione de nobis, & de Patre, & Filio dicitur.*

Diſcrimen inter Sinuſios, Homiuſios, & Homouſios.

Notandum quartò, ex ſententia Patrum, præſertim Græcorum, aliquid eſſe diſcriminis inter has voces συνούσιον, *ſinuſion*, ὁμοιούσιον, *homiuſion*, & ὁμοούσιον, *Homouſion. Sinuſion ſignificat vnitatem ſubſtantiæ, ſed nullam denotat diſtinctionem. Quare illud admitterent* Sabelliani, *qui Perſonas non diſtinguunt.* Homiuſion ſignificat ſimilis ſubſtantiæ, cum diſtinctione eorum, quæ ſunt ſimilia. Quare licet vſurparetur à ſemiArianis, & idcirco vocarentur à Catholicis homiuſiani ex *Athanaſio*, *Dialogo*

tertio

ertio de Trinitate, & *Auguſtino Epiſtola* 188. non magnopere tamen diſplicuit hoc nomen Athanaſio lib. contra Synodum Syrmien. & Ariminen. neque Hilario in lib. de Synodis ſub finem. Prætulerunt tamen illi vocem Homouſion.

Notandum quinto, Ad Homouſion hæc tria requiri: Primo diſtinctionem eorũ, quæ homouſia dicuntur. Sic docet *S. Ambroſ. lib 3. de Fide cap. 3.* circa medium; vbi *Homouſion, inquit, aliud alij, non ipſum eſt ſibi.* Idem docent Græci Patres: & probat Epiphan. contra Hæreſ. *69* ex particula illa (*con*) vel (*co*) quæ componit vocẽ *Conſubſtantialis*, vel *coeſſentialis;* nam particula (*con*) non vnum ſignificat, ſed vt minimum duo. Ita nos à ſimili collegam vocamus eum, qui alium habet ſocium in eodem munere; & conuictor de eo dicitur, qui eadem cum alio, vel alijs viuit lege.

Tria requirũtur ad Homouſion.

1. diſtinctio inter ea, quæ ſunt homouſia.

Secundo requiritur ad homouſion eadem eſsentia, ſaltem ſpecie, in his, quæ ſunt homouſia: ſic docet *S. Baſilius lib. 2.* cõtra Eunomium, vbi circa initium: *Petri,* inquit, *Pauli, & omniũ hominum & ſi diuerſæ ſunt appellationes, tamen vna eſt ſubſtantia omnium.*

2 Eadem eſſentia ſaltem ſpecie in homouſiis ex Baſilio.

Tertio requiritur origo, vt vnum ſit ab alio: docet hoc idẽ *S. Baſilius in Epiſtola ad Ancillas Dei*, vbi ſic habet: *Non enim cognata ad inuicem homouſia dicuntur, quod quidam ſuſpicati ſunt; ſed quãdo cauſatiuum, & id quod cum cauſatiuo exiſtentiam habet, eiuſdẽ exiſtit naturæ, homouſia dicuntur, & ſunt.* Idem habet S. Athan. in lib. de Synodis Arimin. & Seleuc. Obiicies. Paulus, Syluanus, & Timotheus dicuntur eſse conſubſtantiales inter ſe, & tamen vnus ab alio non ducit originem: & in Dialogo de Trinitate dicebat Arianus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum habere ſe ſicut ſe habet Epiſcopus, Præsbiter, & Diaconus; negabat tamen, Diuinas Perſonas eſſe conſubſtantiales inter ſe: Tum Athanaſius. *Atqui,* inquit, *Epiſcopus, Presbiter, & Diaconus, ſunt conſubſtantiales inter ſe*, & tamen inter iſtos non intercedit origo: ergo ad homouſion non requiritur hæc tertia conditio.

3. Origo vnius ab alio.

Duplex reſponſio. Prima eſt quorundam, qui dicunt, omnes iſtos eſse cõſubſtantiales, quia ducunt originem ab vno tertio, id eſt, ab Adamo. Secunda dicit, hos eſse conſubſtantiales, ſed largo modo; quia habent omnes eandem ſpecie naturam; vt tamen proprie, & omni ex parte conſubſtantiales ſint, requiri

originem:

Ariani requirebant aliam conditionem, quam confutat Athan.

originem: hanc ſolutionem indicat Baſilius loco citato. Addebant Ariani, præter hæc tria requiri Quartũ, vt quæ ſunt homouſia, ducant originẽ ab vno tertio: quare filiũ in humanis non eſse homouſion patri, à quo genitus eſt, ſed fratres eſse homouſios inter ſe, quia originem ducunt ab eodem patre: Hoc tamen requiri negat. S. Athanaſ. in Epiſtola de Synodis Arim. & Seleu. circa finem; & exemplum affert Viduæ Naim, & Iephtæ: *Filius, inquit, Viduæ erat vere conſubſtantialis matri, & filia Jephtæ ipſi Iephtæ; quia erant filij; quare licet æternus Pater non habeat alium filium, quam Verbum, Verbum tamen vere eſt homouſion Patri.*

Cur vox Homouſios reiecta ſit à Concilio Antiocheno, & recepta à Niceno, & Athan.

Notandum 6. Cur hoc nomen *Homouſion* propoſitũ à Paulo Samoſateno, reiectum fuerit à Patribus Concilij Antiocheni, & tamen receptum à Patribus Cõcilij Nyceni, rationem aſſignat S. Athanaſ. in Epiſtola de Synodis; nam Patres illi *vocem hanc*, inquit, *corporaliter acceperunt:* quid autem hoc ſit corporaliter accipere, ipſe ſe explicat inferius. Volebat enim Paulus Samoſatenus, Filium eo modo eſſe homouſion, & conſubſtantialem Patri, ſicut eſt Petrus, & Ioãnes, & ſicut in rebus corporeis ſunt duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quorum non vna eſt numero natura, ſic enim ſubdit Athanaſ. *Nequaquam enim ipſe, vti nos, diuerſæ naturæ eſt, & ſeparatur à Patre.* Quare licet vox *Homouſios* tribuatur etiam ijs, qui habent eandem ſubſtantiam, non numero, ſed ſpecie, vt paulo ante diximus; tamen cum tribuitur Deo, exponi debet de eadem ſubſtantia numero, alioquin eſſent plures Dij. Idem hic docet Athanaſ. quod docuit *Cyrillus lib.* 10. *in Ioan. cap.* 20. citatus à nobis *Notab. 3.* Cæterũ ſi quis profeſſionẽ fidei æd. tam a Patribus Antiocheni Concilij legat, exponet fortaſſe verbum illud, *Corporaliter*, ab Athanaſ. poſitum, vt ſonat; ſic enim habet profeſſio fidei apud Peltanũ *tom.6. Conciliorum. Confitemur Dominum Ieſum Chriſtum ante ſæcula quidem ex Patre, nouiſſimis vero temporibus per Spiritum Sanctum ex Virgine ſecundum carnem natum:* & infra: *Totum Deo homouſion, & conſubſtantialem, etiam cum corpore, ſed non ſecundum corpus conſubſtantialem; quemadmodum etiam neque ſecundum Diuinitatem hominibus conſubſtantialis eſt, &c.* Quare videtur ille dicere voluiſſe, Chriſtum eſſe homouſion Patri ſecundũ corporalem ſubſtantiam. Ipſe enim, vt teſtis eſt *Nicephor. lib.6. cap.27.* putauit, Chriſtum *communem hominem eſſe, Diuinæ ſubſtantiæ expertem, atque in*

eo

ſo perinde ac in Propheta filium Dei inhabitaſſe. Hæc Nicephorus. Hunc ergo, in quo nō erat ſubſtantia Diuina, facere conſubſtātialem Patri, nihil erat aliud, quam facere Patrem æternum, corporeum, & hominem ſimilem nobis. At fides Catholica iam in Concilio illo Antiocheno, vt cōſtat, quam in Nycæno, Chriſtum Dominū credit homouſion Patri, nō ſecundū humanam ſubſtantiam, ſed tantum ſecundum Diuinam. Quouis modo ex his duobus vſurpauerit Samoſatenus vocem, *Homouſion*, manifeſtum eſt, optimo iure fuiſſe reiectum; quia neque ſunt duæ numero naturæ in Patre æterno, & Filio, neque Filius eſt homouſios Patri ſecundum humanam naturam, ſed ſecundum Diuinam tātum. Hactenus de homouſio. De qua quidem voce Marius Victorinus aduerſus Arium agens lib. 2. prope finē, hęc habet. *Hoc vno id eſt, hac vna voce homouſio omne venenum Ariani dogmatis internecatur. O docti Epiſcopi, O ſancti, O fidem Spiritu confirmantes, O Verbum vere Verbum Dei.* Atque hæc de controuerſia verbali diſputata ſint.

Marius Victorinus quid de Homouſio.

Nūc ſequitur cōcertatio de re ipſa, hoc eſt de Filij Diuinitate. Aggrediamur cōcertationē. Tres præcipue Propoſitiones docebat Arius contra Dei Filiū: Prima erat, Dei Filiū Patri coæternum non eſſe: Habemus hoc ex Epiſt. ipſius Arij ad Euſebium, quam refert, vt diximus ſupra, Theodor. *lib.* 1. *cap.* 3. & Epiphan. contra hæreſim 69 in qua *Alexander, inquit, Epiſcopus omnia mouet, vt nos eijciat ex Vrbe, homines inſontes; quia non aſſentimur ei docenti in hunc modum: Semper Deus, ſemper Filius, ſimul Pater, ſimul Filius, neque indiuiduo aliquo temporis puncto, Deus Pater Filium antegreſſus eſt.* Hæc ille: & infra. Perſequitur. *Nos,* inquit, *quod dixerimus initium habet Filius, Deus autem caret initio.* Hinc apparet, cōtentionem inter Alexandrum, & Ariū fuiſſe primum de æternitate Filij.

Concertatio realis inter Catholicos, & Arianos de Filij Diuinitate.

Arius primo docuit Filium non eſſe æternum.

Primam hanc Arij Propoſitionem impugnarunt Patres his argumentis. Primū affertur ab Athanaſio, de ſentētijs Dionyſi, quo vſus etiam fuerat Tertul. contra Praxeam: nam Filij æternitas ſatis aperte circumſcribitur in omnibus illis locis, in quibus dicitur Chriſtus aut fuiſſe, aut aliquid habuiſſe, vel feciſſe, antequam naſceretur ex Virgine. Nam in Chriſto Domino erat primo corpus, quod non fuit, antequam Spiritus Sancti virtute formaretur ex Virgine. Secundò, erat animus, qui cum ſit actus corporis organici, non ex Theologorum modo,

Probāt Patres Filium eſſe æternum. Argum. I.

ſed

ſed ex Philoſophorum etiam ſententia, nec creatur, nec infunditur, antequam corpus habeat organa. Cum ergo dicant Scripturæ, Chriſtum fuiſſe aliquando Dominum, vel diuitem, & noſtra cauſa factum pauperem, & ſeruum; euidens eſt, eſſe in Chriſto aliam quandam naturam, quæ multo fuerit prius, quã ipſe naſceretur ex Virgine. At hæc natura non poteſt eſſe niſi Diuina, quæ æterna eſt. Loca ſunt iſta 1. *Corinth.* 8 *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui propter nos egenus factus eſt, cum eſſet diues*: & ad *Philippenſ.* 2: *Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens*: & *Ioan.* 6. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius*: & ſimilia.

Argum. II. eiuſdẽ Athan. & Hilarij. Secundum affertur ab eodem *Athanaſ. Orat. 2. contra Arianos*, & ab *Hilario l. 11. de Trinit.* ex omnibus his locis, in quibus Dei Filius dicitur fuiſſe non ſolum antequam naſceretur ex Virgine, ſed *antequam quicquam fieret*; nam ante res creatas nihil erat præter Deum, & Dei æternitatem: quicquid enim creatũ eſt, aut in Mundi principio, aut certe poſt illud principium creatũ eſt; ergo ſi ante Mundi principium Filius iam erat, æternus erat: *Ioan. cap.* 1. *In principio erat Verbum*: quo loco Nazianz. Orat. 2. de Theol. & Baſilius in hæc verba: Per *principium* exponunt æternitatem, vt ſenſus ſit: A principio, hoc eſt, ab æterno erat Verbum: *At S. Hilarius lib. 2. de Trinit.* & *S. Aug. Tract.* 1. *in Ioan.* nomine, *principij*, intelligunt Mundi originem, quæ principium fuit rerum omnium creatarũ: Voluit ergo Ioãnes dicere ex iſtorum Patrum ſententia: cum res omnes à Deo factæ ſunt, Verbum iam erat, ideo æternum eſt. Idem aſſeritur *Ioan.* 17. & alibi: *Clarifica me, tu Pater claritate, quam habui apud te, prius quam Mundus fieret*. Reſpondebant Ariani, vt conſtat ex epiſtola Arii ad Euſeb. & Alexand. Verbum quidem creatum fuiſſe ante Mundum, non fuiſſe tamen æternum. Sed falluntur, non intelligentes Scripturas, quæ vt ſignificent nobis, aliquid fuiſſe æternum, dicere ſolent fuiſſe ante Mundum. Probatur, quia æternus Pater ſine dubio Chriſtum dilexit ab æterno; at, vt indicet hoc nobis Chriſtus *Ioan.* 17. dicit, *Dilexit me ante Mundi conſtitutionem*. Prædeſtinatio, & electio Sanctorũ fuit ab æterno; at, vt indicet hoc nobis Paulus, ad *Epheſ. cap.* 1. dicit, *nos electos à Deo ante Mundi conſtitutionem*. Aduentus Chriſti in mundum decretus fuit ab æterno; & tamen Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 1. dicit Chriſtum fuiſſe præcognitum, vel, vt habet Syrus

Reſpõdẽt Ariani.

Refellitur ipſorum ſolutio.

Syrus.

/rus,prædeſtinatum ante Mundi conſtitutionem; ergo eodẽ
odo, quando dicunt, Filium fuiſſe ante Mundi conſtitutionẽ,
cere volunt, ab æterno.

Tertium affertur *à Baſilio lib* 4. contra Eunomium. Vbi pro-
t æternitatem Filij ex Verbo ſubſtantiuo, quod tribui ſolet
i, quãdo fit mentio creationis; vt ſignificetur, ipſum præfuiſſe
iidem omnibus creaturis, nunquam tamen fuiſſe creatum, ac
oinde æternum eſſe. Ad *Coloſſ. cap.* 1. *Omnia,* inquit, *per ipſum*
in ipſo creata ſunt, & ipſe (loquitur de Filio) *eſt ante omnes,*
ie, vt legunt Arabes, *ante omnia.* Si *Chriſtus, inquit, Baſilius,*
ima creatura eſt, & ex tempore facta, debuit Apoſtolus dicere, &
e factus eſt ante omnia: at cum dixerit, & ipſe eſt ante omnia, oſtẽdit,
ſum quidem ſemper eſſe, creaturam autem factam eſſe: nam vox (Eſt)
n illa (In principio erat Verbum) concordat. Hæc Baſilius. Eandem
ane vim faciunt verba illa Chriſti Domini apud *Joan. cap.* 8.
ntequam Abraham fieret, ego ſum. Vbi conſulto non dixit
hriſtus, *Antequam Abraham fieret, ego factus ſum,* ſed, *Ego ſum,*
oſtẽderet, ſe æternum eſſe: quod notauit *S. Auguſt. Tract.* 43.
Ioan. & Tertul. in lib. de Trinit. Reſpexit ergo, vt multi notarũt,
illud *Exod.* 3. *Ego ſum, qui ſum.* Quo maxime proprie expri-
tur eſſentia, & æternitas Dei.

Quartum affertur à Cyrillo *lib.* 2. *de Trin.* ab Euſebio lib 7. *de*
æparatione Euangelij, & à Chryſoſt. in Oratione, *Quod Chriſtus ſit*
eus, ex omnibus illis locis, in quibus aperte tribuitur illi æter-
tas. S. Cyrillus, & Euſebius afferunt locum *Mich. cap.* 5. qui
Chriſto Domino loquens; *Et egreſſus,* inquit, *eius ab initio:* &
plicans quid intelligat per *initium,* ſubdit, *à diebus æternitatis.*
imũ verbũ hoc loco poſitũ eſt (*egreſſus*) quę vox ſignificat hic
tum, ſeu natiuitatem; eadem quippe voce ad idem ſignificã-
m proxime vſus fuerat: *Tu Bethlehem,* inquit, *paruulus es*
millibus Juda; ex te tamen mihi egredietur, ideſt naſcetur, vt
ponit *Matth. cap.* 2 *qui ſit Dominus in Iſrael.* Secũdũ Verbum
(*à diebus*) vbi ponit dies pro duratione: ſic Daniel Deum vo-
: *antiquum Dierum.* Aliquando hanc eandem Dei durationem
olicat Scriptura non per dies, ſed per annos. *Pſal.* 101. *In gene-*
ione, & generationem anni tui. Et infra: *Anni tui non deficient.*
tiũ Verbũ eſt (*æternitatis*) ideſt durationis illius, quæ neque
incipium, neque finem habet. Senſus ergo totius ſententiæ
, naſciturum eum in Bethlehem eſſe ſecundum carnem, qui

E ſecun-

III. Argumẽtum Baſilij.

Arabes.

IV. Argumentum Cyrill. & Euſebij.

ſecundũ Diuinam Naturam ab æterno natus erat à Patre. Nec dicant Ariani, vocem (*Holam*) ſignificare id, quod æternum eſt, & quod eſt antiquiſſimum, quomodo dicere ſolemus montes æternos; quare ex hac voce hoc loco poſita, euidenter oſtendi non poſſe æternitatem Filij. Nam primo, licet hæc vox vtrumque ſignificet, & quod vetuſtiſſimum eſt, & quod æternum; in qua tamen ſignificatione hic, aut ibi ſumi debeat in Scriptura, ſtandum eſt non propriæ, ſed Patrum ſententiæ: at hic conueniunt omnes, pro vera æternitate ſumi debere. Secũdo, S. Hieronymus in 1. cap. Epiſt. ad Galat. tradit vocem (*Holam*) aliquando ſcribi cum ו. aliquando ſine ו, & quando ſcribitur cum ו, ſignificare ſemper (*æternum*) quando vero ſcribitur ſine ו, ſignificare (*vetuſtiſſimum*) & id, quod eſt longi temporis; apud Micheam autem eſt cum, ו ergo ſignificabit, *æternum*. Hoc diſcrimen, quod S. Hieronym. aſſignat inter æternum, & vetuſtum, in Biblijs Hebraicis, quæ nunc habemus, non eſt perpetuum. Verum, quia Hieronymus totum Vetus Teſtamentũ ex Hebręo in Latinum tranſtulit, & ſingula inſpexit verba, & differentias verborum; ſimile vero valde eſt, cum tradat regulam hanc, in exemplaribus illis Hebraicis vetuſtioribus, & emendatioribus, quæ ipſe in Latinum vertit, hoc diſcrimen fuiſſe perpetuum. Tertio, licet vox (*æternum*) ſignificet aliquando id, quod vetuſtiſſimum eſt, vox tamen æternitatis, quæ ponitur hic, ſignificat ſemper durationem illam infinitam, propriam ſolius Dei.

Epiphan. *S. Epiphan. cont. hæreſ. 69.* affert alium locũ *Prou.* 8. vbi Sapientia: *Dominus*, inquit, *poſſedit me, in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio:* & explicans quid intelligat per *initium*, ſubdit, *Ab æterno ordinata ſum* ἐθεμελίωσε με, *fundauit me.* Nec dicas hic (*æternum*) ſumi pro ſpatio longiſſimi temporis; quia Hebræorum more, quando præcedens verbum dubiæ ſignificationis exponitur per æternum, aut per ſæculum, veram ſignificat æternitatem: ſic fit loco citato Micheæ, & etiã hic, vbi videmus idem à Spiritu Sancto dici de Sapientia, quod dicitur de Patre *Pſal.* 89. Ibi enim æternitas Dei Patris explicatur ſic: *Antequã mõtes fierent, aut formaretur terra, à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus.* Eodem modo explicatur hic Sapiẽtiæ æternitas: *Dominus poſſedit me, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata, ſiue, fundata ſum.* Vtrobique, poſterior ſententiæ pars priorem exponit; ſed ibi per vocem (*ſæculi*) hic

per

per vocem (*æterni*) *S. Athanaſ. Sermon.* 2. *contra Arianos* adfert alium locum ad *Hebr.* 1. vbi Paulus ex *Pſalm.* 44. affert illud: *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi*. Quærimus de quo loquatur Pſalmus. Si de Filio, diſertis verbis vocatur *Deus* : & *Thronus eius, hoc eſt, poteſtas eius, æterna*. Si dicant, eſſe ibi ſermonem de Deo Patre, idem omnino concluditur: nam Paulus locum illum applicat Filio. *Ad Angelos*, inquit, *dicit: Qui facit Angelos ſuos Spiritus &c. ad Filiũ autẽ: Thronus tuus Deus in ſæculũ ſæculi, Virga æquitatis, virga regni tui:* ergo ſicut ex illo loco oſtẽditur Diuinitas, & æternitas Patris; ita etiam, exponẽte Paulo, Diuinitas & æternitas Filij. Denique *S. Cyrillus lib.* 12. *in Ioan.* c. 13. affert alium locum ex 1. *Ioan. c.* 5 *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. Si Chriſtus eſt vita æterna, non poteſt eſſe niſi æternus. *S. Athan.* *S. Cyrillus.*

Eodem pertinent modi loquẽdi, quos Scriptura tribuit Chriſto, vt ex illis colligamus æternitatẽ Perſonæ ipſius: ad *Hebr.* 7. *Chriſtus*, inquit Paulus, *heri, & hodie, & vſque in ſæcula*. Et Ioan. in *Apoc.* toties de Chriſto illud repetit: *Hæc dicit, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*. Hi modi loquendi, & ſimiles, periphraſes ſunt æternitatis: nam cum æternitas omnia complectatur tempora, ſignificari ſolet per tempus præteritum, præſens, & futurum ſimul ſumpta.

Ex aduerſo Arius, & Ariani conabantur oſtendere, Dei Filium non eſſe æternum his argumentis.

I. Qui habet eſſe ab alio, eſt poſterior illo, à quo accipit eſſe: ſed Filius accipit eſſe à Patre, qui ſolus eſt ingenitus, Filius autem eſt genitus; ergo poſterior Patre. Hanc affert ipſe Arius rationem in Epiſt. ad Euſebium. Reſpondeo, hoc argumentũ magnum attulit Arianis partibus incrementum: nam, vt teſtatur *S. Athan. Orat.* 2. & 4. *contra Arianos*, conſueuerant ipſi hoc modo Philoſophari cum mulierculis. *Dic mihi, habuiſti ne tu filium, antequam pareres? nullo modo; ergo tu maior es natu, quam filius tuus; quis dubitat? at iſti dicunt Patrem habuiſſe filium, antequam gigneret, nec eſſe maiorem ætate filio, quem genuit.* Ita ne, inquit Athanaſ. interrogemus etiam nos architectum aliquem, hoc modo. *Potes ne tu domum ædificare ſine materia? Reſpondebit, non poſſum: non potes tu? ergo neque Deus potuit mundum ex nihilo condere ſine materia?* O perditos nebulones, exclamat ipſe, quamuis modeſtiſſimus, mulierculas confertis cum Deo? *Deus mundum condidit, ſed vt Deus, non vt humanus Architectus; & filium genuit, non vt* *Arianorũ argumenta contra æternitatẽ Filij.* *I. Argum.*

muliercula, ſed vt Deus, hoc eſt, longe diuerſo modo, quam iſta.

Solutio Athanaſ. & Baſilij. Reſpōdet ergo ipſe ad argumentum Oratione illa ſecūda. & *Baſilius lib. 2. contra Eunomiū*, eſſe quidem à Patre Filium, & tamē non eſſe poſteriorem Patre; quemadmodum ſplendor eſt à Sole, nec tamen poſterior eſt Sole: quo exemplo vtitur Tertullianus *in lib. contra Praxeam*. De ratione ergo illius, quod ab æterno producitur, id ſolum eſt, vt non exiſtat niſi à producente; vel vt naturæ quodam ordine conſequatur ex alio, non autem vt duratione ſit illo poſterius: quare inquit Athan. *petendum ab illis eſt, vt quemadmodum interrogauerunt mulieres de ratione temporis, ita Solem quoque interrogent de ipſius iubare, & fontem de ipſius aqua; vt addiſcant, quod tametſi iſta genita, prolesq; ſint, vna tamen cum illis coexiſtere, vnde originem naturamq; traxere.* Accidit autē, vt productum ſit poſterius producente. Primo, vel quia producens liberè producit, quando ſcilicet vult: ſic aſſerebat Arius in epiſtola ad Alexand. productum fuiſse à Patre Filium. Secundo, vel quia producens, licet naturaliter agat, non habet tamen totam ſuam perfectionem ad agendum, ſtatim ac eſt, ſed paulatim acquirit, & tunc demum agit. Vel tertiò, quia producit actione ſucceſſiua; vnde fit, vt productum ſit duratione poſterius producente: at in productione Filij & Spiritus Sancti, nihil omnino reperitur ex his: nam Perſona producens, naturaliter producit, non liberè: præterea, eſt ab æterno perfecta ad producendum; denique, actione producit, quæ momento completur, nec tribuit illi aliud eſse, quàm ſuum: nam ex multorum ſententia creatura non poſset ab æterno produci, (a) cum non poſſit accipere illud idē eſse quod habet creator, ſed aliud. Quare nulla eſt ratio, cur Perſona producta nō poſſit eſse coæterna ſuo principio producenti. Hanc rationem a Patribus illis inſinuatam, clarius & fuſius affert *S. Thom. p. p. q* 42. *a* 2.

(a) Bonau. Marſil. & Argent. Philiponus etiam contra Proclum, & alij.

II. Argum. II. Pater vel produxit Filium iam exiſtentem, vel nondum exiſtentem: primum dici non poteſt; quia quod exiſtit, non producitur, ſed productum iam eſt. Si vero dicatur ſecundū; ergo, inquit, Arius, fuit aliquando tempus, quando Filius non erat; ergo non eſt Patri coæternus.

Soluitur ab Epiphan. Huic argumento, quod eſt confirmatio quædam prioris, reſpondet Epiphan. *contra hæreſ. 69.* Deum Patrem ſemper fuiſse, quia Deus erat; de eſsentia autem Dei eſt, eſſe: *Et qualis, inquit, erat natura, talem etiam genuit Filium: ergo genuit ipſum ſemper exiſtentem,*

entem; alioquin non genuiſſet Filium, qualis ipſe erat: ſicut enim de eſſentia Dei Patris eſt, ſemper eſſe, ita eſt etiam de eſſentia Filij, ſi ſit ſimilis Patri: ergo ſicut Pater ſemper fuit, ita etiam Filius.

Inſtant Ariani.

Sed dicebant Ariani. Ergo hæ duæ Perſonæ habent eam relationem inter ſe, quam habent duo fratres, non quam habent Pater, & Filius.

Reſpond. Epiphan.

Negat Epiphan. quia licet tam Pater quam Filius ſemper fuerint, Filius tamen fuit à Patre; at vnus frater non eſt ab alio. Verba Epiphanij ſunt hæc. *Genuit autem ipſum ſemper exiſtentem, non confratrem, ſed ex ipſo genitum, ſimilem ipſi, ſecundum Naturam, Deum verum ex Deo vero.* Eodem modo reſpondet *S. Baſilius lib. 2. contra Eunom.* Patrem genuiſſe Filium exiſtentem, ſed non aliunde, quam per generationem à ſe. Id quod nos decipit, eſt; quia concipimus ante Filij generationem inſtans aliquod verũ, in quo nondũ fuerit Filius, & deinde per generationem à Patre cęperit eſſe: ſed corrigenda eſt hæc cõceptio humanæ mentis: nam productio illa eſt ab æterno, & ſine nouitate eſſendi, vt loquuntur in ſcholis.

III. Argumẽtum.

III. Generatio Filij, vel eſt abſoluta, vel non: ſi non eſt abſoluta, ergo adhuc eſt imperfecta: ſi abſoluta, ergo finem iam habuit: at quod habuit finem, habuit etiam principium; ergo generatio Filij principium habuit, ac proinde non eſt æterna, nec Filius æternus.

Soluitur à Baſil. & Naziã.

Reſpondet primo *S. Baſilius lib. 4. contra Eunomium*, & *Nazian. Orat. 3. de Theolog.* non ſequi, ſi abſoluta eſt generatio, ergo habuit initium: ſicut è contra multa ſunt, quæ finem non habent, & tamen habuerunt initium, vt Angelus, & anima rationis capax. Reſpondet ſecundo, generationem Filij, nec finem iam habere, nec vnquam habituram eſſe: non quod perfecta nondum ſit, ſed quia cũ perfectiſſima ſit ab æterno, eodem modo vſque in æternum perſeuerat: nam generatio Filij paſſiue ſumpta, eſt ipſe Filius, vt eſſe habet à Patre; actiuè eſt ipſe Pater, vt intellectu ſuo producens Filium: quare ſicut hæ relationes in Patre & Filio ſempiternæ ſunt, & perpetuæ, ita etiam ſempiterna & perpetua eſt generatio Filij. Recte ergo dicit *Orig. in cap. 1. Ioã.* Filium ſemper à Patre generari. Idem habet *S. Athan. in Expoſitione fidei.* Exempli cauſa, ſi ſemper duraret viſio parietis, diceretur paries perpetuo videri: non quod imperfecte videretur

Dici poteſt ex Orig. & Athanaſio, Filium ſemper à Patre naſci.

prius,

prius, ſed quia viſio parietis perfecta, & tota ſimul, perpetuò tamen eadem maneret. Quamuis autem tuto dici poſſit, Filium perpetuo naſci ob allatam rationem, & natum eſſe ob perfectionem generationis illius; magis propriè tamen dicemus cum *S. Auguſt. in Pſalm* 2. & *Gregor. lib.* 29. *Moral. cap.* 1. Filium ſemper natum eſſe, vt vox illa (*ſemper*) indicet æternitatem generationis, & vox (*natum*) perfectionem geniti: quod notauit etiam *S. Thom p.p. loc. citat.*

Rectius tamẽ dicimus ex Auguſtin. & Greg. ſemper natum eſſe.

IV. Argumentum ex Scripturis.

Prouerb 8.

IV. Idem probabãt pluribus Scripturæ locis, in quibus aſſeritur Filius eſſe creatus, aut factus: at quod creatur, vel fit, antequam creetur, vel fiat, non eſt; ergo Filius non eſt æternus. Scripturæ ſunt iſtæ. *Prouerbiorum* 8. *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* Ad *Coloſſ. cap.* 1. Chriſtus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ.* His duobus locis dicitur, *creatus:* alibi dicitur *factus: Ioan. cap* 1. *Hic eſt, qui poſt me venit, & ante me factus eſt.* Vbi apparet, Ioannem Baptiſtam nõ poſſe loqui de Chriſto, quatenus homo erat; quia quatenus homo, factus erat poſt ipſum. Eadem vox ſæpe alias tribuitur Chriſto. Ad *Galat.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Ad *Hebr.* 1. *Tanto melior Angelis effectus.* & *cap.* 3. *Conſiderate Pontificem confeſſionis noſtræ, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum. Actor. cap.* 2. *Certiſſimè ergo ſciat omnis domus Iſrael, quod Dominum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos occidiſtis.* Denique Chriſtus ipſe *Ioan.* 8. interrogatus quis eſſet, reſpondit, *Principium, qui & loquor vobis,* hoc eſt, *Principium viarum Domini*, vt dicitur *Prouerb.* 8. hoc eſt, prima creatura.

Ad Coloſ. 1. *Ioan.* 1. *Ad Gal.* 4. *Ad Heb.* 1. & 3. *Actor.* 2. *Ioan.* 8.

Ad locum Prouerb. 8. *varia ſolutio Patrum.*

Ad primum locum *Prouerb.* 8. non vno modo reſpondent Patres; nam in Diſputatione de Trinit. etſi innumera teſtimonia Scripturarum afferebantur vtrinque, & à Catholicis, & ab Arianis; tamen habebant vtrique ſuum quendam locum, in quo quodammodo caſtrametabãtur. Catholici inſiſtebant in primo illo capite Euangelij Diui Ioan. *In principio erat Verbum*, &c. Ariani in hoc loco *Prouerb.* 8. Ad hunc ergo locum reſponderunt aliquando Patres, ibi non eſſe ſermonem de Filio Dei: ſic *Epiphan. contra hæreſ.* 69. & *Nazianz. Orat.* 4 *de Theolog.* coniectura eſt, quod cum Apoſtoli & Euangeliſtæ ſoleant accommodare ad Chriſtum loca Veteris Teſtamenti, hunc locum nemo illorum ad Chriſtum accommodauerit. Secundo, aliquando dixerunt,

xerunt: Eſto, loquatur de Chriſto, eſt tamen hic locus in Prouerbijs, hoc eſt, in Parabolis; ex Parabolis autem non poſſe ſumi firmum argumentum ad faciendam fidem Dogmatis. Sic *Athan. Sermon. 3. contra Arianos, Epiphan. in Anchorato, Cyril. lib. 5. Theſauri cap. 4* Tertio, aliquando dixerunt, intelligendum eſſe de Chriſto, quatenùs homo erat: ſic *Athanaſ. Sermon. 3. contra Arianos, Epiphan. contra hæreſ. 69. Nazian. in Oratione de Diuinitate Filij.* Inſtabant Ariani, non poſſe intelligi locum de Humana Natura Chriſti, quia dicit, *Creauit me, antequã quicquam faceret à principio:* at Natura Humana Chriſti non eſt facta, antequã quicquam fieret. Reſpondebant aliqui, locum eſſe intelligendum per anticipationem: nam etſi Natura Humana Chriſti non eſt creata ab initio re ipſa, eſt tamen creata, prædeſtinatione, & conſilio Dei, vt eſſet inſtrumentũ noſtræ redemptionis; quemadmodum etiam in *Apocal. cap. 13.* dicitur, *Agnus eſſe occiſus à conſtitutione mundi.* Quarto, aliquando cominus quodammodo manus cõſerentes, dixerunt, non recte verti locũ illũ per Verbũ (*creauit*) quia Hebræa vox eſt קנא *Chanà* non ברא *Barà*: at *Chanà*, ſignificat *excludere*, ſicut aues pullos excludunt; ſenſumq; eſſe valde propriũ ad exprimẽdã puritatem Diuinæ Generationis. Nam quemadmodum pulli non ſicut alia animalia per partum, & corruptionem, ſed naturali quodam calore excluduntur ex ouis; ita Filius Dei non per corruptionem ſubſtantiæ generatus eſt ex Patre, ſed ſimpliciſſime & puriſſime ex illius natura propagatus. Sic *Epiphan. loc. citat.* Quinto reſpondent, vertendum fuiſſe (*poſſedit*) non (*creauit*) Poſſedit autem, idem eſse, ac *genuit:* ſicut in 4. c. *Gen.* dicitur: *Poſſedi hominem per Deum*, id eſt, *genui;* & eſt idem verbũ *Chanà*. Sic *Baſil. l. 2. cont. Eunom.* & *Epiph. loc. cit.* Præterea verbum (*poſſedit*) habet hanc vim, vt ſignificet ſummam coniunctionem inter Patrem & Filium. Dicimus enim, nos poſſidere ea, quæ nobis ſunt coniunctiſſima. Itaque nihil eſt aliud hoc loco (*poſſedit me*) quàm quod habet *Ioan. cap. 1. Verbum erat apud Deum:* & : *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris* Et quidẽ ſi ſpectemus Salomonis ſcopum *Prouerb. 8.* magis illi conuenit verbum, *poſſidendi*, quam, *creandi*. Volebat enim Salomon oſtendere, omnia condita à Deo ſapienter, vt eſt in Pſalm. *Omnia in ſapientia feciſti;* Ideo inducit Sapientiam dicentem, ſe habitam, ſeu poſseſsam fuiſse à Deo, *antequam quicquam faceret:* & ita veriſimile eſt, vertiſse 70. ἐκτησέ με per η ſed,

quia

quia eodem modo pronunciatur ι & η, aliquos legiſse ἔκτισέ με per ι, hoc eſt, *creauit me*. Cæterum, quia Eccleſ. 24. dicit Sapientia, *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, & infra, *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, neque aliter hęc duo loca legi poſſe videntur; idcirco reſpondet, *S. Hilarius in lib. de Synodis*, non longe ab initio, Filium in Scripturis interdum dici, *genitum*, interdum vero, *creatum*; vt vtroque vocabulo melius explicetur proceſſio eius à Patre, quæ vno vix poſſet: nam proceſſio illa, *generatio* dicitur, quæ eſt communicatio naturæ, quia per eam communicat Pater Filio eandem eſsẽtiam, quam ipſe habet: rurſus, quia in illa proceſſione nulla ſupponitur materia, quam noſtræ generationes ſupponunt; inde eſt vt vocetur, *creatio*, quæ nihil omnino ſupponit præter potentiam producentis. Addit *S. Athanaſ. Serm. 3. contra Arian. circa initium*, generationem vocari interdum *creationem*, & promiſcue aliquando vſurpari has duas voces (*generare*) & (*creare*) ſicut interdũ ſeruis tribuimus nomen filiorum, & filios aliquando *ſeruos* vocamus. Sic 3. *Reg. cap.* 1. Berſabeæ, loquens cum Dauid, vocat Salomonem *ſeruum* eius; cum tamen re uera filius eſſet: & vſitato genere ſermonis dicimus *procreare filios*; cum tamen filij vere gignantur. Atque hæc de loco Prouerbiorum ſatis.

Ad locum c. 1. ad Coloſſ. 1. Solutio Athan. & Cyrilli. Ad ſecundum locum ex epiſtola ad *Coloſſ. cap.* 1. reſpondet primo *Athanaſ. Sermon. 1. contra Arian.* & *Cyrillus lib. 10 Theſauri cap. 4.* eſſe ſermonem de Chriſto, quatenus homo erat. Vrgebant Ariani. Chriſtus, vt homo erat, non erat primogenitus omnis creaturæ, quia non erat natus ante omnem creaturam. Reſpondet Cyrillus, nomine *creaturæ* intelligi homines, vt Marci vltimo, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id eſt omnibus hominibus; vocari autem Chriſtum primogenitum omniũ hominum, non quod natus ſit prior omnibus, ſed à proprietate quadam, quam habet primogenitus, vt ſit ſcilicet præcipuus inter omnes fratres: addamus nos; & quia à primogenito reliqui fratres pẽdent. Cum ergo Natura Humana Chriſti inter omnes creaturas humanas eſſet præſtantiſſima, & ab ipſo penderet ſalus cæterorum hominum; hinc factum eſt, vt vocetur primogenitus omnium hominum, & dicatur *Agnus occiſus ab origine mundi*. Secundò, *2. Baſilij.* Reſpondet *S. Baſilius lib. 4. contra Eunom.* Filium dici primogenitum omnis creaturæ, hoc eſt, ab æterno genitum, ante omnem creaturam, & ex eodem; quia eſt cauſa

pro-

productiua omnium creaturarum; ſicut etiam dicitur, *primogenitus mortuorum*, quia eſt cauſa reſurrectionis mortuorum: quam expoſitionem confirmant verba, quæ ſequuntur: *Per ipſum enim condita ſunt vniuerſa, &c.* Arabes pro (*primogenito*) legũt, (*becron*) quæ vox ſignificat principium & originem; & ſenſus eſt idem cum illo, quem attulit Baſilius, Filium eſſe principium, originem, & authorem omnium creaturarum, vt dicitur *Ioan.* 1. *Omnia per ipſum facta ſunt:* eodem modo exponit S. *Ambroſius lib.* 4. *de Fide cap. quarto.* *Textus Arabum.*

Ad locum *Ioan.* 1. reſpondet S. Auguſtin. ibidem, & *S. Ambroſ. lib* 4. *de Fide cap.* 5. idem valere illud (*Ante me factus eſt*) ac, mihi prælatus eſt: & cauſam ſubdit Baptiſta; *quia*, inquit, *ante me erat;* quare Chriſti Diuinitas, & æternitas optime probari poteſt ex hoc loco. *Ad locum Ioan.* 1.

Ad locum epiſtolæ ad *Galat.* 4. reſpondeo, idem eſt dicere, factum eſſe ex muliere, ac factum eſſe hominem: quod dixit etiã *Ioan. cap.* 1. *Verbum caro factum eſt;* aſſumendo nimirum Humanam Naturam in ſua Hypoſtaſi. *Ad locum ad Galat. cap* 4.

Ad illud *ad Hebr.* 1. reſpondet primo *S. Athan. Serm.* 3. *contra Arianos*, & *Epiphan. contra hæreſ.* 69. eſſe ibi ſermonem de Chriſto ſecũdum Humanam Naturam; dici autem factum meliorem Angelis, hoc eſt, declaratum, & manifeſtatum longe præſtantiorem Angelis. Alij ſimplicius reſpondent, Filium non dici abſolute, *factum*, ſed factum præſtantiorem Angelis, hoc eſt prælatũ Angelis; ſicut *Ioan. cap.* 1. dixit, *Ante me factus eſt*, ideſt, mihi prælatus eſt. Syrus omnem contentionis occaſionem adimit: legit enim per Verbum hoc modo: *Et tanto excelluit Angelis.* Eodem modo Arabes: *Et præſtitit Angelis;* maieſtate ſcilicet, & dignitate. *Ad locum ad Heb. cap.* 1.

Ad illud ex *cap.* 3. *ad Hebræos*, conſtat ex communi omnium conſenſu loqui Paulum de Chriſto Pontifice: & ſenſus eſt, Chriſtum à Patre eſſe factum Pontificem, ſecundum Humanam ſcilicet Naturam. *Ad locum ad Hebr. cap.* 3.

Ad illud *Actor.* 2. duplex eſt reſponſio. Prima dicit, Ieſum factum à Patre Dominum, & Chriſtum poſt reſurrectionem, hoc eſt, declaratum à Deo Patre pro Domino, & Redemptore; ita vt non ſit aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Idem plane habet Paulus ad *Philip.* 2. *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, &c. Propter quod Deus exaltauit illum, & de-* *Ad locum Actor cap.* 3. *Prima ſolutio.*

Secunda ſolutio. *dit illi nomen, ſuper omne nomen, &c.* Secunda, accipit nomen, (*Factum*) proprie; & dicit, ſermonem eſse de Incarnatione Verbi; & ſenſus eſt ex *Athan. Serm. 3. contra Arianos*, & *Cyril. lib. 9. Theſaur. cap. 3.* factum eſse à Deo, non quidem Verbum ipſum, ſed vt ille homo, qui dicitur Ieſus, eſset ſimul, & Dominus, & Chriſtus; per vnionem nimirum illius Humanæ Naturæ cũ Hypoſtaſi æterna Verbi; quod eſt, Verbum factum eſse hominem. Non fuit ergo neceſse vt hoc fieret, produci in tempore Hypoſtaſim Verbi; ſed ad hoc ſatis fuit, vt Hypoſtaſis æterna Verbi Naturam Humanam aſsumeret in tempore.

Ad locum Ioan. 8. Prima ſolutio Cyrill & Ambroſ. Denique ad locum *Ioan.* 8. reſpondent *Cyril. lib. 5. in Ioan. cap 24. Ambroſ in Examerõ cap.* 4. ex hoc ipſo verbo colligi æternitatem Filij; quia ſi Filius eſt principium; ergo caret principio: quod intelligendum de principio durationis: nam vt ijdem Patres monent, Pater quod ad originem pertinet, principium eſt Filij, cui eſse per generationem tribuit. *Secunda Solutio.* Cæterum huius loci alius eſt ſenſus, quam quem Catholici, quemque Ariani ſequebantur: eſt enim Græcè τὴν ἀρχὴν, in accuſatiuo caſu; & idem valet Græca phraſi quod (*à principio*) Senſus ergo eſt: Sum illud ipſum, quod à principio, ſiue ſemper dixi vobis: Dixi perpetuo vobis, me eſse Chriſtum, ſeu Meſſiam, & Dei Filium, hoc ipſum ergo ſum. *Arabes.* Arabes non habent hic nomen, (*principij*) ſed verbum (*incipiendi*) legunt enim ad hunc modum: Licet cæperim loqui vobis, multa tamen habeo adhuc de vobis dicere, & iudicare. Quare ex Arabum ſententia, non videtur voluiſse Chriſtus reſpondere quis eſset; ſed potius videtur conqueri voluiſse, ſe importuna interrogatione impediri, quo minus poſset abſoluere quod dicere incæpiſset; cæperat enim Dominus dicere: *Vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo: dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris.* Hic cum importune interrogaſsent Iudæi, *Tu quis es?* Reſpondit Chriſtus: Licet cæperim loqui, nondum tamen abſolui; ſed habeo adhuc multa de vobis dicere & iudicare; importune ergo me dicentem adhuc interpellatis. Sed quocunque modo interpretemur nomen (*principij*) nullo modo fauet Arianis.

Secunda Arij Propoſitio, Filium Dei eſſe creaturam, præſtantiorem cæteris. Secundo aſſerebant Ariani, Dei Filium eſse creaturam, ſed lõge præſtantiorẽ cæteris, vt ipſemet Arrius ſcribit in Epiſt. ad Alexandrum. Meminit eiuſdem epiſtolæ *Athan. ſerm. 3. contra Arian.* Vbi *ſcripſerunt*, inquit, *ad B. Alexandrum in hæc Verba:*

Crea-

Creatura eſt, ſed non vt vlla ex rebus creatis. *Et in Diſp. de Trinit.* loquens de Filio: *Deus eſt*, inquit, Arius, *ſed creatus à Deo*. Et hæc quidem Propoſitio ſequebatur ex priore; nam ſi Dei Filius non eſt æternus; ergo non ſemper fuit; ergo aliquando creatus, & factus eſt.

Hanc etiam Propoſitionem, & falſam, & hæreticam eſſe oſtendunt Patres multis rationibus. *Oppugnatur à Patribus hæc Propoſitio.*

Prima continet omnia illa Scripturæ Loca, in quibus aperte Filius vocatur *Deus*. Primus locus affertur ab õnib⁹ Patribus Nicæni Concilij. *Ioan.* 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ordo autem Verborum eſt hic. *Et Verbum erat Deus:* ſicut alio loco ait: *Spiritus eſt Deus*, ideſt, Deus eſt Spiritus. Reſpondent Ariani ad hunc locum, Primo nõ dici, Verbũ eſſe Deum, ſed Deum eſſe Verbum. Verum quocunque modo verba legantur, eandem omnino vim faciunt; nam ſi legamus: *Et Verbum erat Deus:* nil poteſt clarius dici; ſi vero legamus, *Et Deus erat Verbum;* manifeſtum etiam eſt, Ioannem loqui de eodem Deo, de quo loquutus erat prius: loquutus autem erat de vero Deo: ergo verus Deus erat Verbum, & per conſequens, Verbum erat verus Deus. Syrus ad maiorem emphaſim addit hic (*ipſum*) *Et Deus erat ipſum Verbum.* *Reſponſio prima Arcanorum Confutatur.* Reſpondent Secundo, nomen (*Deus*) cum tribuitur Verbo, non habere Græcum articulum; habere autem, cum enunciatur de Patre: ea re indicari, Patrem eſſe verum Deum, Filium non item. Sed oſtendit *Chryſoſt. Hom. 3. in Ioan.* in Scriptura ſæpe poni, *Deum*, pro Patre ſine articulo; ad *Rom.* 1. *Prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Ibidem: *Gratia vobis, & pax à Deo noſtro:* ad *Phil.* 2. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* His omnibus locis, vt alia plura omittamus, nomen Dei tribuitur Patri; & tamen ſine Græco articulo: imo in hoc eodem c. 1. Ioannis, bis nomen Dei enunciatur de Patre, & ſine articulo. *V. 6. Fuit homo miſſus à Deo,* & infra *V.* 18. *Deum nemo vidit vnquam.* Econtra vero hoc idem nomen tribuitur interdum Filio cum Gręco articulo *Ioan. c.* 5. *Vt ſimus in vero Filio eius; hic eſt verus Deus.* & *ad Tit.* 2. *Expectantes beatam ſpem, & aduentũ gloriæ magni Dei.* *Reſponſio ſecũda Arianorũ confutatur.* Vtrobique ponitur articulus: & tamen eſt ſermo de Filio. Cęterum ſi lis adhuc ſit inter Catholicos & Arianos quid ſenſerit B. Ioannes hoc loco; arbiter accedat Amelius Platonicus, ethnicus homo, & Plotini diſcipulus; is enim, cum hęc verba *Amelius Platonicus quomodo B. Ioannis Verba intellexerit.*

Ioannis legiſset: *In Patre erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum; per Iouem*, inquit, *quod barbarus iſte* (B. Ioãnem intelligit) *Verbum exiſtimat apud Deum fuiſſe, & Deum eſſe.* Refert Amelij verba *Viues in Annotat. ad l. 10. de Ciui. c. 29.* Sed de Amelio dicemus iterum *lib. 3.*

Secundus locus affertur ab *Athan Orat. 3 cont. Aria.* & ab *Hila. l. 7. de Trinit. ex cap* 20. *Io.* Vbi Thomas: *Dominus*, inquit, *meus, & Deus meus.* Hic aperte S. Thomas Chriſtũ vocat nõ modo Dominũ, ſed Deum etiam ſuum; ergo eſt verus Deus. Dicebant quidam, hæc verba non ad Chriſtum, ſed ad Patrem referenda eſse, & exclamaſse Thomam, vt fieri ſolet in rebus, quę pręter expectationem accidunt: O Deus, quid video, quid audio? quę reſpõſio dãnatur in Quinta Sinodo. *Act. 3 c. 11.* ſub anathemate, & merito; nã cõmendat Chriſtus hoc loco Thomã, non quod Patrem, ſed quod ſe Deum confeſsus erat: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Deinde exclamationi deſeruit, ὦ non ὁ: & hic eſt ὁ, non ὦ; non eſt ergo exclamatio, ſed oratio indicatiua; & ὁ, eſt articulus appoſitus, tam Domino, quam Deo: ὁ κύριός μου, ϗ ὁ θεός μου: vt indicet, ſermonem eſse de vero Domino, & Deo, ſicut notarunt hoc loco Cyril. & Theoph.

Tertius locus affertur ab eodem *Athan. ſerm. 2. cont. Arianos ad Rom. 9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula:* quem locum ad idem probandum ante Athanaſiũ attulerunt *Tertul. l. cõt. Praxeã*, & *S. Iren. l. 3. cõt. Hær. c. 18.* Solus Eraſmus in Annotationibus, hunc locum ait non ſatis eſse firmum ad probandam Chriſti Diuinitatem: quia ſi ponatur, inquit, punctum poſt illud (*ſecundum carnem*) quod ſequitur, *Qui eſt ſuper omnia Deus, &c.* intelligi poterit non de Chriſto, ſed de Deo Patre. At inprimis nunquam in præcedentibus verbis illius Capitis mentio fit Dei Patris, ſed tantum Chriſti; qua ergo ratione referri poterit illud (*ſuper omnia Deus*) ad Deum Patrem? Præterea omnes Codices tam Græci, quam Latini, tam Syri, quam Arabes poſt illud (*ſecundum carnem*) virgulam habent, non punctum; & ita legunt omnes Patres exponentes locum illum. Vnde ergo educit Eraſmus hoc punctum? Secundo, inquit Eraſmus, vocula (*Deus*) ſuperaddita fortaſſe eſt textui: non enim habetur apud Hilarium *Pſa, 132.* nec apud *Cypr. l. contra Iudeos c. 6.* quibus locis referunt hoc teſtimonium. Sed Primo, licet in nullo textu haberetur vox illa

(*Deus*)

Deus; quia tamen illud *(Qui eſt ſuper omnia)* eſt periphraſis Dei, ſatis ex illa poſſemus oſtendere, Chriſtum eſſe Deum: Cæterum habetur in omnibus textibus, Latino, Grçco, Syro, & Arabo: habetur apud omnes Patres: & præter iam allatos, apud *Auguſtin. lib. 3. de Ciuit. cap. 13. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 5. Greg. in Homil. 8 in Ezechiel. Cyril. lib. 1. Theſaur. cap. 5.* & apud omnes Commentatores huius loci, Origenem, Theodoretum, Chryſoſtomum &c. Habetur etiam *apud S. Hilarium*, quem pro ſe citat Eraſmus, *lib. 4 & 8 de Trinit.* & apud *Cyprianum*, etiam in emendatis Codicibus. Denique, ſi, quia ſemel breuitatis cauſa præterit Hilarius vocem *(Deus)* eſt addita textui; ergo, quia ibidem præterit alia duo verba (*ſecundum carnem*) erunt addita textui: quis credat! Verum ne detorqueri poſſint ad Patrem teſtimonia, quæ intelligi debent de Filio, afferunt Quarto loco Patres plures Scripturas, quæ conuenire non poſſunt niſi Filio; & tamen in illis clare vocatur *Deus.* Proferamus Scripturas. Quis de cœlo deſcendit in mundum, & nobiſcum verſatus eſt? Pater, an Filius? quis ſanguinem fudit? quis mortuus pro nobis eſt, Pater, an Filius? quis venturus eſt Iudex viuorum, & mortuorum, Pater an Filius? nemini dubium quin Filius: at *Baruch. cap. 3.* eum vocat *Deum*, qui venit in mundum, vt verſaretur nobiſcum. *Hic, inquit, eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Affertur locus hic ab *Hilario lib. 5.* de Trinitat. ſub finem. *Paulus Actor cap. 20.* Deum appellat eum, qui ſanguinem pro Eccleſia fudit. *Poſuit vos, inquit, Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* S. *Ioan. in Epiſt. 1. cap. 3.* Dei nomen tribuit ei, qui pro nobis mortuus eſt. *In hoc*, inquit, *cognouimus caritatem Dei, quia ille pro nobis animam ſuam poſuit.* Syrorũ etiam textus antiquiſſimus in ſecundo cap. Epiſtolæ ad Hebr. Vbi nos habemus: *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, & eſt ſermo de Chriſto Domino, hoc modo legit. *Ipſe enim Deus per gratiam ſuam propter vnum quemque hominem guſtauit mortem.* Quid potuit dici clarius? Hæc duo loca afferuntur ab omnibus Commentatoribus illorum locorum. Ad *Tit. 2.* dicitur, eum, qui venturus eſt Iudex, magnum eſſe Deũ: *Expectantes*, inquit, *beatam Spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Affertur hic locus ab Athan. in lib. de Communi Eſſentia Diuinitatis. Denique, vt nullus poſt hac Arianus Chriſti Diuinitatem

Quartus locus continet plures Scripturas.

tem

tem in dubium reuocet, clamat *Iſaias cap.7.* eum, qui pro nobis non horruit Virginis vterum, appellari debere *Nobiſcum Deus.* Ecce, inquit, *Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, ideſt nobiſcum Deus. Affert hunc locum *Athan. Serm.2.contra Arianos*. His teſtimonijs conuicti Ariani, dicebant, vt teſtis eſt S. *Hilar.lib.7.de Trinit.* Chriſtum appellari quidem *Deum*, in Scripturis; non abſolute tamen, ſed eo modo, quo Moyſes appellatus eſt *Deus Pharaonis Exod.cap.7.* & vt viri ſancti vocantur Dij *Pſalm.81. Ego dixi Dij eſtis.* Sed acute vrget Hil. Moyſen non appellatum fuiſſe abſolute *Deum*, ſed datum Pharaoni pro Deo: *Dum timetur, inquit, dum oratur, dum punit, dum medetur.* Alij dicunt, cum ibi non ſit nomen יהוה *Iehoua*, ſed ארני *Adonai*. quod nō tātum ſignificat Deū, ſed magiſtrum, & interpretem, ſenſum eſſe: Poſui te magiſtrum Pharaonis: & ſic exponit Chaldæus Interpres: ſignificat etiam vox illa nuncium. Idcirco Rabbi Abraham, exponens hunc locum, *Deſtinaui te, inquit, nuncium ad Pharaonem.* Alij *Deum Pharaonis*, exponunt, vt opinione tantum Pharaonis Moyſes Deus fuerit, concepta ex multitudine miraculorum, quæ Moyſes patrauit: quo ſenſu Dixit Poeta, loquens de Auguſto; *Namque erit ille mihi ſemper* Deus. At Chriſtus vocatur abſolute Deus, & Deus cum articulo, quem tantopere faciunt Ariani, & *verus* Deus, & *magnus* Deus, vt vidimus. Ad *Pſal.81.* reſpondet S. Hilarius, ex eodem loco ſatis aperte colligi, ſanctos viros non appellari vere Deos: hanc enim vim habet illud (*Ego dixi*) vt ſignificetur, illos non eſſe natura Deos, ſed beneficio tantum Dei ornari hoc nomine.

Arianorum euaſio ex Hilario. Confutatur ab eodem Hilar.

Secunda ratio continet illa omnia loca, in quibus tribuuntur Filio proprietates, quæ tribui ſolent ſoli, & vero Deo: ergo eſt verus Deus, non creatura. Afferamus ex multis pauca. Dei proprietas eſt, vt non mutetur: & Paulus ad *Hebr.1.* tribuit Immutabilitatem Filio: *Ad Filium autem*, inquit, *Thronus tuus* Deus: *&c. Et tu in principio Domine terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es,* & *anni tui non deficient*. Affert hunc locum Athanaſ. Serm.2. contra Arianos. Proprietas Dei eſt *Immenſitas: & Baruch.cap.3.* Immenſitatem Filio tribuit. *Magnus eſt*, inquit, *& non habens finem: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Argumētum Secundum contra Aria. ex proprietatibus Dei, quæ tribuuntur, Chriſto.

eſt. Affert hunc locum *S. Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 26* Proprietas Dei eſt *Aeternitas:* & Scripturæ ſæpe tribuunt Aeternitatem Filio, vt copioſe oſtendimus paulo ante. Proprietas Dei eſt *Summa Sapientia:* & Chriſto tribuitur *Joan. vltimo* Summa Sapientia: *Domine tu omnia noſti*. Et ad *Colloſſ. cap. 2. In quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Afferunt hunc locum omnes fere Patres. Proprietas Dei eſt *Omnipotentia: Et cap. 11. Apocal* Filio tribuitur Omnipotentia: *Hæc ait Deus Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*. Ibidem appellatur *Deus Omnipotens: Gratias tibi agimus* Domine *Deus omnipotens, qui accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti*. Affert hunc locum *Athanaſ. Serm. 2. contra Arianos* Et *cap. 5. Joãnis*. Chriſtus parem ſe facit in potentia Patri: *Quæcunque* inquiens, *Pater facit, & hæc Filius ſimiliter facit*. Proprietas Dei eſt, vt ſit *Summũ* & *Præſtantiſſimum Ens*, quod rebus omnibus præſtat, & ratione cuius titulum habet Regis Regum: at Chriſto tribuitur *Apocal.* 17. titulus *Regis Regum*: Huc etiam pertinet argumentum Chriſti *Matth. 22.* vbi de ſe loquens: *Si Chriſtus*, inquit, *eſt Filius Dauid, quomodo ergo*, Dauid, cũ eſſet Rex, *vocat eum* Dominũ *ſuum, dicens*, Dixit *Dominus* Domino *meo, ſede &c.* Denique Dei proprietas eſt *Vis illa creatiua*: quæ licet ad Omnipotentiam pertineat, eã tamen peculiari quadam ratione admirantur Scripturæ: *Tu Domine feciſti omnia, quæ cœli ambitu continentur;* quæque nulla ratione creaturæ proprietas eſſe poteſt, ſed Dei tantum creatoris. *Iob. 9. Qui extendit cœlos ſolus*. Idem habet *Iſa. cap. 44.* & tamen hanc ipſam Creatiuam Virtutem ſæpiſſime Scripturæ de Filio prædicant: *Ad Hebr. cap. 1. Nouiſſime locutus eſt nobis in Filio, quẽ conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula*: & ad *Coloſſ. cap. 1.* Filius aſſeritur creator rerum omnium, non modo viſibilium, ſed etiam inuiſibilium: *In ipſo*, inquit, *condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. Et Ioan. cap. 1.* Deus *erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*. Hinc inſolubile ducitur argumentum ab *Auguſtin. Tractat. 1. in Ioan. Si per Filiũ, inquit, res plane omnes creatę ſunt: ergo ſi Filius eſt creatura, ipſe creauit ſe ipſum, quod nullo modo poteſt intelligi: aut, quod* veriſſimum eſt, ipſe Creator eſt, non creatura. Ad hæc loca dicebant Ariani, Primo, Cum dicitur, omnia per Filium con- *Prima Solutio Arianorum.*

dita

Impugnatur ſolutio. dita eſſe, excipi ſemper Filium; ſicut cum dixit; *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, ſe ipſum excipit, qui maior erat Ioanne Baptiſta; eodem modo in his locis ſe ipſum excipit, qui factus fuerat à ſolo Patre. Sed hæc reſponſio non cohæret cum verbis hoc loco poſitis à Ioanne; addit.n.S.Ioannes: *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*; vt intelligeremus, nihil omnino factum eſſe, quod per Filium factum non ſit, vt clarius habet Syrus; *Et ſine ipſo, neque vna quidem res facta eſt, quæ eſt facta*. Secundo dicebant ex *Athanaſ. ſermon. 3. contra Arian. & Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 3.* omnia quidem facta eſſe per Filium, non tanquam per Dominum, & Authorem, ſed tanquam per ſeruum, & diſcipulum. Hanc reſponſionem refellit *Cyrillus lib. 6. Theſaur. cap. 3. ex verbis illis cap. 1. Geneſ. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* at verbũ (*faciamus*) non eſt imperantis inferiori, ſic enim dixiſſet (*facite*) ſed inuitantis parem. Adde, illuſtrium Theologorum ſententiam eſſe, creaturam creare nõ poſſe, nec etiam vt inſtrumentum Dei: ſic ſentit *S. Thom. p. p q. 45. a. 5. & lib. 2. cõtra Gentes cap. 21.* ſed hoc alias. Tertio dicebant Ariani, omnia facta fuiſſe non à Filio, ſed per Filium: nam Præpoſitio, (*a*) vel (*ab*) cauſam efficientem potiſſimam indicat; Præpoſitio vero (*per*) cauſam inſtrumentalem: ſic refert de Arianis *Athanaſ. in lib. de Communi Eſſentia Patris, & Filij &*; *Baſil. lib. de Spiritu Sancto à cap. 2. ad 9.* Refellunt hanc reſponſionem allati Patres *ibidem*: Quia Patri ſæpe tribuitur præpoſitio (per) *Gen. cap. 4. Poßedi hominem per Deum: & 1. Corinth. 1.* Fidelis eſt Deus, *per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius:* contra vero præpoſitio (*de*) vel (*ex*) quæ eſt eadem cum (*a*) vel (*ab*) tribuitur interdum Filio. *Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. & cap. 16. Ille vos docebit, quia de meo accipiet: & Luc. 6. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes:* & alibi ſæpe. Itaque his Præpoſitionibus (*à*) vel (*ex*) & (*per*) promiſcue vtitur Scriptura, cum Diuinis Perſonis eas attribuit. Solet autem Scriptura frequenter tribuere Patri prępoſitionem (*ex*), & præpoſitionem (*per*) Filio, inquit, *Baſil. in lib. de Spiritu Sancto, cap 1.* vt indicet, Patrem eſſe principium primum, Filium vero eſſe principium medium, hoc eſt principium de principio; vnde fit, vt quæ Pater facit, recte dicatur, non ſolum per ſe, ſed etiam per Filium facere; quandoquidem accepit à Patre per originem Filius & naturam, & vim faciendi: Qua propter.

Textus Syrus

Secunda Solutio Arianorum.

Impugnatur ſolutio à Cyrillo.

Solutio tertia Arianorum.

Impugnatur ſolutio Ab Athan. & Baſil.

Cur prepoſitio (ex) tribui ſoleat Patri. & prępoſitio, (per) Filio ex Baſil

Ioan.

*Ioan. cap.*5. dixit veriſſime; *Quid quid Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Tertia ratio continet illa omnia loca, in quibus Filius dicitur eſſe vnũ & idẽ cũ Patre: quę ratio ex duabus pręcedentibus quodãmodo ſequitur: ſi enim Filius idẽ habet Dei nomẽ quod habet Pater, & eadem Attribuata cum Patre; ſequitur, vt idem ſit etiã Deus cũ Patre. Loca ſunt iſta. Primus locus affertur ab Alexãdro Alexãdrino Epiſcopo in epiſt. ad omnes Epiſcopos: Ab *Athan.ſerm.*4 *contra Arian. à Baſilio lib.*1. *contra Eunomium*: ab *Hilario lib.*7. *de Trinitat. ex Ioan.* 10. *Ego, & Pater vnum ſumus.* Et verbum quidem (*vnum*) vnitatem ſignificat Eſſentiæ; verbum autem (*ſumus*) & duo illa priora (*Ego, & Pater*) diſtinctionem Perſonarũ: quare, vt ſcriptũ reliquit *Aguſt.* Tract.37. *in Ioan.* hoc vno Teſtimonio liberamur ab erroribus Arij, & Sabellij.

Argumentum tertium contra Arian.

Ex cap. 10. *Ioan.*

Reſpondebant Ariani, verbum illud (*vnum*) non ſignificare vnitatem Eſſentiæ, ſed conſenſum voluntatis: dicebant enim, eo modo fuiſse Chriſtum vnum cum Patre, quo optabat eſſe diſcipulos inter ſe, *Ioan.*17. *Oro Pater, vt ipſi vnum ſint, ſicut ego & tu vnum ſumus.* At diſcipuli non poterant eſſe inter ſe vnum natura, ſed voluntate tantum; ergo eodem modo Chriſtus, & Pater vnum erant, voluntatis conſpiratione tantùm. Refellit Athan. hanc reſponſionem in lib. *Quod Deus de Deo ſit Verbum*; quia Iudæi, cum primum Chriſtus dixit hæc verba, ſuſtulerunt lapides: ex quo perſpicuum eſt, intellexiſſe illos, Chriſtum dicere voluiſſe, ſe eiuſdem eſſe naturæ cum Deo: & hoc eſt quod aiebant: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia cum tu homo ſis, facis te ipſum Deum.* Acute ergo *Augu Tract.*48. *in Ioan.*: *Ecce*, inquit, *Iudæi intellexerunt quod non intelligunt Ariani: ideo enim irati ſunt, quia intellexerunt, non poſſe dici, Ego, & pater vnum ſumus, niſi vbi æqualitas eſt Patris, & Filij.* Secundo, refellit hanc reſponſionẽ *Baſil. l.*1. *contra Eunom.* & Chryſoſt. in eum locum non ex ſolo nomine (*vnum*) ſed ex tota re ſubiecta: dixerat enim Chriſtus: *Nemo rapiet oues meas de manu mea*; quod probat, *Quia nemo poteſt illas rapere de manu Patris mei: Ego & Pater vnum ſumus.* Itaque integer Chriſti ſyllogiſmus eſt hic. Ego, & Pater vnum ſumus: ſed nemo poteſt oues eripere de manu Patris; ergo nemo poteſt eripere de manu mea. Ex qua argumentatione certiſſimum eſt, illud (*vnum*)

Reſponſio Arianorum.

Reiicitur primo ab Athan.

Reiicitur ſecũdo à Baſilio, & Chryſoſt.

non ſignificare concordiam voluntatis, ſed vnitatem Eſſentiæ, & æqualitatem poteſtatis; alioquin nulla eſſet illatio. Ad id, quod afferebant ex *cap.* 17. Ioannis, reſpondet S. *Athan. ſerm* 4. *contra Arianos* his verbis. *Sint vnum*, inquit, *quemadmodum & nos ſumus, ſed pro noſtra natura, & quatenus fieri poteſt, vt inde formam ſimilitudinemq; mutuemur: Ille quidem natura, & ex vtero vnum eſt cum ſuo Patre; nos autem vnum inter nos affectu, & animo efficimur, habentes pro architypo exemplari naturalem vnitatem Filij cum Patre*. Præterea dicebant Ariani, vt teſtatur *Athan. ſerm.* 4. contra ipſos, Chriſtum explicaſſe quod dixerat, cum ſubdidit: *Si illos, ad quos ſermo Dei factus eſt, dixit Deos, quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaphemas, quia dixi, Filius Dei ſum? ac ſi dicere voluiſſet: Nullam habetis offenſionis materiam, ſi me Deum, & Filium Dei appello; quia idem nomen cæteris etiam amicis Dei tribuitur: ſum ergo Deus, ſicut vnus ex illis*. Sed profecto allucinantur Ariani: non enim excuſat Chriſtus quod dixerat, ſed confirmat potius his verbis, vt notauit S. *Auguſtin. Tract.* 406. *in Ioan. & Hilar lib.* 7. de *Trinitate*: ſenſus enim eſt. Si iuſti, & amici Dei, ad quos tantum Dei ſermo factus eſt, vocantur Dij, quanto magis ille, quem Pater miſit in mundum, & ſanctificauit? Tunc autem ſanctificaſſe Chriſtum dicitur Pater, cum Naturam Humanã Chriſti vniuit Hypoſtaſi Filij ſui. Sic Hilarius & Auguſtinus exponunt. Quam ob cauſam à Ioanne in Apocal. vocatur *Sanctus Sanctorum*. Dici etiam poteſt cum Chryſoſt. in hunc locum, Chriſtum ſatisfeciſſe prius Iudæorum offenſioni allatis verbis. Si Prophetæ à Deo miſſi vocantur Dij, cur ſcandalizamini, quod me nominauerim Deum? Deinde offenſione ſublata, oſtendiſſe, ſe non tantum nomine Deum eſſe, ſicut erant Prophetæ, ſed operibus, & re ipſa: & hoc eſt, quod ſubdit: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere*.

Secunda Reſponſio Arianorum.

Reiicitur ab Hilario, & Auguſt.

Reiicitur à Chryſoſt.

Alius locus ſimilis præcedenti affertur ab *Athanaſ. lib.* 1. *ad Theophilũ de Vnica Deitate Trinitatis: ab Auguſtin. in Epiſt.* 1. *Ioan.* & longè prius allatus fuerat à Cypriano in lib. de Vnitate Eccleſiæ. ex 1. *Ioan. cap* 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum ſunt*. Vt autem recte percipiatur vis verborum Ioannis, Notandum eſt, propoſuiſſe hanc quaſi theſim, Quis eſt, qui vincit mundum? hoc eſt, qui vincit omnem ſenſum humanum, & cogitationem, niſi.

Ex 1. *Ioan.*

qui-

qui de Chriſto eam habet opinionem, quam debet? Debet autem ſentire, Chriſtum eſse verum Deum, & verum hominem: & quatenus Deus eſt, videtur eſse quodammodo oriundus de cœlo; quatenus homo, de terra. Propterea citauit teſtes tres è cœlo, & totidem ex terra: ſicut accidit ei, qui nobilitatem ſuam probare vult, cum natus ſit ex parentibus natione diuerſis; aliunde enim accerſitis teſtibus, probat nobilitatem à Patre, aliunde nobilitatem à matre. Itaque cum dicit, tres eſse teſtes in terra, nomine (*terræ*) non ſignificat locum, ſed qualitatem teſtium: quaſi dicat, tres ſunt teſtes humani, qui teſtificantur de Natura Humana Chriſti: aqua, quæ fluxit ex latere eius: ſanguis: & vitalis ſpiritus. Hæc tria teſtificantur, illum fuiſse verum hominem. Et cum dicit: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo:* nomine (*cæli*), eodem modo non intelligit locum, ſed qualitatem teſtium. Nam ſi locum intelligeret, non tantum nominaret hos tres, ſed etiam Angelos, qui ſunt in cœlo. & de Chriſto teſtificati ſunt, cum cecinerunt, *Gloria in altiſſimis Deo*. Sed ſenſus eſt: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo;* id eſt, tres ſunt teſtes Diuini, qui teſtificantur de Chriſti Diuinitate, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Hunc eſse ſenſum, conſtat ex his, quæ ſubdit. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt:* eſt enim argumentatio. Si teſtimonio humano fidem habemus, cuiuſmodi eſt illud, quod affertur ab Aqua, Spiritu, & Sanguine, & teſtimonium Dei maius eſt; multo magis debemus credere teſtimonio Dei, hoc eſt teſtimonio Diuino, quod affertur à Patre & Filio, & Spiritu Sancto: ergo hæ tres Perſonæ teſtificantes, ſunt Perſonæ Diuinæ, ac proinde verus Deus, & vnum, & idem inter ſe.

Dicent. Eodem modo dici tres illas perſonas eſse vnum inter ſe, quo Spiritus, Aqua, & Sanguis; ſed hæc tria non ſunt vnum eſsentia, ſed ſolum teſtificatione, quia idem teſtificantur; ergo & tres Perſonæ. Reſpondeo primo, verba illa (*Et hi tres vnum ſunt*) poſt Spiritum, Aquam, & Sanguinem, non haberi in multis Codicibus. Cæterum, quia habentur in Editione Vulgata, & in Græco textu; Reſpondeo, cum eſt ſermo de Spiritu, Aqua, & Sanguine, ſic legi cum præpoſitione (in) εἰς τὸ ἕν, *& hi tres in vnum ſunt*. At, cum eſt ſermo de tribus Perſonis, non illo modo, ſed ita ſine præpoſitione (τὸ ἕν) id eſt, *vnum*: &

Obiectio.

Solutio prima

ſic habemus in Græco Teſtamento Roberti Stephani, *Et hi tres vnum ſunt:* quod indicat eſse vnum non ſolum teſtificatione, vt illa tria, ſed etiam Eſsentia. Syrij & Arabes legunt, *Et hi tres Bbhadenum, In vno ſunt.* Et quia illud (*vno*) eſt maſculini generis, non neutri; ſenſus eſt: In vno homine hæc tria ſunt, id eſt, in vno & eodem CHRISTO. Denique ſi diceretur eſse vnum inter ſe Pater, Filius, &c. quia idem teſtificantur; vim tamen ſuam retineret argumentum; quia hi tres dicuntur eſse teſtes de cœlo, hoc eſt teſtes Diuini; ergo Filius, qui vnus eſt ex illis Diuinis teſtibus, habet Diuinitatem.

Syri & Arabes.

Solutio ſecunda.

Præter hæc loca ſunt alia plura, quæ eodem pertinēt. *Ioan.* 17 *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: &c. cap.* 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quibus teſtimonijs non ſemel vtitur *S. Athan. diſputans contra Arianos.*

Argumenta, quibus probabant Ariani, Dei Filium eſſe creaturam.

Ex aduerſo, Arius & Ariani contendebant, Dei Filium eſſe creaturam his argumentis.

Argum. 1.

Primum. Solus Pater in Scripturis vocatur *Deus;* ergo Filius non eſt Deus. Probatur Antecedens: *Ioan.* 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum:* & 1. *Corinth.* 8. *Nobis autem vnus eſt Deus Pater, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus.*

Solutio ex Baſ. & Nazianz.

Reſpondebant omnes Catholici, hæc teſtimonia non eſse contra noſtram ſententiam, qui confitemur etiam vnum Deū, præter quem non ſit alius: quare ad loca allata, & ſimilia reſpōdet *S. Baſilius lib. 4. contra Eunomium, & Nazianzenus Oratione 4. de Theologia,* Scripturas, quæ vnum aſserunt Deum, hoc ipſo aſserere, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Deum eſse; quia ſunt tres Perſonæ, ſed in eadem plane Deitate: quare ſicut Pater habens illam Deitatem, eſt Deus; ita & Filius, qui habet eandem, eſt Deus, & idem Deus. Scripturæ autem; quæ videntur excludere plures Perſonas, ad eos tantum referri debere, qui falſo dicuntur Dij, non ad alias Perſonas Diuinas. Quod autem his loquendi modis, falſi tantum excludantur Dij, non Perſonæ Diuinæ, Probatur; Quia aliquando ſolus Filius dicitur *Deus:* nec proinde tamen excluditur Pater, vt præclare notauit *Baſilius loco citato.* Loca ſunt iſta. *Baruch.* 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum: Poſt hæc in terris viſus eſt.* vbi eſt ſermo de Filio, non de Patre. *Iſa.* 41. *Non eſt abſque te Deus ſaluator.* Affert hunc locum pro Chriſti Diuinitate *S. Cyprianus lib.* 2. *ad Quirinū cap.* 6. Item 1. *Corinth.* 8. ſolum Chri-

ſtum, *Dominum* vocat Apoſtolus Paulus; neque tamen Patrem excludit. Aduertit hoc *Origenes in cap. 8. Epiſt. ad Rom.* ergo eodem modo, quando ſolus Pater vocatur *Deus*, non proinde tamen excluditur Filius, & Spiritus Sanctus. Probatur ſecundo: quia Scripture addunt interdum ad nomen (*ſolus*) aliam Perſonam: vt *Ioan. cap. 17. Cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, eſſe ſcilicet Deum: ſic enim exponi debere oſtendit *S. Athan. lib. De Suſcepta Natura, contra Apollinarem, & Cyrillus lib. 3. Theſau. cap. 6.* Hoc euidenter oſtendit, nomen (*ſolus*) excludere falſos Deos, non alias Perſonas Diuinas. Denique illud etiam aduertendum eſt in allato Teſtimonio, quod plane vim omnem Arianæ argumentationis eneruat; nomen illud (*ſolus*) non eſſe Subiectum, ſed Attributum, aut Prædicatum, vt Dialectici loquuntur: non enim eſt ſenſus: *Vt cognoſcant te, O Pater, qui ſolus es verus Deus; ſed, Vt cognoſcant te, O Pater, qui es ille Deus, qui ſolus eſt verus.* Huic ſenſui fauere videntur Græca. Quod ſi verbum (*ſolus*) ad Deum referatur, non ad Patrem; euidens eſt, excludi falſos Deos, non alias Perſonas Diuinas.

Secundum argumentum. Chriſtus vocatur *mediator*, non Deus. 1. ad *Timot. cap. 2.* Vnus eſt Deus, & vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus. *Argumentum Secundum.*

Reſpondet *S. Athan. in lib. De Suſcepta Humanitate*; ſi Chriſtus non eſſet ſimul homo & Deus, non potuiſſet eſſe perfectus ſequeſter & mediator inter Deum & homines. Chriſtus ergo, licet ſit Deus, obiuit tamen mediatoris officium apud Deum, vt homo erat: ita fit, vt potuerit etiam eſſe mediator noſter, vt homo erat, apud ſeipſum, vt Deus erat, qui vna cum Patre & Spiritu Sancto fuerat humano generi infenſus. Idem fere habet S. *Iren. lib. 3. cap. 12.* *Solutio ex Athan.*

Tertium Argumentum. Aperte dicitur minor Patre *Matth. 10.* & *Ioan. 17.* Pater maior me eſt; ergo non eſt Deus: nam habet maiorem. *Argumentum tertium. Soluitur à Nazian. & Athan.*

Duplex Reſponſio. Prima *Athanaſij in lib. De Suſcepta Natura contra Apollinarem, & Nazianzeni Orat. 4. de Theologia*, Chriſtũ dici *inferiorem Patre* ratione tantum Humanæ Naturæ, non ratione Diuinæ: quod inde colligunt, quia in Scripturis Filius interdum dicitur æqualis Patri, interdum inferior: eſt ergo inferior ratione Humanę Naturę, ęqualis ratione Diuinę. Immo humi-

humilitas Chriſti, vt inquit, *Athnaſius loco citato*, quæ omnib' eſſe deberet incentiuum amoris, eſt aliquibus erroris occaſio: ideo enim Ariani. Chriſtum blaſphemant, & Patre minorem faciunt, *quia cum ipſe diues eßet, vt dicitur ad Epheſ. propter* nos factus eſt pauper, Humanam Naturam ſuſcipiendo, vt nos ipſius inopia diuites eſsemus.

Soluitur à Baſilio.

Secunda Reſpõſio *ex Baſilio, cont. Eunom. Naziãzeno loc. cit. & Concilio Sardicẽſi*, Patrem dici maiorem Filio, etiam vt Deus eſt, ob authoritatem principij & originis, quã habet reſpectu Filij, hoc eſt, quia à Patre eſt Filius, non a Filio Pater: ſed hæc authoritas Principij, non tollit æqualitatem inter Diuinas Perſonas: quia quicquid dicit perfectionis & dignitatis hæc ipſa authoritas Principij & originis, id totum eſt in Filio, cui eadem cõmunicatur Eſſentia, quam habet Pater: Eſsentia.n. Diuina omnem omnino & perfectionem, & dignitatem comprehendit: quare recte *S. Hilar. li. 9. de Trin.* dixit: *Pater maior eſt, ſed Filius minor non eſt, cui idem eſſe donatur*.

Argumentum quartũ

Quartum Argumentum. Deus non habet ſupra ſe Deum; at Chriſtus dicit ſe habere Deum, *Ioan. 20. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Matt. 27. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me. 1. Cor. 11. Omnis viri caput eſt Chriſtus: caput autem mulieris eſt vir: caput uero Chriſti eſt Deus*. Ad locum *Ioan. 20. & Matth. 27.* reſpõdet *Nazian. Orat* 4. de Theologia, hęc & ſimilia dici de Chriſto ſecundum Humanam Naturam, ſecundum quam quidem non eſt Deus, ſed habet Deum: ſecundum enim Humanam Naturã creatura eſt: at ex alijs Scripturę locis cõſtat, hunc eũdem hominem Chriſtum ratione Hypoſtaſis Diuinæ Deũ eſse. Ad alium locum ex 1. *Cor.* 11. eodem modo reſpondet *S. Ciril. lib. 4. de Trin.* Chriſtum, quatenus homo eſt, eſſe caput omnis viri: quia in hoc corpore Eccleſiæ, cuius ibi fit mentio, Chriſtus tenet locum capitis, quod eſt pars præcipua corporis; non eſt autem pars corporis Eccleſiæ, niſi, quatenus homo. Quod autem ſubdit, *Caput Chriſti Deus;* tantundem valet, ac ſi dixiſset: Chriſtus in hoc myſtico corpore Eccleſiæ non habet caput, quia ipſe eſt caput. Sicut ſiquis dicat: caput Diaconi eſt Sacerdos, caput Sacerdotis eſt Epiſcopus, caput Epiſcopi Pontifex, caput Pontificis Deus; Is ſignificat non habere Pontificem caput in terris. Item poteſt intelligi locus ille de Chriſto, vt Deus

Solutio.

eſt, &

eſt, & *caput* ſumi pro origine, ſiue principio: quia enim Chriſtus, etiam, vt Deus eſt, eſt à Patre, dici poteſt habere pro capite Deum Patrem. *S. Ambr. lib. 4. de Fide cap. 2.* retorquet in Arianos argumentum ex hoc loco deſumptum; illum adeat qui vult.

Quintum Argumentum. Filius non habet Attributa Dei; ergo non eſt Deus. Probatur Antecedens. Non habet immortalitatem, quia 1. *ad* Tim. 6. de Patre dicitur: *Solus habet immortalitatem*: Neque ſcientiam rerum omnium: *Matt.* 13. *De die autem illo nemo nouit, nec Filius hominis*: Et quam habet, non habet à ſe: *Ioan.* 7. *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, Patris*: Immo creſcit in ſapientia & gratia, quod non conuenit Deo. *Luc. 2. Puer autem creſcebat ſapientia, & gratia coram Deo & hominibus*: Nec bonitatem habet: *Marc.* 1. & *Luc.* 19. *Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus*: Neque poteſtatem conferendi gloriam: *Matth.* 20. *Sedere ad dextram, vel ad ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*: & *Ioan. cap.* 5. *Filius à ſe non poteſt facere quicquam, niſi quæ viderit Patrem facientem*: & ibidem: *Non veni facere voluntatem meã, ſed eius qui miſit me Patris*: Denique nec Deum videt, *Ioan. cap.* 1. *Deum nemo vidit vnquam*: Ergo Deus non eſt. *Argumentum quintum*

Reſpõdeo. Ad illud *de immortalitate*. Primo, Licet dicatur ſolus Pater habere immortalitatem; hoc tamen, vt diximus, non excludit Filium, qui eandem habet Deitatem cum Patre, & eſt idem Deus cum illo. Secũdo, Aptiſſime reſpondet Chryſoſtomus, conferri eo loco Deum Patrem cum alijs terrenis regibus, qui omnes mortales ſunt, non cum Diuinis Perſonis. Tertio, Falſum eſt, non tribui in Scripturis immortalitatem Filio: *Ioan.* 1. *In ipſo vita erat*: nempe ſingulari quodam modo; nam vulgariter etiam in nobis vita eſt: & *Ioan.* 5. *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ita dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*; quod perinde eſt, ac ſi diceret: ſicut Pater eſt immortalis, ita & Filius: & *cap.* 14. *Ego ſum vita.* Hæc ex *Nazianz. Orat. 4. de Theolog.* & *Cyril. lib. 4. Theſau. cap. 2.* Ad illud de die Iudicij, hic locus adeò difficilis Patribus viſus eſt, vt *S. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 8.* ſuſpicatus ſit, illud (*Neque Filius hominis*) additum ab Arianis fuiſse: teſtatur etiam *S. Hieron. cap. 24. Matth.* in aliquibus Græcis exemplaribus hoc non haberi. Verum, quia in Editione Vulgata habẽtur hęc verba, duplicẽ affero ſolutionẽ. *Solutio.*

Prima eſt *Athanaſij ſerm. 4. contra Arianos, & Baſilij lib. 4. contra Eunomium.* Hi dicunt, Primo, intelligi debere de Chriſto homine. Secundo, Chriſtum ſcire diem Iudicij, nonſolum, vt Deus eſt, ſed etiam, vt homo: tum quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, ad *Coloſs.* 1. tum quia ipſe futurus eſt in iudicio Iudex: at quis credat ignorare Iudicem diem ferendæ ſententiæ? Tertio dicunt, Chriſtum hominem neſcire diem Iudicij, quia non ſciebat illum humana ſcientia; ſed reuelatione Diuina. Idem habet S. *Gregor. lib. 4. Epiſtolarum, Epiſt.* 42. Secunda ſolutio eſt communior: *Ambroſij loco citato, Baſilij lib. 4. contra Eunomium. Auguſtini lib. 1. de Trinit. cap. 12. Athanaſij Serm. 4. contra Arianos, & Gregorij loco citato: præterea Hieronymi, Chryſoſtomi, Theophilacti in cap. 24. Matth.* Hi omnes aſſerunt, Chriſtum hominem neſcire diem iudicij, quia neſciebat ad dicendum: quæ expoſitio eſt conformis modo loquendi, quo prudenter vtuntur homines, cum ea neſcire ſe dicunt, quæ vulgare non poſſunt. Dices. Hoc modo etiam Pater non ſcit, quia nemini reuelat. Reſpondet *S. Auguſt. lib. 1. de Gen. ad litteram contra Manich. cap.* 25. Scire dicitur Pater, quia reuelauit Chriſto homini. Ad illud *Ioan.* 7. *Doctrina mea non eſt mea*, reſpondeo: loquitur Chriſtus de ſe, vt Deus eſt: & aſſerit doctrinam ſuam, id eſt, quam habebat, non eſſe profectam à ſe, ſed à Patre, quia omnia, quæ habet Filius, accipit à Patre, à quo accipit eſſe. Alij dicunt, Chriſtum de ſe loqui, vt homo erat; & illud (*Non eſt mea*) idem valere, ac non eſt tantum mea, ſed etiam Patris; ſicut *Matt. cap.* 10. *Non eſtis vos, qui loquimini*, ideſt, non eſtis vos tantum, *Sed Spiritus Patris veſtri*, &c. Et *Ioan.* 12. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me*, ideſt, non tantum credit in me. Eadem forma loquendi vtitur alio loco: *Si ego teſtimonium dico de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt, quia non ſum ſolus, ſed ego, & qui miſit me Pater.*

Ad illud *Lucæ* 2. Variæ ſunt ſolutiones, quas habes apud *Maldonatum, Toletum, & Baradium in hunc locum.* Nos breuiter. Certum eſt, hæc dici de Chriſto, quatenus homo erat, & proficere dicitur non Diuina, ſed Humana ſapientia; ſic *Athan. Serm. 4. contra Arianos, Cyril. lib. 10. Theſaur. cap. 7. Epiphan. in Anchor. & alij plures.* Sapientiam porro humanam hic ſumimus

eam

eam, quæ vſu comparatur, quam Scholaſtici vocant *experimentalem*: in hac profeciſſe Chriſtum, nihil obeſt; cum dicat *Paulus ad Heb.*5. Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam. De eadem ſcientia putandum eſt loqui Euangeliſtam: in hac enim communiter dicere ſolemus, prudentes viros cum ætate proficere: cum enim plura experiãtur in dies, creſcunt experientia. Quare quod dicunt alij, profeciſſe Chriſtum ſcientia, opinione tantum hominum, non re ipſa, non ſatis cohæret cum eo, quod ſequitur, *Apud Deum & homines*: nam proficere apud Deũ, notiſſimo Hebraiſmo, eſt, re vera proficere. Hęc de Sciẽtia

Difficilius eſt, quod additur de Gratia. Sed appoſite, mea quidem ſententia, exponemus verba, ſi cognoſcamus prius, quid ſpectet qui loquitur. Igitur Euangeliſta non conabatur oſtendere creuiſſe in Chriſto Domino habitus ſcientiæ, & gratiæ: quis enim hominum intueri poterat habitus illos? ſed oſtendere volebat, Chriſtum in dies maiora dediſſe ſigna ſapientiæ & gratiæ; actionibus nimirum, & operibus, quæ maiorem continebant ſapientiam & gratiam. Quod ſane conſtat eſſe veriſſimum: nam paulo poſt, quia cum Doctoribus diſputauit, eosque in admirationẽ adduxit prudentiæ ſuę, quod non fecerat prius; idcirco, vt notauit Theophilactus, dictum eſt ab Euangeliſta, profeciſſe ſapientia. Et quia iam grandior pernoctauit in orationibus, & ieiunauit quadraginta diebus, & innumera edidit miracula, quæ non fecerat prius; ideo dictum eſt, creuiſſe gratia, idque apud Deum & homines: quia reuera huiuſmodi actiones maiorem continebant ſapientiam, & gratiam, quam aliæ, licet is, à quo proficiſcebantur, neque gratia proficeret, nec ſapientia, qui ab ineunte ætate adeo ſapientia, & gratia plenus fuerat, vt creſcere non poſſet. Aptiſſima eſt ad hanc rem explicandam ſimilitudo Solis. Sol nullum in ſe recipit augmentum luminis; & tamen dicitur magis lucere meridie, quam mane, quia maiorem lucem & ſplẽdidiores radios nobis exhibet in meridie, quam mane.

Ad illud de Bonitate, *Marci* 10. & *Luc.* 19. Reſpondeo, etiam Filio tribui bonitatem. *Sapien.* 7. *Speculum eſt ſine macula claritatis Dei, & imago bonitatis illius*. & ipſe ſe Chriſtus *bonum* appellat. *Ioan.* 10. *Ego ſum paſtor bonus*. & *Matth.*20. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Ad locũ ergo *Marci.*10. reſpondet *Epiphan. contra hæreſ.* 69. & *Nazianz. Oratione* 4. de

Theolog. id dixiſſe Chriſtum Dominum, non ex animi ſententia, ſed accommodate ad opinionem illius adoleſcentis, quo cum loquebatur: is enim non alio ſenſu Chriſtum bonum appellauerat, quam appellaſset quemuis alium magiſtrum: propterea redarguit illum Chriſtus, quod ſe *bonum* appellaret, ſi non crederet eſſe Deum.

Ad illud de Poteſtate, *Matth.* 20. plures ſunt ſolutiones: omnium optima meo iudicio eſt *Ambroſij lib.* 8. *de Fide cap.* 3. *Epiphanij contra hær.* 69. & *Cyrilli lib.* 10. *Theſa. cap.* 5. Hi dicunt, vim illius loci non conſiſtere in illis verbis (*Non eſt meum*) ſed in illo pronomine (*Vobis*) non enim facit comparationem Chriſtus inter ſe, & Patrem; quaſi velit dicere, ſe non poſſe dare, & Patrem poſſe; quia ſi hoc dicere voluiſſet, dixiſſet, *Non eſt meum dare vobis, ſed Patris mei*; ſed comparationem facit inter illos filios Zebedei, qui nondum meruerant tantum honorem, quantum petebant, & inter alios, qui iam meruerant: quaſi dicat. Hoc concedere meum quidem eſt, ſed non vobis, qui id petitis titulo conſanguinitatis, verum merentibus, quibus ſolis paratum eſt à Patre meo.

Dices. Cur ergo non dixit Chriſtus (*Quibus paratũ eſt à me*) ſed (*à Patre meo*) Reſpondeo. Id factũ eſſe, propter attributionẽ: nam parare regnum & prædeſtinare pertinet ad prouidentiam; prouidentia autem attribuitur ſoli Patri, quia Patris eſt proſpicere filijs: propterea nunquam legimus in Scripturis, Chriſtum prædeſtinaſſe quempiam, ſed ſolum Patrem.

Ad illud *Ioan.* 5. euidens eſt, non poſſe eſſe ſenſum, quem verba præſeferunt, vt ait *Epiph. cont. hær.* 69. nihil ſcilicet poſſe Filium facere, niſi antea viderit Patrem facientem: fecit enim Mundum, nec tamen viderat Patrem, alium Mundum facientem: ſenſus ergo, inquit, eſt, Chriſtum nihil facere præter Patris voluntatem.

Ad illud *ibid. cap.* 6. *Non veni facere voluntatem meam*, &c. Reſpondet primo S. *Athanaſius in lib. de Communi Eſſentia Trinit.* non ſequi: Filius facit volũtatem Patris, ergo minor eſt Patre: nam Deus ipſe dicitur facere voluntatem hominum: *Pſalm.* 144. *Voluntatem timentium ſe faciet:* neque tamen eſt minor hominibus.

Secundo. Reſpondeo cum communi ſententia, illud intelligendum eſſe de Humana Voluntate Chriſti, quam perfecte ſemper ſubiecit Patri. Ideo dixit in horto, *Non mea, ſed tua*

volun-

voluntas fiat. Dicit autem nolle ſe facere voluntatem ſuam: non quod voluntas in Chriſto repugnaret Patri, ſed in verbo, (*Voluntatis*) eſt ampliatio quædam termini: ſenſus eſt enim hic. Non veni facere voluntatem meam, ideſt, quod homo velle poſſet ſecundum ſuam naturam, ſed veni facere voluntatem Patris.

Ad illud *Ioan*. 1. *Deum nemo vidit vnquam*. Reſpondent veteres omnes, excipi Filium, & Spiritum Sanctum. Quare *Matth*. 11. dicitur: *Nemo nouit Patrem niſi Filius*. & eodem *cap*. 1. *Ioan*. dicitur: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis*. Eſt ergo ibi ſermo de ijs, qui ſolum homines ſunt: & ſic locum illum quodammodo exponit Paulus 1. *ad Tim*. 6. *Quem nullus hominum vidit; nec videre poteſt*. Inſtabant Ariani ex Idacio. Filium multi viderant: ergo Filius non eſt Deus. Reſpondemus, etiam Filium, vt Deus eſt, eſſe inuiſibilem: quod ſignificatur illis verbis *Matth*. 11. *Filium nemo nouit niſi Pater*. Quare hinc potius conuincere poſſumus Arianos: Deum nemo vidit, qui ſit tantum homo: ergo cum Chriſtus viderit, non ſolum eſt homo, ſed etiam Deus. Item Filius eſt inuiſibilis, ſicut & Deus Pater, ergo eſt Deus.

Argumentū ſextum.

Sextum Argumentum. Si Filius eſſet Deus, eodem modo loqueretur Scriptura de Filio, quo loquitur de Patre. At non ita facit: nam Patri tribuit articulum, quando eum appellat Deum: Filio non tribuit, ſed tribuit præpoſitionem (*per*) quæ propria eſt inſtrumenti; ergo Filius non eſt Deus, nec æqualis Patri. Reſpōdeo. Copioſe diximus de articulo & præpoſitionibus (*Ex*) & (*Per*) ſupra in ſecunda ratione pro Chriſti Diuinitate, agentes de virtute creatiua, quæ propria eſt Dei. Quare nihil amplius hoc loco dicēdum. Theodoretus quidem, quē tanti facit *S. Leo I.* nullum omnino diſcrimen facit inter præpoſitionem (*Ex*) & (*Per*). quare eodem modo negabat olim Spiritum Sanctum eſse à Filio, & per Filium *In confutatione Anathematiſmi noni contra Cyrillum circa finem*. Illud tantum addam ex hiſtoriis, Arianos tam ſuperſtitioſos obſeruatores fuiſſe harum particularum, vt antiphonam illam *Gloria Patri, &c.* canerent ad hunc modum: *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu Sancto*. Sic ſcribit *Epiph. contra hær*. 76. Quod cum aduertiſset Nycenum Conciliū, vetuit hoc modo cani, & retineri iuſſit veterem formam huius Hymni: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*.

Solutio.

quam à tempore Apoſtolorum accepiſse fideles teſtatur. *Sanctus Baſilius in lib. de Spiritu Sancto c. 7. 27. 29.* Et quia aſſerebant Ariani, fuiſse tempus, quando Filius non erat, placuit Concilio pro æternitate Filij, & Spiritus Sancti cum Patre, addi quæ ſequuntur verba: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Teſtatur hoc *Synodus Vaſenſis Prima cap. 5.* hæc autem Synodus paulo poſt Nycenam celebrata eſt. Et de hoc hymno cum hac additione putant viri docti intelligendú eſſe *Sozomenũ lib. 3. cap 19.* vbi agens de Leontio Ariano Epiſcopo ſcribit, eum paſſum eſſe, Catholicos hymnis, fidei Concilij conſentientibus laudare Deum.

Tertia Arij Propoſitio, Chriſtum eſſe Dei Filium non natura, ſed adoptione.

Tertio aſſerebat Arius, Chriſtum vocari quidem, & eſſe Dei Filium, ſed adoptiuum, non naturalem, ex *Hilar. lib. 6. de Trinit.* ideo non eſſe homouſion Patri. Idem docet Arius ipſe in Epiſt. ad Euſebiũ. Et ſane ſequebatur ex ſecũda Arij Propoſitione: nam ſi Filius eſt creatura; non poteſt eſſe Filius Dei natura, ſed adoptione tantum. Hanc quoque tertiam Arij Propoſitionem, ſicut & duas priores Catholici validis argumẽtationibus euerterunt. Nam primo S. *Athan. Serm. 3. contra Arianos*, & alibi paſſim affert loca illa, in quibus Chriſtus abſolute & perpetuo vocatur *Dei Filius*. At, qui gratia & beneficio tantum ſunt filij, non perpetuo vocantur filij, nec abſolute. Loca ſunt iſta. *Luc. 1. (Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur)* ideſt *(erit)* Hebræa phraſi. & ad *Rom. 8. Proprio Filio ſuo non pepercit.* & alibi ſæpe. Si autem eſt abſolute Dei Filius: ergo eiuſdem naturæ cum Patre: quæ Conſequentia eſt adeo euidens, vt ne Diabolus quidem, inquit, Athanaſ. eam negare potuerit. Quare dubitans, an eſſet Chriſtus verè Deus, his verbis veritatem explorat. *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, Matth. cap. 4.* Secundo, *S. Hilarius lib. 6. de Trinit.* & idem Athanaſius afferunt loca, in quibus Chriſtus ita vocatur Filius Dei, vt anteponatur filijs adoptiuis; ergo non eſt adoptiuus, ſed naturalis. *Matth. 16. Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* &c. Reſpondet Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Quo loco dubium eſſe non poteſt, Beatum Petrum, nomine *(Filij)* intellexiſſe naturalem, non adoptiuum: nam adoptiui erant illi omnes, à quibus Dominum diſtinguebàt, Helias, Ieremias, Ioannes Baptiſta. Notauit & illud Theophilactus in eum locum, Chriſtum appellari *Filium*, addito articulo, vt diſtin-

Oppugnatur hæc tertia Arij Propoſitio ab Athan.

Oppugnatur ab Hilario.

diſtingueretur ab alijs, qui adoptione tantum erant filij.

Rurſus ad *Gal* 4 *Miſit*, inquit, Apoſtolus) *Filium ſuum Deus in mundum, vt adoptionem filiorum reciperemus*. Hic, vt recte expendit *Athan. Serm. 2 contra Arian.* aperte diſtinguit Filium Dei à filijs adoptiuis; ergo nomine Filij intelligit naturalem. Et ratio idem ſuadet: nam filij adoptionis dicuntur filii, quia aliquo modo participes ſunt filiationis Chriſti; ergo filiatio Chriſti multo præſtantior eſſe debet filiatione noſtra, quæ ſolum eſt per adoptionem.

Rurſus *Pſalm.44. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*. eſt ſermo de Filio Dei, quem diſtinguit ab aliis, qui ſunt filii per adoptionem; ergo ipſe non eſt filius adoptiuus, ſed naturalis. Audiamus Athanaſium ipſum *ſerm.2. contra Arianos*. *Videte*, inquit, *Ariani, & ſaltem hinc cognoſcite, participatores Domini cæteros omnes Pſalmiſtam appellaſſe: ſi enim vnus ex non entibus, & creatus eſſet, fuißet etiam ipſe unus ex iſtis participatoribus: atqui, cum eum, ut Deum æternum ſuo hymno celebrauerit Pſalmiſta, inquiens (Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi) reliqua omnia ex eo partem capere declarauit: quid aliud intelligendum, quam alium illum eſſe à rebus creatis?* Hæc Athanaſius.

Tertio, *S. Cyrillus lib. 2. & 4. de Trinit.* & S. *Ambroſ. lib 4. de Fide cap.4.* Afferunt loca, in quibus Chriſtus non modo præfertur filiis adoptiuis, ſed aſſeritur eſse Filius operatione naturæ; ergo eſt Filius naturalis. *Pſalm. 2.* & *ad Hebr. 1. Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (*gignere*) eſt opus naturæ. & *Pſal. 109. Ex utero ante luciferum genui te.* Reſpondebant Ariani, hūc locum intelligi de Chriſto, quatenus homo eſt; quia nominatur *Vterus*: ex vtero autem non gignitur Deus, ſed homo. Verum ſi ita materialiter accipiatur nomen *Vteri*, ſicut ex vtero non gignitur Deus, ſed homo, ita vterum non habet Deus, ſed homo; quomodo ergo ex vtero Deus genuit? Catholici igitur exponebant, illud (*Ex utero*) idem eſse ac, ex ipſa eſsentia, atque natura: quæ, quia maxime interna eſt, appellatur vterus. Sic *Athanaſius* exponit *Oratione de Dicto Illo, Deus de Deo:* & alij. Illud autem (*ante luciferū*) dicunt eſse Synecdochen, & poni vnam ſtellam pro toto mundo: ante luciferum ergo, hoc eſt, ante originem mundi, & ab æterno. S. *Cyrillus loco citato* exponit (*Ante luciferum*) hoc eſt, in tenebris, hoc eſt, obſcure, admirabiliter, inenarrabiliter, iuxta illud *Iſa. 53. Generationem eius quis enar-*

Oppugnatur à Cyrillo.

enarrabit? Huc pertinent omnia Scripturæ Teſtimonia, in quibus appellatur *Vnigenitus;* ergo eſt, Filius naturalis; nam adoptionis filij sũt plures quã vnus. Cum ergo Chriſtus dicatur *Vnigenitus*, euidens eſt eſſe Filium Dei, non adoptione, ſed natura. Loca ſunt iſta. *Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filiũ ſuum Vnigenitum daret. & cap.* 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi Vnigeniti à Patre* : & in eodem capite : *Deum nemo uidit unquã: Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.* Vocat *Vnigenitum*, inquit, *Hilarius lib 6. de Trinit. ut hoc nomine adoptionem excludat, naturam aſſerat.* Additur etiam hic articulus ὁ μονογενής. *(ille Vnigenitus) ex Chriſoſt.* vt ſignificetur, Vnigenitum illum non eſſe ſimilem cæteris per adoptionem filiis. Dicitur etiam eſſe *in ſinu Patris*, hoc eſt, *ut Victorinus exponit lib.* 1. *aduerſus Arium, & Auguſt. Tract. 3. in Joan. & Cyrill. lib.* 1. *cap.* 22. eiuſdem cum Patre naturæ, atque ſubſtantiæ. Denique dicitur *(eſt in ſinu)* non *(fuit)* aut *(erat)* vt hinc colligamus, inquit, Elias Cretenſis *in Orationem Nazianzeni*, Filium, etiam tunc, cũ nobiſcum verſabatur in mundo, ratione Diuinæ Naturæ, à Patre non diſceſſiſſe. Syriacus quidem textus antiquiſſimus non eget interprete; ſic enim legit. *Vnigenitus Deus ille, qui eſt in ſinu Patris.* Reſpondebant Ariani, *teſte Baſilio lib.* 2. *contra Eunomium*, Chriſtum dici *Vnigenitum* Filium, non quod naturalis eſſet, ſed quod ipſe à ſolo Deo ingenito creatus eſſet. Obiicit autem Primo Baſilius communem loquendi vſum, qui eum vocat vnigenitum, qui ſolus genitus eſt, non qui à ſolo genitus. Obiicit *Secundo Athanaſius in Epiſtola de Decretis Nycenæ Synodi*, Adam à ſolo Deo productum eſſe; non proinde tamen, aut eſſe, aut dici Filium Dei Vnigenitum: ſolus ergo Chriſtus dicitur *Vnigenitus Patris,* quia ſolus eſt naturalis illius Filius.

Ioan. c. 1. *&* 3.

Victorinus.

Elias Cretenſis.

Effugium Arianorum.

Excluditur à Baſilio.

Ab Athan.

Quarto, S. *Athanaſius Serm.4. contra Arianos*, & *Hilarius lib.7. de Trinit.* afferunt loca, in quibus Chriſtus vocatur non modo *Filius*, & Filius operatione Naturæ, & Filius vnicus, ſed etiam *æqualis Patri:* nõ poterat autem eſſe æqualis Patri, ſi adoptione tãtum Filius fuiſset; ergo eſt natura Filius & homouſios Patri. Primus locus eſt *Joan.* 5. vbi, inquit. *Ideo Iudæi quærebant eum interficere, quia non ſolum ſoluebat Sabbathum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Duo hic notanda ſunt. Primum eſt, hæc poſteriora verba eſſe verba Euangeliſtæ, non Iudæorum, vt præter citatos Autho-

Oppugnatur ab Athan. & Hilario.

res,notarunt *Ambroſ. lib.2. de Fide cap.1.*& *Chryſoſt. Homil. 38. in Ioan.* Neque tantum referre Ioannem quid Iudæi exiſtimauerint, ſed quid re vera Chriſtus verbis ſuis ſignificauerit, ſe ſcilicet Deo Patri æqualem eſse. Secundo, Notandum eſt, quod aduertunt fere omnes, intellexiſse Iudæos, quamuis hebetes, Chriſtum feciſse ſe æqualem Patri, cum ſe Filium Patris aſseruit: *quod tamen negant, nec capiunt Ariani.* Alius locus eſt ad *Philip. 2. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Affertur hic locus *à Nazianz. Oratione 5. de Thelog.* & *ab Epiphan contra hæreſ 69.* Quæ verba ex communi Patrum ſententia habent hanc vim, habere æqualitatem naturæ cum Patre, non veluti acceptam furto, ideſt, non vllo falſo titulo, ſed vero, & reali, quia erat in forma Dei, ideſt, quia Diuinā in ſe habebat Naturam & Eſſentiam; id enim ſignificat vox Græca μορφὴ inhærentem formam, vt oſtendit *Chryſoſt.* Eadem vtitur *Ariſt. lib.2. Phyſic. in Capite de Natura.* Et quidem hic alio modo ſumi nō poſſe, cōſtat ex iis, quę ſubdit Apoſtolus: nam ſine dubio per *formam ſerui* intellexit Naturam Humanā: explicans enim quid ſit; *In ſimilitudinem*, inquit, *hominum factus;* ergo etiam per formam Dei intelligit Diuinam Naturam. At ſi habuit Chriſtus Diuinam Naturam, ergo erat Filius Dei naturalis, non adoptiuus.

Oppugnatur à Nazianz. & Epiphan.

Denique S. *Athan. in lib. de Aduētu Chriſti contra Apollinarē, Cyril. in lib. de recta fide ad Reginas &c. Ambroſ. lib.2. de Spiritu Sancto cap.* 10. Afferunt locum, vbi aſseritur, fuiſse in Chriſto Diuinitas non deciſa, neque per partes, vt temere ex veritate Catholica deducebant Ariani, ſed tota, & perfecta. Locus eſt *ad Coloſſ. c.2. In ipſo*, inquit, *inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Videtur ergo D. Paulus alludere voluiſse ad Templum Salomonis: nam in illo Templo dicitur Deus habitaſse peculiari quodam modo, & illud repleuiſse, *3. lib. Regum cap.* 8. ſed in hoc alio Templo, quod eſt multo ſanctius & auguſtius quam illud, dicit plenitudnem Diuinitatis habitaſse *corporaliter*, hoc eſt non efficienter tantum, ſicut in illo, quod inde ſcilicet Deus reſponderet potius, quam ex alio loco, ſed vere, & re ipſa. *Sic* exponit *Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambroſ.* & *Cyrill. loco citato.* Eſt autem Hebraiſmus ſimilis illi *in cap. 7. Geneſ. V. 13. In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe in Arcā.* In Hebræo eſt בעצם id eſt, in corpore illius diei, hoc eſt, in hac ipſa die, vere &

Oppugnatur denique ab Athan Cyril. & Ambroſ.

præ-

præciſe, Noe ingreſsus eſt Arcam. Alij (*Corporaliter*) exponunt, vt opponatur vmbræ. Habitauit Diuinitas in illo priori Templo, ſed velut in vmbra, & in figura; at in Chriſto habitauit veluti in corpore, cuius Templum illud figura tantum erat, & vmbra. Ideo concludit Apoſtolus. *Nemo uos iudicet in cibo, & in potu, &c.* Ex quibus verbis apparet, Apoſtolum contuliſſe Chriſtum corpori, & cæremonias veteris Teſtamenti vmbræ corporis huius. Alij volunt idem eſſe (*Corporaliter*) quod accommodate ad ſenſus corporeos. Sic *Author libri de Incarnatione Verbi*, qui habetur *Tomo* 4. inter opera Auguſtini: & meminit huius expoſitionis *Chryſoſt. in cap.* 8 *ad Hebræos*. Sicut enim duplex eſt lumen: aliud purum & ſeparatum ab omni concretione craſsæ materiæ: cuiuſmodi eſt illud, quod eſt in aere: aliud vero opacum in materia craſsa; ita Diuinitas in ſe ipſa eſt lumen quoddam, clarius quodammodo micans: in Chriſti vero corpore eſt veluti lumen opacum, & accommodatum ſenſibus noſtris; propterea dicebat Ioannes: *Quod audiuimus, quod uidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Qua ratione potuit à nobis contrectari Verbum vitæ, niſi quia in Chriſti corpore accommodauit ſe quodammodo corporeis ſenſibus noſtris? His locis addi debent, quæ diximus ſupra contra ſecundam Propoſitionem Arij: ibi enim oſtendimus, Chriſto Domino tribui proprietates & Attributa, quę tribuuntur vero Deo: quare cum ex proprietatibus cognoſcatur natura, & in Scripturis Chriſtus appelletur *Filius Dei*; euidens eſt, eſse Filium Dei, natura, non adoptione tantum.

Argumenta Arianorum contra naturalem filiationem Chriſti.

Ex aduerſo, Arius & Ariani ſummo conatu pugnabant, vt Chriſtũ facerent Filiũ Dei non natura, ſed adoptione tãtum: & quod ratione nõ poterant, blaſphemijs aſsequi conabantur.

Argumentũ primum.

Primo ergo dicebat *Arius in Epiſtola ad Euſebium*. Si Chriſtus eſt Filius naturalis; ergo eſt pars ſubſtantiæ Patris: at ſubſtantia Dei Patris eſt impartibilis. Addebant Ariani irriſorie, vt refert *Hilarius in lib. contra Conſtantium iam vita functum. Si Filius eſt, ergo & femina ei opus fuit, & neceſſaria ad generandum machinula. O nequam homines.*

Reſpondent Catholici, Deum vere quidem generare, ſed nõ humano modo; quemadmodum vere viuit, immo ſolus proprie viuit, quamuis non viuat noſtro more, ſpirando & reſpirando, ſed intelligendo & volendo. Sicut ergo intelligendo

viuit,

viuit, ita intelligendo generat; propterea nec fæmina illi opus eſt, neque vlla fit ex eius natura deciſio, ſed totam naturam ſuam ſine vlla deciſione intelligendo communicat Filio: & hoc eſt, quod ipſe dicit, *Omnia tua mea ſunt*. Quod Catholici reſpondent, idem multo prius ſcriptum reliquit Triſmegiſtus: ſic enim ſcribit. ὁ δὲ νῦς ὁ θεὸς, ἀῤῥενόθηλος ὢν ζωὴ, καὶ φῶς ἀποκύησε λόγῳ, ἕτερον δημιουργὸν : hoc eſt, mens illa Deus, cum maris, & fæminę vim haberet, & vita & lumen eſſet, genuit Verbum, alteram ſcilicet mentem opificem. Vtitur etiam apta ſimilitudine luminis ad id explicandum: ſicut enim à lumine lumen producitur ſine commixtione ſexus, ita Filius à Patre. Eadem plane ſimilitudine vtitur Apoſtolus *ad Hebr.* 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ* (ἀπαύγασμα), id eſt, refulgentia: nam Filius eſt lumen de lumine.

Secundo obijciebãt Ariani. Chriſtus nihil habet amplius, quã qui ſunt Filij adoptione tantũ: ergo eſt filius adoptiuus. Probatur Antecedẽs. Nã Primo. *Ioan.* 8. more Prophetarũ, ea tantũ dicitur nobis referre, quę audiuit à Patre: *Ego quæ audiui à Patre loquor*. Secũdo. More ſeruorum à Patre mittitur: *Matth.* 10. & 15. *Luc.* 3. & 9. Tertio. Ad mortem traditur, ſicut cæteri Martyres: *Actor.* 2. & 3. Quarto. Meretur ſicut cæteri iuſti: ad Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Denique. Sperat ſalutem & glorificationem à Deo, ſicut cæteri viatores. *Ioan.* 10. *Pater ſaluifica me ex hac hora:* & *cap.* 13. & 17. *Pater clarifica Filium tuum*: ergo eſt Filius adoptione tantum, non natura. *Argumentũ ſecundum Arianorum.*

Negant Catholici, Dei Filium nihil amplius habere, quam Filios adoptionis: habet enim vere Naturam Diuinam, quam non habent illi. Ad locum ergo *Ioannis* reſpondent, Hæc & ſimilia intelligi de Chriſto debere, quatenus homo erat. *D. Auguſt. tamen in hunc locum, Cyrill. & Chryſoſt. exponunt* hæc de Chriſto, vt Deus eſt. Doctus eſt ergo Filius à Patre, non diſcendo, quod ignorabat, ſed eandem cum Patre naturam accipiendo per æternam generationem: quare ex iſtorum ſententia nihil aliud ſignificare voluit Chriſtus Dominus, quam ſe conſubſtantialem eſſe Patri. Ad illud *Matth.* 10. & 15. reſpondet *S. Auguſtinus lib.* 2. *de Trinitat. cap.* 5. intelligi de Chriſto, quatenus homo eſt: dicitur autem miſſus, non coactus, ſed voluntate ſua. Itaque ſicut his locis ſe miſſum dicit, ita *Solutio.*

*Ioan.6.*dicit ſe veniſse: *Exiui à Patre, & veni in mundum: & Ioan. 1. In propria venit*, &c. Præterea, Chriſtum à Patre miſſum eſſe, nihil eſt aliud, quam quod ſcribit Apoſtolus ad *Galat.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*: quaſi idem ſit factum ex muliere, & miſſum eſse. Ad illud *Actorum* 2. 3. & 4. Perſpicuum eſt, intelligi de Chriſto homine: quomodo non à Patre tantum dicitur ad mortem traditus, ſed etiam à ſe ipſo: *Iſa.* 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Vt autem agnoſcamus in illo Diuinam etiam Naturam, dicitur ſuſcitaſſe ſe ipſum, quatenus Deus erat. *Ioan.* 2. *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud*. & alibi: *Poteſtetatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam: & 2. ad Corint. cap. 13. Crucifixus eſt ex infirmitate*, id eſt, quatenus homo, *viuit tamen ex virtute Dei*, ideſt, quatenus Deus.

Ad illud de merito ex *cap. 2. ad Philipenſes*, reſpondeo, Chriſtum quidem non meruiſse vnionem illam Humanæ Naturæ cum Verbo, neque ea, quæ hinc neceſsario conſequuntur; vt, quod tribuantur illi, quæ tribui ſolent Deo per communicationem idiomatum; quod Deum videat, &c. ſed quod ſedeat ad dexteram Patris, & quod datum illi ſit nomen, quatenus homo eſt, ſuper omne nomen, & mereri potuit, & re ipſa meruit, vt teſtatur Paulus hoc loco. Senſus enim Apoſtoli eſt: Propterea quod Chriſtus, antequam eſset homo, Diuinitatem illam, ſecundum quam non arbitratus eſt rapinam, ſe eſse æqualem Patri, deiecit infra omnem quodammodo creaturam, non modo Naturam Humanam aſsumens, ſed etiam in ipſa aſsūpta natura perferēs necem crucis; hinc deinde colligit D. Paulus, rationi conſentaneū fuiſse, vt Natura illius Humana parem quodammodo ſortiretur honorem cum Deo ipſo, & collocaretur ad dexteram Dei Patris.

Ad illud *Ioannis* 10. *Saluifica me ex hac hora*, reſpondet *Athanaſius Serm.* 4. *contra Arian.* & alij omnes, intelligi debere de Chriſto, quatenus homo erat.

Ad loca vero, *Ioan.* 13. & 14. Si ex eo quod Pater clarificat Filium, colligi poſset, Filium eſse minorem Patre; eodem modo, ex eo quod *Ioan.* 14 dicitur glorificari Pater à Filio, deberet colligi, Patrem eſse minorem Filio. Diuerſa autem ratione dicitur Filius clarificari à Patre, & Pater à Filio: Filius clarificatur à Patre duobus modis. Primo origine ipſa,

qua

qua quicquid habet, accepit à Patre. Quem ſenſum probat *S. Auguſt. contra Serm. Arianorum cap. 23. ex verbis Chriſti Ioan.* 16. *Ille me clarificabit,* id eſt, Spiritus Sanctus, *quia de meo accipiet:* quaſi clarificare ſit tribuere: & è contra, clarificari Spiritum Sanctum à Filio, ſit ab eo accipere. Secundo. Dicitur Filius clarificari à Patre, quia Pater dicit de illo præclarum aliquod teſtimonium, quo declarat non tantum eſse hominem, ſed etiam Deum; vt cum dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Pater vero dicitur clarificarj à Filio, quia Filius rebus præclare geſtis, & ſapientiam, & potentiam ad res tam præclaras accipit, & accepiſse ſe dicit à Patre. Quo ſenſu Salomon in Prouerbijs ſæpe dixit, Filium ſapientem eſse gloriam Patris.

Tertio obiiciebāt Ariani Licet Chriſtus appelletur *Filius* ob eminentem gratiam, colligitur tamen eſse adoptiuum, non naturalem; quia dicitur eſse ſubiectus Patri, non ſolum in terra; verum etiam in cœlo. 1. *Cor.* 15. *Cum tradiderit regnum Deo Patri, tunc & Filius ſubiicietur ei.* Et licet appelletur Verbum Patris *Ioan.* 1. additur tamen ab *Iſa. cap.* 10. & à Paulo ad *Rom.* 9. *eſse abbreuiatum*, vt oſtendatur, non eſse homouſion Patri, ſed eſse minus Patre. *Argumentū tertium Arianorum.*

Ad locum 1 *Cor. cap.* 15. variæ afferuntur ſolutiones: præcipuæ ſunt iſtæ. *Prima Nazianzeni in Oratione illa 4. & Cyrilli lib. 1. Theſau. cap.* 18. intelligi debere de corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia: vt ſenſus ſit: Tunc, cum tradiderit Regnum Deo Patri, futurum eſt, vt Eccleſia plane ſit Deo Patri ſubiecta, ſublatis ex feliciſſimo illo Regno omnibus omnino culpis, ratione quarum Eccleſia militans non videbatur illi perfecte ſubiecta. *Solutio prima.*

Secunda expoſitio id intelligit de vero Chriſti corpore, & Humanitate aſsumpta: tanquam dicat Apoſtolus. Futurum eſt vt tunc, id eſt, etiam in magno illo triumpho, Chriſtus ratione Humanæ Nature ſubiectus ſit Patri. Hanc vim habet illud (*tunc*) Expoſitio hæc eſt communis Græcorum, qui commentantur illum locum. Cur autem id addiderit Apoſtolus, docet Theodoretus, ſcribens in hunc locum his verbis. *Scribebat Corinthijs, qui à Græcis fabulis nuper erant liberati. Illæ autem fabulæ ſunt omni iniquitate refertæ: Deos parricidas adorant, & dicunt, Filios cōtra Parētes inſurrexiſse, & eos regno expuliſſe; ipſos autē domi-* *Solutio ſecunda.*

natum arripuiſſe. Quia ergo de Chriſto magna dixit, ne damnum ex Græcis oriretur fabulis, hæc adiecit (Tunc Filius ſubijcietur ei) humilibus verbis vtens propter illorum vtilitatem.

Solutio tertia. Tertia expoſitio colligitur ex *Epiphan. contra hæreſ. 69.* qui exponit eandem ſubiectionem de vero Chriſti corpore: ſed putat, Paulum non loqui de vera aliqua ſubiectione, ſed de declaratione, & demonſtratione ſubiectionis; quia ſi de vera ſubiectione loqueretur, non diceret, tunc Chriſtum Patri ſubijciendum; quia etiam nunc eſt Patri ſubiectus ſecundum Humanam Naturam. Quod autem loquatur de declaratione ſubiectionis, manifeſtum eſt ex *Pſalm. 109.* cuius initium hic citat Apoſtolus: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos &c.* Sedet autem modo Chriſtus ad dexteram Patris, quia fungitur officio Regis, ideſt, gubernat Eccleſiam non ſolum, quatenus Deus, ſed etiam, quatenus homo; quia quatenus homo eſt, eſt caput Eccleſiæ: igitur tam diu ſedebit ad dexteram Patris, quam diu gubernanda Eccleſia erit: gubernanda autem erit Eccleſia vſque ad diem iudicij: & ſic intelligitur quod alibi dicitur; *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum;* ideſt, vt poſtquam poſiti fuerint inimici eius ſcabellum pedum eius, non ſedeat à dextris, hoc eſt, deſinat gubernare. Quod alijs verbis dixit Apoſtolus: *Tunc Filius ſubijcietur ei*, hoc eſt, deſinet demonſtrare perſonam Gubernatoris, & Regis. Idem oſtenditur ex alijs verbis ibidem poſitis ab Apoſtolo: *Tunc tradet Regnum Deo & Patri.* Quæ verba non poſſunt intelligi de vera Regni traditione: quia alioquin ſequeretur, modo Patrem non regnare; ſed intelligi debent ſic; fore ſcilicet, vt Chriſtus tunc abdicet ſe quodammodo officio Gubernationis, & relinquat totam curam Patri ſuo: ergo eodem modo, cum dicit, Chriſtum ſubijciendum, non loquitur de vera ſubiectione, ſed de declaratione ſubiectionis tantum. Idem denique colligitur ex vltimis verbis illius textus: *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Quod non poteſt intelligi vere: quia ſi ita intelligimus, non tantum tunc, ſed etiam nunc eſt Deus vere omnia in omnibus; ſed loquitur de demonſtratione, & declaratione; ideſt, tunc non erit nobis opus vllo homine Gubernatore, & Mediatore, ſed *erit Deus omnia in omnibus*, ideſt, Deus aget omnia per ſe.

Ad locum Iſaiæ Prima expoſitio. Ad illud *Iſaiæ* 10. & ad *Roman.* 9. reſpondent omnes Catholi-

tholici, ſi intelligatur de Chriſto, *dici Verbum abbreuiatum*, quod concluſerit omnem ſuam Diuinitatem intra Naturam Humanam; & ſicut ait Paulus, *exinaniuerit ſemetipſum*. *Sic Cyprianus lib. 2. contra Iudæos*, Hierony. *in Epiſt. ad Algaſiam quæſt.* 10. *Anacletus Epiſt.* 2. Alij ſecundo aſſerunt, verba illa non eſſe intelligenda de Chriſto, ſed de Euangelio, & Chriſti doctrina, quæ paucis totam legis amplitudinem amplexa eſt. *Sic Tertul. lib. 4. contra Marcionem, Baſil. in Iſaiam, Chryſoſt. & Theodoret. in hunc locum: & Auguſt. lib.* 1. *ad Simplicianum queſt.* 2. Tertio alij dicunt, Græcum verbum (λόγον) ibi poſitum ſignificare *rationem*; hoc eſt ſupputationem. Videtur enim Apoſtolus velle dicere. Etſi numerus filiorum Iſrael eſſet tanquam arena maris, reliquias tamen ſaluas futuras. Cuius rei rationem reddit, quia *Verbum*, ſeu λόγον, ideſt, rationem conſumans & abbreuians, Deus eſt, ideſt, qui ſupputat, qui rationes ſubducit, eſt ipſe Deus. Idcirco ad minutiſſimos calculos numerabit omnes filios Iſrael; & etiamſi inter infinitos pauciſſimi ſunt prædeſtinati, eos ſubducet, & ſaluos faciet. Quarto, Syri & Arabes (mea quidem ſententia) omnium optime ſunt aſſecuti ſenſum huius loci. Volebat Apoſtolus oſtendere, ex filiis quidem Iſrael pauciſſimos eſſe ſaluandos, licet numerus illorum eſſet tanquam arena maris. Sic ergo legunt ipſi tres illos verſus noni Capitis v 27. 28. & 29. *Iſaias autem inquiūt verificat ſermonem de Filiis Iſrael dicens. Per verbum definitum, & abbreuiatum (Itali dicunt reſolutamente, & in poche parole), & faciet illud Dominus ſuper terram. Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, non viuet ex eis niſi parua reliquia, ſicut prædixit Iſaias: Niſi Dominus ſabbahot reliquiſſet nobis germen, quaſi Sodoma eſſemus, & Gomorrhæ ſimiles fuiſſemus in ruina*. Hæc Arabes ad verbum.

Secunda expoſitio.

Tertia expoſitio.

Quarta expoſitio.

Attulimus hucuſque Arianorum & Catholicorū argumenta, quibus illi Chriſti Diuinitatem impugnabant, iſti tuebantur, & demonſtrabant: quibus Probus, Ethnicus Iudex induci potuit, vt Ario reiecto, Chriſtum fateretur homouſion Patri. Nō ignoro, Commētationem illam inter Athanaſiū Epiſcopū, & Arium ante Probum Iudicem, quæ inter opera refertur Athanaſii, compoſitam eſſe à Vigilio Tridentino Epiſcopo, non ab Athanaſio: nam Athanaſius viuente Ario nondum erat Epiſcopus, ſed Diaconus tantum: Alexandrinus Epiſcopus erat Alexander, & ante Alexandrum mortuus eſt Arius: non potuit

Probo Iudice, diſceptationis palma ad Catholicos pertinet.

ergo

ergo Athanaſius Epiſcopus corã Probo diſceptare cũ Ario: ſed oſtendere voluit Vigilius in ea Commentatione, tam euidenter oſtendi ex Scripturis Sacris æqualitatem Filii cum Patre, eandemque ſubſtantiam, vt ab ipſis etiam Gentibus, modo Scripturas noſtras legiſſent, ferri potuerit ſententia aduerſus Arium pro Athanaſio. Illud certe non eſt compoſitum, ſed veriſſimum, quod ſcribit S. *Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos*, Arium ad Concilium veniſse, & conuictum eſse, & palinodiam, vt dici ſolet, recantaſse, & ſubſcripſiſse homouſio, vna cum Achilla, Euſebio Pamphilo, aliisque ſectatoribus eius. Addit etiam S. Hieronymus, ſuo tempore aliquos adhuc fuiſse ſuperſtites, qui huius rei teſtes eſse poterant: ſed ſoluto Concilio rediit Arius cum ſuis ad vomitum. Quare vita illi eripi potuit, Hæreſis non potuit

Arius conuictus ſubſcribit Homouſio.

CAPVT IV.

De Diuinitate Spiritus Sancti.

HVius quarti Capitis quatuor erunt partes. In Prima dicemus quando hæreſis contra Spiritum Sanctum exorta ſit, & quos habuerit Authores. In Secunda, quo potiſſimum tempore Spiritus Sancti Diuinitas nota eſse cæperit. In Tertia, afferentur argumenta hæreticorum cum ſolutionibus. Quarta continebit commendationem duorum Patrum, qui præ cęteris Filii, & Spiritus Sancti Diuinitatem propugnauerunt.

Prima pars Capitis.

QVod attinet ad primum, In Concilio Nicæno nihil Ariani contra Spiritus Sancti Diuinitatem moliti ſunt, vt teſtatur *S. Baſilius in Epiſt.* 78. vbi poſtquam Nycænum attulit ſymbolũ, ſubdit hæc verba. *Sententia de Spiritu Sancto in transcurſu ſine omni diligentia poſita eſt; propterea quod nondum mota eſſet hæc Quæſtio, ſed adhuc credentium mentibus ſecurus, ac nullis obiectus inſidijs ineſſet de Spiritu Sancto intellectus: paulatim vero peruerſe*

impie-

impietatis ſemina ſe ſe exeruerunt: quæ quidem ab Ario hæreſis authore ſeminata, poſtea vero ab alijs, qui impia Arij commenta ſuſceperunt, ad perniciem Eccleſiarum nutrita ſunt. Idem ſcribit S. *Hieronymus in Epiſt. 65. Quomodo, inquit damnabimus, quos Synodus Nycæna non tetigit? ſcilicet idcirco Spiritus Sancti neganda maieſtas eſt, quia in illa Synodo ſuper ſubſtantia eius ſilentium fuit: de Ario tunc non de Origine quæſtio fuit; de Filio, non de Spiritu Sancto, confeſſi ſunt quod negabatur: tacuerunt, de quo nemo quærebat.* Hæc Hieronymus. Ex quibus conſtat, hæreſim de Spiritu Sancto Arianiſmo recentiorem eſse. Quis autem fuerit primus, qui negauerit Diuinitatem Spiritus Sancti, non eſt ſatis compertum. Quidam volunt fuiſse Marathonium ex *Socrate lib. 2. Hiſtor. Eccleſiaſticæ. Sanctus Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap.* 1. ait fuiſse Aetium. *Sozomenus lib. 6. Hiſtor. cap. 26.* vult fuiſse Eunomium: qui cum eſset Aetii diſcipulus, quem errorem non auſus fuerat Aetius publice profiteri; ipſe primus profeſsus eſt, negauitque Spiritum Sanctum eſse Deum. Vulgaris opinio eſt, Authorem huius erroris fuiſse Macedonium, vt ſcribit *Socrates lib. 2. Hiſt. cap. 35.* illud ſaltem certum eſt, hunc, conatum eſse præ cæteris, quibus potuit artibus oppugnare Spiritum Sanctum: ſed, *mentita eſt iniquitas ſibi.*

Secunda pars Capitis.

QVOD attinet ad Secundum, Non tantum in Nouo Teſtamento, ſed etiam in Veteri mentio fit Diuinitatis omnium trium Perſonarum, vt oſtendemus *lib. 3.* Illud tamen conceſsum eſt, etiam à Catholicis, Diuinitatem Spiritus Sancti non tam clare olim explicatam nobis fuiſse, quam Diuinitatem Filii. Itaque *Nazianzenus Oratione 5. de Theologia* ait, In veteri Teſtamento Diuinitatem Patris aperte fuiſse traditam, Diuinitatem Filii perobſcure: in Nouo autem Teſtamento vſque ad Aſcenſionem Chriſti, fuiſse explicatam Chriſti Diuinitatem; poſt Aſcenſionem autem cæpiſse patefieri Diuinitatem Spiritus Sancti ex miraculis, quæ illius virtute quotidie fiebant; & ſubdit hæc verba. *Dicebat Saluator fore, vt ab adueniente Spiritu Sancto omnia docerentur: ego vnum ex eorum numero eſſe cenſeo ipſam Spiritus Sancti Diuinitatem in poſterum aperitus declaratam. Et hæc de Secundo.*

Quod

Tertia pars Capitis.

Argumentũ primum Arianorum, & Macedonianorũ contra Diuinitatem Spiritus Sancti.

QVod attinet ad Tertium, Argumenta contra Diuinitatem Spiritus Sãcti deducebant Ariani & Macedoniani ex quinque Capitibus. Primum continet ea Teſtimonia, in quibus videtur Spiritus Sanctus vocari creatura: *Nam Spiritus Sanctus, aiebant, nuſquam in Scriptura vocatur Deus: Immo Amos cap. 4. appellatur creatura: Ego Dominus formans tonitru, & creans Spiritum: & Ioan. cap. 1. omnia dicuntur facta per Filium:* ergo & Spiritus Sanctus, qui non eſt Filius.

Solutio.

Spiritus Sanctus vbi dicitur Deus

Ad hoc argumentum negant Patres illud Antecedens, nuſquam in Scriptura Spiritum Sanctum vocari *Deum. Dydimus lib. 1.* de Spiritu Sancto affert locum illum *Act. cap. 5. Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* S. *Ambroſ. lib. 3.* de Spiritu *Sancto cap. 1.* affert illud ex *Ioan. cap. 4. Spiritus eſt Deus*. Quæ verba ob hanc ipſam cauſam abraſerant Ariani, vt S. *Ambroſ. ibid.* teſtatur, S. *Athan. in Dialogo 1. de Trinit. &* S. *Cyrill. lib. 7. de Trinitat.* afferunt Teſtimonia duo deſumpta ex Pſalmis. primum ex *Pſalm. 32. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Secundum ex *Pſalm. 103. Emitte Spiritum tuum & creabuntur*, &c. In his duobus locis Spiritus Sanctus vocatur *creator* non *creatura*: at nemo poteſt eſse creator præter Deum; ergo Spiritus Sanctus eſt Deus.

Ad primũ locũ ab Arianis, & Macedonianis allatũ reſpõdent S. *Athã. in Epiſt. ad Serapionem, & Baſilius lib. 3. contra Eunomium,* nomine (*Spiritus*) eo loco ſignificari ventũ, nõ Spiritũ Sanctũ.

Ad ſecundum locum reſpondet *Nazianz. Oratione 5. de Theologia*, id intelligi de his, quæ facta ſunt: at Spiritus Sanctus non eſt factus: ſicut ergo Pater non eſt Filius, & tamen non eſt factus per Filium; ita Spiritus Sanctus, licet non ſit Filius, non eſt tamen factus per Filium; quia nec Pater, nec Spiritus Sanctus ſunt facti.

Argumentum ſecundum.

Secundum Caput continet Scripturas, in quibus numerantur Diuinæ Perſonæ præterito Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus non eſt Perſona Diuina. Scripturæ ſunt hæ. *Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: Hic nulla mentio Spiritus Sancti. 1. *ad Timoth.*

cap. 5.

cap. 5. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis*: ergo ſignum eſt, Spiritum Sanctum eſse aliquem ex Angelis, non Deum. *Actor. 2. 8. & 10. Apoſtoli baptizant in nomine ſolius Chriſti.* ergo Spiritus Sanctus minor eſt Filio: nam in nomine ſolius Spiritus Sancti nunquam legimus collatum eſse baptiſmum. Sic ſolitos argumentari hæreticos iſtos teſtatur *S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3.* & *S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 12.* His Teſtimonijs alia Patres opponebant, in quibus Spiritus Sanctus recenſetur inter Diuinas Perſonas. *Dydimus lib. 2. de Spiritu Sancto,* &. *s. Ambroſ. lib. de Spiritu Sancto cap. 4.* afferunt locum *Matt. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ergo Spititus Sanctus eſt Deus ſicut Pater & Filius. S. *Athan. lib. 1 ad Theoph. De Vnita Deitate Trinitatis*, affert illud Epiſt. 1. *Ioan. cap. 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum ſunt. Baſilius lib. 2. contra Eunomium*: & *Epiphan. cont. hæreſ. 69* afferunt illud *Matth. 12.* & *Marc. 3. Omne peccatū, & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſpemia non remittetur*. &. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex quo colligitur, Spiritum Sanctum eſse Deum, & dignitatem Spiritus Sancti nihilo minorem eſse dignitate Patris, & Filij. Solutio.

Ad primum reſpondet *s. Baſilius lib. 3. contra Eunomium*, & *S. Athanaſius Serm. 4. contra Arianos*, in illo vero Deo includi Filium, & Spiritum Sanctum. Nam, vt acute philoſophatur *Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem*, Cum dicitur Pater eſse Deus, non intelligitur id eſse ſine ſapientia, & ſine ſuo Spiritu: at nihil eſt in Deo Patre, quod Deus non ſit. quare tam Filius, qui eſt Patris Sapientia, quam Spiritus Sanctus, qui Spiritus Patris eſt, ſunt idem Deus.

Ad ſecundum reſpondet *S. Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem*, hanc obiectionem ineptam eſse: nam interdum nominatur Pater & Spiritus Sanctus præterito Filio; vt *Iſa. cap. 45.* & *Aggei cap. 3*, neque tamen hinc recte colligitur; ergo Filius non eſt Deus. Eodem modo. Paulus non nominauit Spiritum Sanctum loco citato; ergo non eſt Deus? inepta argumentatio.

Ad tertium, Si quid concludit argumentum, concludit,

non ſolum Spiritum Sanctum, ſed etiam Patrem eſse minorem Filio; quia nunquam legimus, in nomine ſolius Patris collatum eſse baptiſmum. Dicitur ergo locis citatis baptiſmus Chriſti baptiſmus ille, qui eſt inſtitutus à Chriſto: at Chriſtus inſtituit vt baptizaremur in nomine Patris,& Filij, & Spiritus Santi.

Argumentũ tertium. Tertium Caput continet ſimilitudines quaſdam Spiritus Sancti, quæ cadere non poſsunt in Deum. Nam, præterquam quod confertur cum aqua, creatura ſatis infima, *Ioan. cap.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. Luc.*11.vocatur digitus Dei: *Si in digito Dei eijcio Dæmonia,&c.* ergo ſicut digitus minor eſt corpore, ſic Spiritus Sanctus minor eſt Deo. Præterea 2.*Cor.cap.* 1.& 5. vocatur pignus: at pignus eſt tantum pars pretij: ergo Spiritus Sanctus minor eſt Deo, qui confertur cum pretio. His argumentis vti conſueuiſse hæreticos teſtatur Paſcaſius in libris de Spiritu Sancto: & illud primum de aqua refert ipſe *lib. 2. cap.*5.illud de *digito, lib.*1.*c.*7 *illud de pingore,cap.*11 Ad hęc argumenta reſponderunt Patres,ſatis indocte ab hæretecis exponi ſimilitudines iſtas: ex quibus cum deberet colligi Spiritus Sancti Diuinitas, ipſi contrarium collegerunt.

Solutio. Ad primum ergo reſpondet *Paſcaſius loco citato*, contrarium colligi. Nam cum regeneratio illa per baptiſmum ſit Diuina, & aqua ſit tantum creatura, ſatiſque infima; ſignũ eſt, reddi Diuinam per Spiritum Sanctum operantem in aquis baptiſmi, quia Deus eſt. Eodem modo in Symbolo dicimus, Chriſtum eſse conceptum de Spiritu Sancto ex Maria: neque tamen ſignificare volumus; Spiritum Sanctum eiuſdem eſse naturæ cum Maria Virgine; ſed contrarium. ideſt, non tantum virtute mulieris conceptum eſse Chriſtum, ſed etiam Dei.

Ad ſecundum, hinc etiam contrarium colligi debet. Nam ſi eſt digitus Dei; ergo eſt Deus: nihil enim eſt in Deo, quod Deus non ſit.

Ad tertium reſpondet *Athanaſius in lib. De Communi Eſſentia Trinitatis*, etiam Deum vocari interdum partem: vt *Pſal.* 15. *Dominus pars hæreditatis meæ:* quare non ſequitur, Spiritum Sanctum non eſse Deum, licet vocetur *pars & pignus* Subtilius reſpondet Paſcaſius loco citato, pignus ſolere eſse maius quam id, pro quo datur, aut illi certe æquale. Itaque cum

Spiri-

Spiritus Sanctus vocetur *pignus Dei*, colligi potius debebat, Spiritum Sanctum eſſe Deum.

Quartum Caput continet modos quoſdam loquendi, quibus Scriptura vtitur, cum de Spiritu Sancto loquitur, qui conuenire non poſſunt Deo; ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus. Modi ſunt ſequẽtes. Primo, *ad Rom*. 8. dicitur *poſtulare pro nobis gemitibus, &c.* at poſtulare non eſt Dei. Secundo, apud Ioannem ſæpe dicitur *mitti à Patre & Filio*: at qui mittitur, à ſuperiore mittitur. Tertio, dicitur *non loqui à ſe ipſo, ſed quæ prius audiuerit*: at Deus non diſcit ab aliquo, ſed docet omnes. Quarto, 1. *Corint. cap*. 2. *dicitur ſcrutari profunda Dei*: at ſcrutari arguit ignorantiam, à qua longiſſime diſtat Deus. Quinto, in eadem *Epiſtola cap*. 14. *Spiritus, inquit, Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt*: at Deus nulli ſubiicitur, ergo Spiritus Sãctus eſt creatura. Sexto, *Spiritus Sanctus dicitur loqui per Prophetas*: at Propheta *Pſal*. 44. dicit: *Venite adoremus Dominum*: ergo, ſi hæc verba ſunt Spiritus Sancti, Spiritus Sanctus numerat ſe inter adoratores: immo *Zach. c*. 14. aperte dicitur, eum, qui loquebatur in ipſo, fuiſse Angelum: *Et reſpondit*, inquit, *Angelus, qui loquebatur in me*. His Scripturis, quæ obſcuriores videntur, alias obiiciunt Patres, quæ Spiritui Sancto operationes Diuinas tribuunt non obſcure. s. *Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem*, & s. *Ambroſ. lib*. 1. *de Spiritu Sancto, cap*. 1. afferunt ex *Pſalm*. 108. vbique eſse, quòd eſt propriiſſimum Dei. *Quo ibo à spiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades*. Idem habetur *Sapient. cap*. 1. *spiritus Domini repleuit Orbem Terrarum. Dydimus lib*. 2. *de spiritu sancto* affert, ex *cap. Actor*. 20. ſua authoritate conſtituere Apoſtolos & Prophetas in Eccleſia, quod ſolius eſt Dei. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Apoſtolos, & Epiſcopos, &c.* s. *Cyrillus in lib. Quod Spiritus Sanctus ſit Deus*, affert. ex 1. *ad Corinth*. 6. habere templum, quod eſt proprium Dei: *Neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?*

Argumẽtum quartum.

Solutio.

Duo hic dicit Paulus. Primo. Spiritum Sanctum habere templum, quod proprium eſt Dei. Secundo. Nos Deum portare in corpore noſtro, quia portamus Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus eſt Deus. s. *Baſilius lib. de. Spiritu Sancto cap*. 16. *affert ex* 2. *ad Corinth. cap*. 12. diſtribuere arbitrio ſuo gratiam: at gratiam & gloriam nemo dat, niſi Deus: *Diuiſiones,*

nes, inquit Apoſtolus, *gratiarum ſunt*, *idem autem Spiritus*. & infra: *Hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Eodem pertinet quod affert *Dydimus lib.* 1. *de Spiritu Sancto ex cap.* 5. *ad Roman. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. vbi pro eodem accipit charitatem Dei, & charitatem Spiritus Sancti: ergo Spiritus Sanctus eſt Deus.

Ad primum argumentum hæreticorũ reſponderi poſset ex Chryſoſtomo, & Oecumenio, eo loco, nomine (*Spiritus*) intelligi debere miniſtrum quendam, qui orabat pro populo; & vocabatur *Spiritus*, quia donum acceperat precum: hic petebat pro vulgo gemitibus, &c.

Secundo reſponderi poſset ex Theodoreto, per (*ſpiritum*) intelligi gratiam animæ infuſam à Deo, per quam petimus quid oporteat gemitibus inenarrabilibus. Communis expoſitio intelligit de Spiritu Sancto. *Auguſt. Epiſtola* 121. *De Orando Deum. Gregor. lib.* 3. *Mor. cap.* 22. *Tertull. in lib. de Trinit. Ambroſ. Epiſt.* 23. Reſpondet ergo Auguſtinus loco citato, illud (*poſtulat*) exponendum eſse pro (*poſtulare nos facit*) ſic enim ipſe ſe Apoſtolus explicat: ſubdit enim: *Ipſe adiuuat infirmitatem noſtram, vt ſcilicet poſtulemus, quod poſtulandum à nobis eſt*. Eodem fere modo loquitur ad *Galat. cap.* 4. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui clamantem, Abba Pater*, id eſt, clamare nos facientem, vt explicat ad *Roman.* 8. *Accepiſtis Spiritum filiorum, in quo clamamus Abba Pater*.

Ad ſecundum, nota eſt reſponſio communis, & veriſſima, Miſſionem, non inæqualitatem, ſed ordinem tantum originis ſignificare. Mittitur ergo Spiritus Sanctus à Patre & Filio, quia ab vtroque procedit.

Ad tertium reſpondet S. *Baſil. lib.* 1. *contra Eunomium*, audire Spiritum Sanctum à Patre & Filio, nihil eſſe aliud quam produci ab vtroque: neque enim aliud eſse poteſt in Spiritu Sancto ſcientia, quam eſſentia: & ſic exponunt omnes Patres. De qua re diximus nos in hoc eodem *Libro cap.* 3.

Ad quartum, quod refertur ab Epiphanio in Ancorato, & Idacio contra Varimandum, reſpondent, hoc ipſum verbum dici de Deo 1. *Paralipomenon cap.* 28. *Omnium corda ſcrutatur Deus*: & *Pſal.* 7. *Scrutans corda & renes Deus*, id eſt cognoſcens, & penetrans; addit Apoſtolus eodem loco, *Spiritum Sanctum ſcrutari*

profunda Dei : at nulla creatura ſcrutatur profunda Dei.

Ad quintum, quod refertur ab eodem Idacio, reſpondent, ſenſum eſſe: Cum loquitur aliquis ex Prophetis, iudicetur à cæteris Prophetis, proprio ne, an Dei Spiritu dicat, quod dicit. Itaque per (*Spiritum Prophetarum*) intelligit Paulus generaliter omnem Spiritum loquentem per Prophetam, ſiue ſit Diuinus, ſiue humanus, ſiue diabolicus; ideo ſubdit: *Prophetæ duo, aut tres loquantur, cæteri diiudicent.* Hoc ipſum ſuadet *Ioannes in Epiſt. prima, cap.* 4. *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint.*

Ad ſextum, quod refertur ab *Athanaſio, in lib. De Eßentia Trinit.* reſpondet ipſe, verba, quæ à Prophetis dicuntur, ſuppeditari quidem omnia à Spiritu Sancto; non tamen dici omnia de perſona Spiritus Sancti: alioquin id etiam, quod ſequitur: *Ploremus coram Domino, qui fecit nos, &c.* intelligeretur de Spiritu Sancto: quod eſt abſurdum.

Ad illud *Zach. cap.* 4. reſpondet *S. Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem*, hunc, qui loquebatur in Zacharia, fuiſſe miniſtrum Spiritus Sancti, non Spiritum Sanctum: ſubdit enim Angelus: *Hoc eſt verbum Domini, non in exercitu, &c. ſed in Spiritu meo dicit Dominus, &c.* Vnde patet, Angelum de Deo, & Spiritu Sancto, tanquam vtriuſque miniſtrum ad Zachariam fuiſse loquutum.

Quintum Caput continet rationes quaſdam, quas contra Diuinitatem Spiritus Sancti afferebant Ariani, & Macedoniani. Prima refertur à S. Baſilio in Sermone contra Sabellianos: Spiritus Sanctus non eſt genitus, neque ingenitus; ſolus enim Pater eſt ingenitus: ergo eſt creatura. Confirmatur. Quia naturalis modus procedendi ab alio eſt tantum per generationem: ſed Spiritus Sanctus non eſt genitus; ergo libere productus ſicut cæteræ creaturæ. Secunda ab eodem *Baſilio. lib. 3. contra Eunomium.* Spiritus Sanctus in Trinitate eſt tertius ordine: ergo etiam natura, ac proinde inferior, & minor Patre, & Filio. Tertia *à Fulgentio lib. 2. contra Monimum.* In ſacrificio Miſsæ non inuocatur Pater, neque Filius, ſed ſolus Spiritus Sanctus (*Veni ſantificator, &c.*) ergo ſignum eſt, Spiritum Sanctum eſse tantum miniſtrum, qui mittatur à Deo, vt ſanctificet Sacrificium. *Argumētum quintum.*

Ad has rationes dicunt Patres. Aut nihil, aut certe contrarium

rium ex ipſis colligi; idque facile oſtendunt. Nam ad primam reſpondet *S. Baſilius loco citato*, ſtultum eſse, quia apud nos non eſt alius modus naturaliter procedendi ab alio, quam per generationem, idem affirmare velle de Deo. Eſt ergo in illo duplex modus naturaliter procedendi: vnus per generationem, qua producitur Filius: alter per ſpirationem, qua producitur Spiritus Sanctus. Cur autem hæc productio Spiritus Sancti, non ſit generatio, dicemus *lib.2.* Ad ſecundam reſpondet idem *Baſilius loco citato contra Eunomium*, Conſequentiam plane nullam eſse: tertius enim eſt Spiritus Sanctus, non inæqualitate, ſed origine; in eadem tamen eſsentia. Ad tertiam reſpondet Fulgentius, hinc potius contrarium colligi. Nam ſi Spiritus Sanctus Sacrificium ſanctificat; ergo Deus eſt. Et quidem in noſtra Lithurgia additur verbum (*Deus*) *Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium.* Ratio autem, cur ſolus Spiritus Sanctus inuocetur, hæc eſt: quia illius officium peculiare eſt ſanctificare, ſicut peculiari quadam ratione appellatur (*ſanctus*) quamuis & Pater, & Filius ſit ſanctus. Eodem argumento vſos etiam fuiſse hæreticos contra Filium, Author eſt *Fulgent. ibid.* ſic enim aiebant. *Eccleſia ſoli Patri offert ſacrificium, non Filio: Suſcipe ſancte Pater hanc immaculatam Hoſtiam, &c. Orationes etiam non dirigit ad Filium, ſed ad ſolum Patrem: ergo Filius non eſt Deus, neque æqualis Patri.*

Ad primum Reſpondeo. Primo. Offertur Deo Patri Sacrificium, quia eſt principium Filij, & Spiritus Sancti. Secundo. Offertur Sacrificium toti Trinitati: ſic enim poſt oblatam Hoſtiam dicimus nos. *Suſcipe Sancta Trinitas Omnipotens æterne Deus hanc oblationem, &c.* Præterea in Veteri Teſtamento oblatum fuit Filio Sacrificium Gen. 8. & 12. nam Noe, & Abraham illi Sacrificium obtulerunt, qui apparuit ipſis: at Pater, ex Arianorum ſententia, numquam apparuit; obtulerunt ergo Noe, & Abraham Sacrificium Filio: eſt igitur verus Deus. Sic Idacius contra Varimandum cap. 50. Ob hanc ipſam rationem Catholici maiori ſtudio quam Ariani contendebant, ſolum Filium fuiſse, qui viſus eſt Patriarchis. Lege Hilarium libro de Synodis contra Arianos Anathematiſmo quarto. Alij Authores probarunt, Chriſto oblatum fuiſse Sacrificium, etiã in Nouo Teſtamento, quia Magi obtulerunt

illi

illi thus, quod non offerebatur niſi Deo in Sacrificijs. Ita Hilarius *Can 2. in Matth. Ambroſ. in cap. 2. Lucæ*, & *Leo Serm. 1. de Epiphania*.

Ad Secundum. Primo, aſsumitur falſum, non dirigi ab Eccleſia orationes niſi ad Patrem: diriguntur enim etiam ad Filium: *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, &c.* idem fit in multis alijs. Secundo; hinc potius colligitur, Filium eſse Deum: licet enim orationes dirigantur ad Patrem, quia eſt caput Diuinitatis; concludunt tamen his verbis *Per Chriſtum Dominum noſtrum*: quia eſt noſter Redemptor, & ideo Dominus, cuius meritis orationes & Sacrificia vim habent Non potuit autem eſse Redemptor, niſi eſset verus Deus, vt probat *S. Athanaſius Dialog. 5. de Trinit. & Epiphan. in Ancorato*: purus enim homo non potuit nos vere, & perfecte redimere.

Quarta pars Capitis.

ABſoluimus Diſputationem contra hæreticos de Diuinitate Diuinarum Perſonarum, cuius ſtudioſiſſimi fuerunt præ cæteris in Oriente vbi hæc opinionum monſtra exorta ſunt & adoleuerunt, Athanaſius & Serapion, Thumis Epiſcopus: & hæc erit poſtrema huius Capitis pars. Nam ille omnes Arij conatus & Diſputationibus & ſcriptis fregit, vt omnes nouerũt; hic prius Macedonio ſe oppoſuit, & deinde in Macedonianos Athanaſiũ cõcitauit, vt conſtat ex Athanaſij litteris ad ipſum, in quibus ſic loquitur. *Scripſiſti cariſſime, & vere deſideratiſſime, & ipſe quoque mæſtus, quoſdam ex Arianis prodijſſe, qui cum male ferant blaſpemiam in Filium, ipſi tamen male ſentiunt de Spiritu Sancto; dicuntque, non ſolum creaturam eſſe, ſed vnum quoque ex ſpiritibus miniſtris, & gradu tantum à cæteris Angelis differre.*

Hæc vtriuſque pietas in tuenda Filij, & Spiritus Sancti Diuinitate ſine dubio in cauſa fuit, vt ambos Magnus ille Antonius moriens paupertatis ſuæ legatarios inſtituerit: ſic enim Antonius. *Veſtimentorum*, inquit, *meorum ſit iſta diuiſio: Melotem & palliũ tritum, cui ſuperiaceo, Athanaſio Epiſcopo date: Serapion Epiſcopus aliam accipiet melotem, vos cilicinum habetote veſtimentum:* (alloquitur diſcipulos) *& valete, viſcera mea: Antonius enim migrat,*

grat, & iam non erit in præſenti ſæculo vobiſcum· Hæc Athanaſius in eius vita. De vtriuſque autem eruditione quid attinet dicere? Serapion ob elegantiam ingenij, inquit, *S. Hieron. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, cognomen *Scholaſtici* meruit; immo quę Athanaſius, ſuadente Serapione, contra Macedonianos, & Arianos pro Spiritus Sancti Diuinitate ſcripſerat, Serapioni ipſi tradidit corrigenda; ſic enim habet in eadem Epiſtola· *Quæ ſcripſi, tuæ pietati tranſmiſi, plurimum te exhortans vt in illis legendis quædam emẽdes, & vbi imbecillior eſt dictio, veniam dones* Athanaſius vero, quantum ingenio valuerit, & in Sacris Litteris peritia, cognoſcet qui orationem legerit Nazianzeni in eius funere, & Photium in Epiſtola ad Tharaſium: vbi & Gregorium Nazianzenum, & Magnum Baſilium ab Athanaſio tanquam à fonte hauſiſſe ait lumina illa orationis; quibus libri ipſorum reſplendent. Ego illud tantum adſcribam Abbatis Coſmæ apud Sophronium in Prato Spirituali *cap* 40. *Cum*, inquit, *inueneris aliquid ex Opuſculis* S. *Athanaſij, nec habueris cartam ad ſcribendum, in veſtimentis tuis ſcribe illud*.

CAPVT V.

IN hoc Capite Quinto agemus contra Græcos Schiſmaticos, qui negant proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. Caput diuidetur in quatuor partes. in Prima afferemus cauſas huius Schiſmatis. In Secunda proponemus argumenta ex Sacris Litteris, quibus perſuadetur proceſſio Spiritus Sancti, etiam à Filio. In Tertia rationes Schiſmaticorum cum ſolutionibus. In quarta dicemus aliquid de pœna iſtis Schiſmaticis illata.

Prima pars Capitis.

QVod pertinet ad Primã partẽ, potiſſima cauſa Schiſmatis Grecorũ fuit hęc Quęſtio de proceſſione Spiritus Sãcti à Filio, vt obiecerunt ipſi Latinis *in Concilio Florentino Seſſ.* 3. Primus autem Author huius erroris, ſi credimus *D. Thomæ*

1. parte,

1.*parte,q.36.a.2.ad 3*.fuit Neſtorius.Coniectura eſt,quia Theodoretus, olim Neſtorianus, aperte aſſeruit, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, ſed à ſolo Patre, vt conſtat ex confutatione anathematiſmi 9.contra Cyrillum. Alij alios faciunt Authores huius erroris. Sed quicunque fuerit primus, cauſæ quibus Græci diſceſſerunt ab Eccleſia Latina, duæ potiſſimũ ſunt. Prima, quod fere ſemper Authores Græci loquuti fuerint de hac re aliter, quam Latini. Nam Latini diſertis verbis faſſi ſunt, Spiritum Sanctum procedere non à ſolo Patre, ſed etiam à Filio. Ex Græcis autem admodum pauci: nam ex ipſis aliqui aliquando dixerunt procedere à Patre, nulla facta mentione Filij, vt *Damaſcenus lib.*1. *de Fide cap.*11. Aliquando dixerunt, procedere à Patre per Filium, ſed non dixerunt procedere à Filio. *Epiphanius in Ancor. Cyrill. de Recta Fide ad Reginas*. Aliquando dixerunt, procedere à Patre, & accipere à Filio; ſed non dixerunt procedere à Filio, vt *Epiphan. contra hæreſ.62.69.* & alibi. Aliquando dixerunt, procedere à Patre, & requieſcere in Filio, propter Verba *Iſaiæ* 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, vt *Damaſc.lib.*1.*de Fide cap.*7.10.*&* 18. Aliquãdo dixerunt procedere à Patre, & eſſe Spiritũ Filij: ſed non dixerunt procedere à Filio, quod dixerũt omnes Græci Authores, authore *Anſelmo, lib. De Proceſſione Spiritus ſancti, cap.*2.*&* 14. Aliquando dixerũt, procedere à Patre, & non eſſe alienum à Filio: ſed noluerunt dicere, procedere à Filio, vt *Cyrillus in Anathematiſmo* 9. Aliquando dixerunt, procedere à Patre, & mitti, ac dari à Filio; ſed non dixerunt ab illo procedere: ita loquutus eſt aliquando *Athanaſius in lib. de Virginitate*, & refertur ab Adriano Papa in Reſponſione ad librum Caroli Magni *De Imaginibus*. Aliquando dixerunt, procedere à Patre, & apparere per Filium; ſed non dixerunt, procedere à Filio: ſic Nazianzenus, referente Adriano, eodem loco. Aliquando adeo prope acceſſerunt ad Latinorum ſententiam, vt conceſſerint, Spiritum Sanctum eſſe à Patre, & profluere προχεῖσθαι quidem à Filio, ſed non procedere ab illo: & aliquos ex Græcis hoc conceſſiſſe, author eſt *D.Thom.p.p.quæſt.36.à 2. in corpore.*

Modi loquendi Græcorum Patrũ de proceſſione Spiritus Sancti à Filio.

Qui vero fuerunt poſt tempus ſecundæ Synodi Nycenæ, aperte dixerunt, Spiritum Sanctum non procedere à Filio. Primus, vt arbitror, dixit hoc Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, vt conſtat ex lib. Hugonis Elteriani, qui ſcripſit ad-

Photius aperte negat Spiritum Sanctum à Filio procedere.

uerſus eum, *De Proceſſione Spiritus Sancti*, quem alii poſtea ſequuti ſunt. Cauſam autem, cur poſt illud tempus palam profeſſi fuerint Græci eum errorem, hãc fuiſse arbitror, quod in Synodo Nycæna ſecunda fuerint nimis acriter exagitati à Latinis Epiſcopis, præſertim Gallis, vt manifeſtum eſt ex illo libello *De Imaginibus* Caroli Magni: cuius Author inter alia reprehendit, quod Patres eius Synodi dixerint, Spiritum Sanctũ procedere à Patre, nulla facta mentione Filij. Qua re excitati Græci, cæperunt contendere, non procedere niſi à ſolo Patre. Altera cauſa erroris fuit humanus quidam affectus; quod Eccleſia Latina, inſciis Græcis, addiderit Symbolo Cõſtantinopolitano particulam illam (*Filioque*) cum in illo haberetur tantum (*qui ex Patre procedit*) nulla facta mentione Filij: præſertim cum in Concilio Nycæno, & in Conſtantinopolitano excommunicentur qui aliquid addunt Symbolo. Hunc affectum declararunt Græci in Octaua Synodo Generali Florentina, Actione 3. vbi dixerunt: Quod etiamſi Spiritus Sanctus procederet à Filio, Latini non potuerunt id addere Symbolo ſine ipſis. Neutra tamen cauſa Græcos excuſat. Non prima: Tum quia Patres Græci illis loquendi modis, quos retulimus, idem dicunt, quod Latini; licet non tam clare loquantur, vt Latini: Tum quia multi ex Græcis Patribus diſerte docent, ſicut Latini, Spiritũ Sanctum procedere à Patre, & Filio. Sic *Dydimus lib. 2. de Spiritu Sancto*. S. Athanaſius in Symbolo, & alibi ſæpe. *S. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, Cyrillus in Epiſt. contra Neſtoriũ, Chryſoſt. Homil. 2. de ſymbolo. Vbi Spiritum Sanctum, inquit, dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre, & Filio.* Nazianzenus etiam, tantæ apud ipſos authoritatis, *Oratione 5. de Theologia, & 39. in ſancta Lumina*, duas illas proceſſiones Diuinas confert productioni Euæ ex Adamo, & generationi Seth ex Adamo & Eua. Quo ſuo exemplo oſtendit duo. Primum, Spiritum Sanctum eſse conſubſtantialem Patri, licet non ſit Filius, ſicut Eua erat conſubſtantialis Adamo, licet non eſset filia. Secundũ, A quo procedant Perſonæ Diuinę; videlicet Filiũ à ſolo Patre, ſicut Eua à ſolo Adamo; & Spiritum Sanctum à Patre & Filio, ſicut Seth ab Adamo & Eua. Quare ſi ſpectetur ratio productionis, confert Spiritum Sanctum cum productione Euæ, quę non eſt generatio: ſi vero ſpectetur principium productionis, confert Spiritum Sanctum cum Seth, qui eſt à duobus, ſicut

Duæ cauſæ huius erroris.

Neutra ex his cauſis excuſat Schiſmaticos.

Exemplum Nazianzeni accommodatiſſimum.

Spiritus

Spiritus Sanctus à Patre & Filio; & Filium confert cum Eua, quæ fuit à ſolo Adamo, ſicut Filius eſt à ſolo Patre.

Nec ſecunda cauſa Græcos excuſat: quia cum ex Scripturis, ex Concilijs, ex Patribus, tam Græcis, quam Latinis, denique ex certa ratione conſtet, Spiritum Sanctũ procedere à Patre & Filio; recte à Summo Pontifice, & ab Eccleſia Romana addita eſt Cõſtantinopolitano Symbolo particula illa (*Filioque*) cuius eſt Fidelium ſaluti proſpicere; vt magis clare tam magnũ myſterium credendum proponeretur, nec vnquam amplius liceret Græcis hunc Fidei articulum in dubium reuocare.

Secunda Pars Capitis.

QVod attinet ad ſecundam partem, hoc eſt, ad ipſam Diſputationem, Græci conuincuntur certiſſimis argumentis: & ex Scripturis quidem deſumuntur hæc quatuor.

Quatuor Argumenta contra Hæreticos ex Scripturis.

Primum. Filium procedere à Patre, nihil eſt aliud, quam ab eo accipere quicquid habet, vt ipſe indicat, cum dicit: *Omnia, quæ habet Pater, dedit Filio:* & alibi: *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt.* At Spiritus Sanctus accipit à Filio quicquid habet; ergo procedit etiam à Filio. Probatur Minor. *Ioan. 16. Non enim à ſe ipſo loquetur, ſed quæcunque audiet loquetur;* & rurſus: *Ipſe de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quo loco dicit Chriſtus, eodem modo Spiritum Sanctum accipere à ſe doctrinam, quam loquebatur, quo modo dixerat *Ioan. 8. Doctrina mea, non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, Patris;* ergo quemadmodum Filius accipit doctrinam à Patre, procedendo ab illo, ita etiam Spiritus Sanctus doctrinam accipit à Filio, ab illo procedendo. Neque enim dici poteſt, Spiritum Sanctum prius à Patre proceſſiſse, deinde doctrinam accepiſſe à Filio; quia ſequeretur, doctrinam eſſe illi accidens, ſicut eſt nobis, qui à parentibus accipimus naturam, à Magiſtris doctrinam.

Primum Argumentum.

Secundum argumentum. Spiritus Sanctus dicitur in Scriptura mitti à Filio: *Ioan. 16. Ego illum mittam ad vos;* ergo procedit à Filio. Probatur Conſequentia. Nam Filius dicitur mitti à Patre non aliam ob cauſam, quam, quia procedit à Patre: nam qui mittitur, ſemper accipit authoritatem ab eo, à quo mittitur: Vna autem Perſona Trinitatis non aliter poteſt ab alia accipere authoritatem, quam accipiendo naturam ab illa, nam authori-

Secundum argumentum.

tas eſt ipſa Natura Diuina; ergo qui mittitur ab alio, accipit authoritatem ab eo: in Diuinis autem qui accipit authoritatē ab alio, accipit Naturam ab illo: qui accipit Naturam ab alio, procedit ab eo; ergo cum Spiritus Sanctus mittatur à Filio, procedit à Filio.

Tertium argumentum.

Tertium Argumentum eſt. Quod Spiritus Sanctus in Scriptura dicatur Spiritus Filii, eodem modo, quo Spiritus Patris: ad *Galat.* 4. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra.* Illud (*Filij ſui*) non poteſt ſignificare poſſeſſionem, quia tunc Spiritus Sanctus eſset creatura: neque dominationem, quia Filius non eſt maior Spiritu Sancto; neque quicquā aliud præter originem, vt cum dicimus (*Filium Patris*) id eſt, qui habet originem à Patre; ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio.

Quartum argumentum.

Quartum. Quod Spiritus Sanctus in Scripturis detur à Filio. Chriſtus enim dedit Spiritum Sanctum Apoſtolis: nulla autem Perſona Diuina dari poteſt ab alia, niſi ab illa procedat: nam propterea Filium legimus datum eſſe à Patre, non autem à Spiritu Sancto, quamuis Spiritus Sanctus fuerit etiam author Incarnationis eius; Igitur Spiritus Sanctus procedit à Filio. Idem oſtenditur euidenti ratione. Nam in Diuinis omnis diſtinctio realis eſt à relationibus oppoſitis, quæ oriuntur ex origine vnius Perſonæ ab alia, vt copioſe oſtendetur *lib.* 2. quare ſi Spiritus Sanctus non haberet originem à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo.

Chryſolanus Paſchalis Secundi Legatus.

Adde determinationem Conciliorum, in quibus Græci conuicti fuerunt. Nam in Concilio Epheſino ſua ſponte dixerunt Græci, Spiritum Sanctum procedere à Filio. Idem dixerunt in Concilio Lateranenſi in Confeſſione Fidei *Diſput.* 4. Idem in Concilio Lugdunenſi, vt refertur *Extra de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Denique in Concilio Florentino, vbi ſimiliter argumentis conuicti ſunt omnes, præter vnum Marcum Epheſinum, hominem pertinacem. Atque hæc de Secunda Parte Capitis dicta ſint ſatis. Contra Græcos de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, egregiam orationem habuit Græce Chryſolanus, Mediolanenſis Archiepiſcopus coram Alexio Imperatore Comneno Paſchalis Secundi Legatus; vbi hæc omnia argumenta, quæ attulimus affert, & rationes Græcorum ſoluit. Habetur hæc oratio in Bibliotheca Vallicellana, quam in Latinum tranſtulit Federicus Metius, & refertur ab *Illuſtriſſimo Cardinali*

dinali Baronio, *Tom.* 12. Annalium, anno Domini 1116.

Tertia Pars Capitis.

QVod attinet ad Tertiam Partem Capitis, probant Græci Spiritum Sanctum non procedere à Filio his Argumentis. *Argumētum Græcorum primum.*

Primū eſt. Quia *Ioan.* 16. dicitur à Patre procedere *Spiritus Sāctus* (*Qui à Patre procedit*) nulla facta mētione Filij; ergo nō procedit à Filio. Reſpondet *S. Auguſt. lib.* 3. *contra Maximinum c.* 14. exprimi ſolum Patrem, quia Spiritus Sanctus licet procedat etiam à Filio, cum eandem habeat ſpirandi virtutem, quam habet Pater; procedit tamen ab illo per virtutem, quam accepit à Patre. Procedit ergo Spiritus Sanctus principaliter à Patre (ſic loquitur *S. Auguſt. lib.* 15. *de Trinit. cap.* 17.) *Vbi Spiritus Sanctus, inquit, principaliter procedit à Patre.* Quam vocem quidam ex (*a*) Scholaſticis ita extendunt, vt dicant, principalius procedere à Patre, quam à Filio. Cæterum vitari debet comparatiua loquutio, ne videamur facere Filium minorem Patre. Quare *S. Thom. q.* 36. *a* 3. *ad* 2. non admittit hunc modum loquendi; & dicit, Spiritum Sanctum æqualiter procedere ab vtroque: dici tamen interdum procedere principaliter à Patre, quia Pater habet virtutem ſpirandi non ab alio, ſed à ſe, & Filius habet à Patre. *Solutio.* *(a) Sic Bonauentura, Scotus. Dur. 1. d. 11. q. 2. Gabr. eadem d. q. 3. Marſil. in 1. q. 15. a. 2.*

Secundū. In Synodo Nycæna dicitur, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere; ergo male aſſerunt Latini, procedere etiam à Filio. Reſpondeo. In Nycæna Synodo non exprimi à quo procedat Spiritus Sanctus, ſed haberi ſolum hæc verba: *Credo in Spiritum Sanctum*: Rem ita eſſe, vt dicimus, conſtat ex Symbolo Nycæno, quod recitat *S. Cyrillus lib.* 1. *de Trinit. & lib.* 1. *de Explicatione Symboli*, & *Ruffinus lib.* 10. *Hiſtor. c.* 6. Quare merito *Nazianz. in Epiſt.* 2. *ad Cælidonium* docet, Nycænam Synodum non tradidiſſe abſolutam doctrinam de Spiritu Sancto. In Synodo deinde Conſtantinopolitana prima, additum eſt Nycæno Symbolo, Spiritum Sanctum à Patre procedere, quia Macedoniani & Ariani illius temporis, contra quos congregata eſt illa Synodus, aſſerebant Spiritum Sāctum procedere à ſolo Filio. Denique cum agitari cæpit Quæſtio, An *Spiritus ſāctus à Filio procederet*, ætate Neſtorij, definitū eſt ab Eccleſia, procedere etiam à Filio, idque additū eſt Conſtantinopolitano Symbolo & *Argumētum ſecundum.* *Solutio.*

lo, & Nycæno, vbi nunc legimus, *& in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*. At Epheſina Synodus mandat, ne quid addatur Nycæno Symbolo: Ita eſt, ſed id intelligi debet de additione, quæ contraria eſt doctrinæ illius Symboli, non de ea, quæ doctrinam Symboli explicat, & clariorem reddit, cuiuſmodi hæc fuit: ſicut Paulus, dum ad *Galat.* 1. anathematizat eos, qui prædicant aliud Euangelium ab eo, quod ipſe prædicauerat; non prohibet quamcumque aliam prædicationem Euangelij, ſed repugnantem ijs, quæ ipſe prædicauerat.

Argumētum tertium.

Tertium. In Concilio Epheſino Tertio lectum eſt Symbolū Neſtorianum, & libellus Theodoreti, in quorum ſcriptis aſſerebatur, Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre; & Patres illius Concilij nihil definiuerunt contra illos; ergo videntur approbaſſe ſilentio illorum doctrinam de Proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre.

Solutio.

Reſpondeo. Concilium illud ſatis damnaſse errorem Neſtorii & Theodoreti, cum probauit ſummo omniū Patrum conſenſu Epiſtolam Cyrilli recitatam in illa Synodo, contrariam omnino errori Neſtoriano. Habetur hæc tom. 1. Conciliorum in Concilio Epheſino *c.* 14. Nihil vero aliud definiuit de hac re, quia non fuerat coactum ad hoc definiendum, ſed propter alia.

Argumētum quartum.

Quartum. Leo III. vt refert *Magiſt.* 1. *diſt.* 11. iuſsit in tabula deſcribi Symbolum Conſtantinopolitanum, vbi non erat illa particula (*Filioque*) vt diximus in ſolutione ſecūdi Argumenti, & appendi poſt altare iuxta corpus S. Pauli: ergo cenſuit hic Pontifex, Fidem contentam in illo Symbolo retinendam eſſe; præſertim, quia ſubſcribi voluit hæc verba: *Qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit, anathema ſit.*

Solutio.

Reſpondeo, Leonem Tertium id conſulto feciſſe: Primo, vt extaret memoria Conſtantinopolitani Symboli eo plane modo, quo prius editum fuerat. Secundo, vt conſtaret, Eccleſiam, addendo particulam illam (*Filioque*) nihil contrarium illi Symbolo docuiſse. Tertio, vt nemo Græcorum auderet aſſerere, quod nuper auſi ſunt aliqui in Concilio Conſtantinopolitano, & longe prius in Nycæno, definitum eſse, Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre: qui enim hoc aſſeruiſset, confutari ſtatim poterat ex illa tabella, vbi cernitur, hoc ibi definitum non eſse. Quod vero ſubdit de anathemate, exponitur eodem modo, quo ſupra ad

ſecun-

ſecundum,expoſuimus Synodum Epheſinam, Ille enim proprie aliter, vel aliud docet à Symbolo, qui contrarium docet illi Symbolo. Quare Eccleſia Latina addens particulam illam (*Filioque*) non docuit aliud à Conſtantinopolitano Symbolo; immo doctrinam illius Symboli obſcuram,additione illius verbi explicauit, & illuſtrauit magis. Addo, nulla ratione videri poſse Græcis, Proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, nouum eſse Latinorum inuentum; cum ætate Apoſtolorum fere tam tritũ eſset, Spiritum Sanctum procedere à Filio, quam Spiritum Sanctum eſse Deum. Colligitur hoc ex monumentis antiquitatis, & apud Ethnicos,& apud Noſtros. Nam Porphyrius ex Platonicorum ſententia ponit quemdam medium inter Patrem, & paternũm intellectum, de quo diſserens. *S. Auguſtin. lib.* 10. *de Ciuit.cap.*28. *&* 29. hæc habet. *Quem alium dicat horum medium, non intelligo. Nimirum hoc dixit, vt potuit, ſiue, vt voluit, quoniam nos Spiritum Sanctum, nec Patris tantum, nec Filij tantum, ſed vtriuſque Spiritum dicimus.* Hæc Auguſtinus. *Proclus in lib. de Theologia Platonis*, ſcribit, tria eſse coæterna: Primum dicitur *Vnitas*, ſecundum *Ens*, hoc eſt, vt ipſe ibidem explicat, Pater, & Mens Patris; tertium dicit eſse *Habitum amborum*, hoc eſt impulſum & amorem vtriuſque, vt nos de Spiritu Sancto loquimur. Plotinus etiam diſerte docet, à Patre mẽtem gigni, & à mente animam; per animam autem, omnium conſenſu, Spiritum Sanctum intelligit, quod viuificet quodammodo, & regat omnia, vt eſt in Sapientia: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Eodem modo loqui videtur B. Cæcilia ad Tiburtium, ab Vrbano Summo Pontifice edocta: *Omnia*, inquit, *quæ facta ſunt, conſtruxit Filius ex Patre genitus, & omnia, quæ fuerant conſtructa, ex Patre procedens Spiritus Sanctus animauit. Hæc tria numina, inquit Porphirius, exponens Plotinum, ſic ſe habent, vt ſecundum ſit à primo, & tertium à ſecundo.* Similia paſſim occurrunt apud iſtos Philoſophos, ex quibus conſtat, illos accepiſſe, tertium illud numen produci vere à ſecundo; quamuis hæc eadem ipſi multis erroribus admiſta, vt libro tertio dicemus, poſteris tradiderint.

Tempore Apoſtolorum docebatur, Spiritũ Sanctum à Patre, & Filio procedere.

Præterea in Regula Fidei Diuinitus reuelata Thaumaturgo, vt refertur in Quinta Oecumenica Synodo, habetur, Spiritum Sanctum eſſe perfectam imaginem Filij: ergo Spiritus Sanctus

proce-

procedit à Filio : eſt enim de ratione imaginis, præſertim naturalis, vt procedat ab eo, cuius eſt imago, vt omnes Scholaſtici docent, & nos oſtendemus *lib.* 2. Fuiſſe autem hunc modum loquendi communem à tempore Apoſtolorum, cognoſci poteſt ex actis plurimorum Martyrum, qui ea tempeſtate vitam profuderunt pro Chriſto : in his enim interrogati de fide Beatiſſimæ Trinitatis, reſpondebant, Spiritum Sanctum eſse veram imaginem Filij, quod erat dicere, eſse illi ſimillimum, & ab eo procedere. Denique, ne ſim longior in re clara, in Synodo Anglicana ſub Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo, de quo *Beda lib. 3. & 4. Hiſtoriæ Anglorum*, habentur hæc verba. *Glorificamus Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio inenarrabiliter, ſicut*, inquit, *prædicauerunt Apoſtoli, & Prophetæ, &c.* Conſtat ergo, hanc veritatem de Proceſſione Spiritus Sancti etiam à Filio, non eſse recens inuentum, ſed prædicatam ab Apoſtolis.

Quarta Pars Capitis.

Pœnæ diuinitus illatæ in ſchiſmaticos.

QVod attinet ad Quartam Partem de pœna Schiſmaticorum, non eſt opus multa dicere : conſulantur hiſtoriæ : nunc paucis. Et de Neſtorio quidem, ſiue ita ſenſerit de Spiritu Sancto, ſiue aliter, notum eſt, ipſum ob alias hæreſes exeſa à vermibus lingua apud Oaſim Inſulam obiiſse.

De Theodoreto illud eſt certum, ipſum à Leone I. Pontifice ſuæ Sedi reſtitutum in Concilio Calcedonenſi poſt execratum à ſe Neſtorium, vitæque finem more Sanctorum clauſiſſe, illatum ſepulchro, quod ipſe Sancto Iacobo Nyſibitæ magiſtro ſuo parauerat. Ætate autem Theodoreti nondum erat aperte definitum à Conciliis, quid in hac Controuerſia de Proceſſione Spiritus Sancti à Filio ſentiendum eſset; vt propterea videatur ipſe excuſari poſse, quod Spiritum Sanctum dixerit à ſolo Patre productum eſse. At poſt definitionem tot Conciliorum, præſertim Florentini, nullum Schiſmatici excuſationis locum habent. De Photio, qui author fuit diſsidij inter Catholicos & Græcos, legimus, cum eſset ambitioſiſſimus, omni plane dignitate exutum à Leone Philoſopho, & in Monaſterium Armenorum relegatum, miſerrime deceſſiſse, vt ſcribit *Zozimus lib. 3.* Marcus vero Epheſinus, qui ſolus in Concilio

lio Florentino pertinax fuerat, diem ſuum obijt, ſummis viſcerum cruciatibus afflictus, ex ore egerens ſtercora. Græcis vero omnibus, cum ea, quæ decreta erant in Florentino Concilio, reieciſſent, Nicolaus Papa V. per litteras prædixit fore, *Nicolaus V. quid Græcis prædixerit.* vt triennio exacto in Turcarum poteſtatem venirent: quod ita plane eueniſſe, teſtatur Gennadius ipſorum Patriarcha in eo libro, quem aduerſus errorem Græcorum ſcripſit. Idem multo prius prædixerat illis B. Brigida, vt notauit *Bozius ſigno 99.* *B. Brigida.* Et ne aliquis in dubium vocaret, Græcos mulctatos hac pœna ob blaſphemiam in Spiritum Sanctum, capta eſt Conſtantinopolis à Turcis, occiſus Græcus Imperator, & deletum penitus Orientale Imperium die tertia Pentecoſtes anno 1453. Vbi nunc ſunt Spiritus Paraclete, qui detrahebant tibi, viri rebelles tui?

CAPVT VI.

Quorum ſententiam miraculis approbauerit Deus, Arianorum, an Catholicorum.

INTER Axiomata Arianorum vnũ erat, teſte *Hilario lib. 11. de Trinit.* defendendum eſſe per omnia honorem Dei Patris: *quod faciebant,* inquit, *Hilarius non religionis fide, ſed arte impietatis, vt commendato ſupra modum honore Dei Patris, imminuerent honorem Filij, & Spiritus Sancti, quos Patre minores aſſerebant.* Quare cum de Deo ſcriptum ſit, *Gloriam meam alteri non dabo*; & nos Catholici Patri parem faciamus Filium & Spiritum Sanctum; ſi id verum non eſt, magnam Deo Patri iniuriam inferimus. Illius ergo partes erunt, magis Arianis fauere quã nobis. Videamus igitur in hoc Capite, quibus magis fauerit Deus Pater, Viſionibus, Signis, & Miraculis, Catholicis, an Arianis. Et vt ordine procedamus, diuidemus totum Caput in tres partes. In prima afferemus reuelationes de hac re. In Secunda, ea quæ communi vocabulo vocantur ab omnibus *Miracula*. In Tertia pœnas,

quas Deus aliquibus intulit, & ab aliquibus Diuinitus repulit ob hanc ipſam cauſam.

VISIONES.

Viſio prima. VIſio prima. Paulo ante Arianam hæreſim reuelauit Deus B. Antonio mala, quæ Arius allaturus erat Eccleſiæ, Vnde factum eſt, vt B. Antonius nullum Arianum ad montem, vbi ipſe manebat, accedere pateretur; & paulo ante mortem inter diſcipulorum manus hæc verba proferret. *Schiſmaticorum & Hæreticorum venena vitate, meumque contra eos odium conſectamini, quia Chriſti ſunt inimici: ſcitis ipſi, quod nullus mihi nec pacificus quidem ſermo cum iis aliquando fuerit propter eorum prauam voluntatem, & pertinax contra Chriſtum bellum.* Refert hoc *Sanctus Athanaſius in vita Antonij.* *Secunda.* Secunda Viſio. Apparuit Chriſtus B. Petro Alexandrino Epiſcopo veſte conſciſſa; dixitque ei, hoc feciſſe Arium, quia Eccleſiam lacerauerat. *Tertia.* Refert hoc Beda *in Martyrol. die* 25. *Nouembris.* Tertia Viſio. B. Virgo Gregorio Taumaturgo apparuit, & iubente Virgine, Ioannes Euãgeliſta fidei confeſſionẽ Gregorio tradidit, in qua aſſerebatur Trinitas conſubſtantialis, & Verbum Deus verus, æternus, increatus. Refertur hæc viſio à Gregorio Nyſſeno *in Oratione de laudibus Taumaturgi.* *Quarta.* Quarta Viſio. Prædicante S. Ambroſio contra Arianos, vidit Arianus homo Angelum in aere loquentem Ambroſio, & conuerſus eſt. Refertur hæc Viſio à *Paulino in vita S. Ambroſii.*

MIRACVLA.

Primum miraculum. PRimum Miraculum. Contendebant de Fide Presbyter Arianus, & Diaconus Catholicus: conuenerunt, vt vterque ad veritatem comprobandam brachium inijceret in ahenum feruens: iniecit Catholicus, & vix teporem ſenſit: iniecit Arianus, & nuda carnibus extraxit oſſa. Refertur à *Gregor. Turonen. lib. 1. de Gloria Martyr. cap.* 81. *Secundum.* Secundum Miraculũ. Duo Epiſcopi, alter Arianus, alter Catholicus, quiſque ob Fidem ſuam in ignem ingreditur. Catholicus exiuit incolumis, Arianus conſumptus eſt. Refertur à *Niceph. lib.* 15. *cap.* 3. *Tertium.* Tertium Miraculum. Exorta quæſtione de quadam Eccleſia,

quibus

quibus deberet cedere, Arianis ne, an Catholicis; conuenerũt, vt Eccleſia firmiſſimis ſeris, & repagulis clauderetur, & illorum eſſet, qui orationibus eam aperuiſſent. Accepta conditione, priores Ariani orant, & nihil efficiunt; orat deinde Baſilius cum Catholicis, & tanta vi apertæ ſunt ianuæ, ac ſi pro verbis tonitrua protuliſſent. Refertur hoc *ab Amphilochio in vita Sancti Baſilij*. Quartum Miraculum. In Lucania fons erat, ad quem cum baptizaturus ſacerdos Catholicus accedebat, attollebatur aqua per duos cubitos, atque ita perdurabat vſque ad completum baptiſmum, vt refertur à *Caſſiod. lib. 8. Epiſtola vltima.* E contra vero Ariano baptizaturo in hæc verba. *In nomine Patris maioris, & Filij minoris,* aqua ſtatim omnis euanuit, nullo, quo poſſet fugere, exitu apparente, nolens tam impio cultui præbere miniſterium. Refertur à *Paulo Diacono, & Zonara in Hiſtorijs*. Quintum Miraculum. Duo Sancti Epiſcopi obierant in Nycæno Concilio, nec ſubſcribere potuerant Decretis Concilij *de Filij Diuinitate* contra Arium: quare cæteri Epiſcopi, ipſorum ſepulchrum adeuntes, ſchedulam ibi reliquerunt, cui ſubſcriberent: mane vtriuſque nomen miraculo ſubſcriptum inuenerunt. Nomina iſtorum Epiſcoporum ſunt *Griſantus, & Muſonius*. Refertur hoc à *Niceph. lib. 8. cap. 23.* Sextum Miraculum continet innumerabilia plane miracula, quæ B. Antonius pro Filij æqualitate cum Patre Alexandriæ patrauit. Sparſerant enim Ariani, Antonium cum ipſis ſentire. *Hanc ob cauſam, inquit Athanaſius in eius vita, opus illi fuit, relicta* intima eremi ſolitudine, *Alexandriam vſque deſcendere, & de Catholica Fide, quam coleret, publice, nè populus laberetur, ſpecimen reddere*. Et loquens de ſignis in confirmationem Catholicæ Fidei ab Antonio æditis; *Quot ſunt, inquit, diabolica obſidione, & varijs infirmitatibus liberati? quot ſimuclacris erepta ſunt ſpolia? &c.* Eandem ob cauſam vocatum ab Athanaſio aliquando Alexandriam etiam Abbatem Pœmen ſpectatæ ſanctitatis virum, habetur *in vitis Patrum, parte ſecunda.* Septimum Miraculum. Grauiſsima tempeſtate exorta, quæ ſedari non poterat, apparet S. Procopius Anachoreta B. Porphyrio Epiſcopo, monetque, tempeſtatem exortam eſſe, quod Nauclerus eſſet Arianus; redituram autem ſerenitatem, ſi is Arium, & eius dogmata execretur: quod cum præſtitiſſet Nauclerus, ſtatim reddita tranquillitas eſt. Sic refert *Marcus*

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Gazenſis Diaconus, qui interfuit, & refertur à *Baronio tom. 5. Annalium, Anno Domini* 401. Octauum Miraculum. Sanctus Eugenius Epiſcopus cum in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis multa æderet miracula, Cyrola Arianus Patriarcha, data pecunia ſuadet cuidam, vt ſe cęcum fingat: cui cum deinde iuſſiſſet Cyrola, vt oculos aperiret; tantus repente dolor oculos illius inuaſit, vt eos omnino aperire non poſſet: quare ad Epiſcopos Catholicos confugiens, detecto dolo, & Catholicam Fidem clara voce profeſſus, à S. Eugenio reſtitutus eſt ſanitati. Refertur à *Greg. Tur. lib.2. Hiſtor. Francorum cap. 3.* Nonum Miraculum. In Synodo Gallicana Arianus quidam Hæreticus, diſputator accerrimus Beato Remigio Synodum ingredienti non eſt dignatus aſſurgere: ſed cum repente mutus effectus eſſet, pedibus Sancti Remigij provolutus, & nutibus veniam petens, hac conditione redditus eſt ſanitati, vt de Chriſto Dei Filio ita ſentiret, & loqueretur in poſterum, vt docet Eccleſia Catholica: quod egregiè præſtitit ſoluta lingua. Sic refert *Hincmarus in actis Sancti Remigij*.

Octauum. *Nonum.*

POENÆ DIVINITVS ILLATÆ VEL REPVLSÆ.

Primum exemplum. *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.*

EXemplum primum. Clericus defendens æqualitatem Diuinarum Perſonarum, flagellatus, non ſenſit verbera. Refertur à *Gregor. Turon. lib.1. de Gloria Mart. cap.* 28. Secundum Exemplum. Alius ob eandem Fidem ignitum annulum illæſus geſtat in ore. Refertur *ab eodem Gregor. eodem libro*. Tertium Exemplum. Dum Lucius Arianus Epiſcopus Catholicos vbique perſequeretur, Monachi his verbis miracula faciebant. *In nomine Ieſu, quem Lucius perſequitur, ſurge, & ambula*. Refertur à *Ruff. lib. 11. cap.* 4. Quartum Exemplum. Iuſſu Regis Ariani aliquibus Catholicis auulſæ ſunt linguæ; & tamen quouſque vixerunt, optime ſine linguis loquuti ſunt. Refertur à *Gregor. lib.3. Dialog. cap.32.* Quintum Exemplum. Catholici crudeliſſime ab Arianis flagellati, vſque ad oſsium denudationem, ſæpiſſime ſequenti die incolumes conſpecti ſunt. Refertur à *Victore Vticen. lib. 1. de Perſecutione Vandalica*. Sextum Exemplum. Cum Iuſtina Imperatrix Ariana Catholicos perſequeretur, reuelauit Deus Ambroſio Corpora Geruaſij, & Protaſij, & per ea cæcum illuminauit, aliaque plura mi-

miracula ædidit; quæ facta fuiſse ad confuſionem Arianorum, teſtis eſt *S. Aug. lib. 9. Conf. cap. 7.* ideo Ariani miracula illa calumniabantur, vt ſcribit *S. Ambroſ. in Serm. de Sanctis Geruaſio, & Protaſio.* Idem accidit Sanctis Martino & Hilario: quorum exilia, & fugas magnis Deus decorauit miraculis: refert enim *Fortunatus*, B. Hilarium, mortuum ſuſcitaſſe, & ſolo imperio Inſulam quandam à ſerpentibus liberaſſe. Similia de B. Martino ſcribit *Seuerus Sulpitius in eius vita.* Septimum Exemplum. Olympius quidam irridens Trinitatem, repēte carnibus corroſis expirauit. Refertur à *Damaſceno Oratione 3. de Imaginibus.* Octauum Exemplum. Prædicante contra Arianos Ambroſio, arreptus eſt quidam à Dæmone, & exclamauit, ita torqueri eos, qui non crederent in Trinitatis vnitatem, quam prædicabat Ambroſius. *In vita Sancti Ambroſii.* Nonum Exemplum. Arius ipſe inteſtina profudit in latrinis publicis. Fuiſſe autem hoc non caſu factum, ſed ſupplicium à Deo Diuinitus inflictum, teſtis eſt *S. Athanaſ. in Epiſt. ad Serapionem:* vbi ait, *Arium ad Conſtantinum iuiſſe, eique iuramento affirmaſſe, ſe Catholicam Fidem colere.* Tum Conſtantinus. *Si non recte iuraſti, puniat te Deus.* Cum ergo ingreſſurus eſſet Eccleſiam, ſcribit idem S. Athan. S. Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum oraſſe Deum, vt ſe ex hoc mundo tolleret, ſi Arium permitterèt intrare in Eccleſiam: quod ſi Eccleſiæ ſuæ parcere vellet, tolleret de hoc mundo Arium. Tunc repentino ventris profluuio Arium vitam finiſſe. Quare extinctus impius Hæreſiarcha non caſu eſt, ſed imprecatione Conſtantini, & precibus Sancti Alexandri. Decimum Exemplum. Franciſcus Dauid, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Diuinitatis Chriſti hoſtis acerrimus, mortuus eſt *Anno Domini* 1578. Hic adhuc viuens adeo fętere cæpit, vt vxor eius ad tribunal Iudicum vocata ſit, quod ob id coniugi commiſceri nollet. Incidit deinde in inſaniam. Poſtremo turbæ Dæmonum apparenti dixit. *Ecce, qui me comitem itineris expectant:* & infelicem animam Dæmonibus tradidit. Refertur à *Poſſeuino lib. 8. Biblioth. cap. 16.* His & ſimilibus Miraculis, & Exemplis conſtat, meritò probari viris pijs, & doctis, quod ſcriptũ reliquit Riccardus de S. Victore lib. 1. de Trin. cap. 2. quo loco ſic ſcribit. *Domine ſi error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus: iſta enim in nobis ijs ſignis, & prodigijs cõfirmata ſunt, quæ nõ niſi à te fieri potuerũt.*

Septimum. *Octauum.* *Nonum.* *Decimum.*

EPI-

EPILOGVS LIBRI PRIMI.

HActenus contra Hæreticos diſceptatum eſt. Siquis autem ſine diſceptationibus, Eccleſiæ totius ſententiam de Diuinitate trium Perſonarũ ſcire cupiat, adeat formatas litteras. Erant autem formatæ litteræ teſſera Catholicorum, quæ peregrinantibus dari conſueuerat, vt pro Catholicis cognoſcerentur, & ab Hæreticis diſtinguerentur. Continebant autem formatæ quatuor Græca Elementa, quæ nunquam mutabantur. π. υ. α. π. primum π. ſignificabat Patrem, υ. Filium, α. Spiritũ Sanctum: ſecundum π. Petrum: & ſenſus erat: in Cathedra Petri, hoc eſt in Eccleſia Catholica has tres Perſonas eſſe Diuinitate pares, & eundem planè Deum. Quamuis autem hæc forma litterarum formatarum in Nicæno præſcripta ſit, formatæ tamen litteræ multò antiquiores ſunt Nicæno Concilio. Nam Sixtus Primus, qui vixit anno Chriſti 141. ſtatuit ne Epiſcopus ab Vrbe rediens recipiatur ſine formatis, vt habetur in libro de Romanis Pontificibus in Sixto, & apud Auguſt. epiſt. 163. Eaſdem appellat Tertullianus de Præſcriptionibus c.20. Conteſſerationem. Et licet non conſtet quid tunc continerent hæ litteræ; ſimile tamen vero valde eſt, etiam tunc formatas litteras expreſsiſſe Diuinitatem trium Perſonarum, aut eiſdem Elementis, aut certè aliquo ſimili ſigno. De quibus ad longum ſcribit *Card. Baron. an. Chriſti* 142. *&* 325.

Finis Libri Primi.

R. P. HIERONIMI FLORAVANTII ROMANI E SOCIETATE IESV.

DE BEATISSIMA TRINITATE

Liber Secundus.

INTER SCHOLASTICOS.

DIFFICVLTATES *huius myſterij exactiſſime, vt ſolent omnia, tractarunt Scholaſtici veteres, & recentiores. Cæterùm in tam minutas partes interdum conſcindunt quæſtiunculas & articulos, tam longas inſtituunt de minutiſſimis rebus diſputationes, eaſque plerumque* de nomine *vt hoc ipſum tenebras afferat. Quare totam myſterij ſummam, omiſſis multis quæ parere poterant obſcuritatem nec multum prodeſſe ad id de quo agitur, ob oculos nobis ponet Vrania, non ficta illa & fabuloſa, quam inter Muſas refert Herodotus, ſed alia, quæ nomen hoc ſibi vendicat longe potiori iure. Apud nos enim Vrania eſt doctrina cæleſtis, & ſapientia ex ſcripturis ſacris, ex Concilijs, ex Patribus, ex Theologis Diuo præſertim Thoma comparata. Huius nos primum theoriam proponemus; addemus deinde notationes breues ad Theoriam, ex Scholaſticorum acumine & concertatione deſumptas.*

SCHOLASTICÆ THEOLOGIAE LAVDES.

AGE nunc Scholæ quis laudes premat
Quæ Theologos enixa patres
Et ſublimes arte magiſtros
Dat potiori iura lyceo?
Nulla huic ſimilis lucta paleſtræ
Nullibi maior, meliorque labor
Non cum ſtimulis, loriſque puer
Effrenis equis terga cruentat,
Non cum rabidum debilis alueus
Secat obnixo remige pontum.
Hæc eſt veri trutina, hæc lumen
Salebris præfert, lydius hic lapis
Qui probet aurum falſaque veris
Admiſta notet, ſtabilique gradu
Statuat ſacræ Palladis artes.
Sedula ò nutrix ingeniorum
Per te plus mentes hominum nitent
Quam vernet humus candida lilijs
Flante per arua fauonio.

VRA-

VRANIAE THEORIA.

AGIMVS de myſterio Beatiſſimę Trinitatis inter ſcholaſticos, in quo, vt ex ſuperiore libro cõſtat tres perſonas agnouimus. Primam, improductam & producentem. Secundam, & producentem, & productam. Tertiam, productam non producentem, Oportebit ergo ad exactam tanti myſterij cognitionem de his omnibus agere. I. De potentia producente, quæ in perſonis producentibus reperitur. II. De actionibus, quibus diuinæ perſonæ producuntur. III. De terminis harum actionum, qui ſunt duplices, totales, & formales. Formales termini ſunt diuinæ relationes, quibus diuinæ perſonæ conſtituuntur; totales ſunt perſonæ ipſæ productæ, & relationibus conſtitutæ; ideo agendum erit tertio loco de diuinis relationibus. IV. De diuinis perſonis, tam in communi, quàm in particulari, quæ, vt diximus, ſunt totales termini actionum, ſeu productionum. V. De his, quæ noſtro modo concipiendi perſonas iam conſtitutas conſequuntur. Vltimo de modo loquendi in hoc myſterio. Incipiamus à potentia.

De Potentia productiua in Diuinis.

DE potentia productiua hæc fere diſputari ſolent. Primo, An in Deo admitti debeat reſpectu diuinarum proceſſionum? Secundo, An hęc potentia realis ſit, an rationis? Denique, quid ipſa ſit?

* *Legatur Not. primò.*

*Aduertendum ergo primo, in Deo admitti debere omnino veram potentiam productiuã ad intra. (a) Qui enim non producitur, & eſt, dicitur habere potentiam;

(a) *Eſt communis ſcholaſticorũ 1. d. 7. & D. Tho p. p. q 41. a. 4. & omniũ*

diſcipulorum eius contra Aureolum. apud Capr. 1. d. 7 q. 1. Maironis 1. d. 7. hæc inquit Aureoli opinio ſeipſam confutat, admittit .n. perſonas produci, & negat potentiā ſimilis illi, qui admittit aliquid eſſe factum, & tamē negat eſſe poſſibile Molina q. 41. a. 4. ait hanc opinionē Aure. eſſe parū conformem ſcripturæ, & Concil.

vt ſit impropriè tantùm, hoc eſt per non repugnantiam, quia nimirum non repugnat illi eſſe: ſic dicimus æternū Patrem habere potentiam, vt ſit. At quod vere producitur à verâ potentia producitur, quia potentia ſignificat vim illam, qua producitur id quod producitur. Cum ergo filius producatur à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & filio, erit in his vera potentia productiua reſpectu perſonarum, quæ producuntur. Non ergò aſſerimus potentiam productiuam in Deo differre realiter aut formaliter ab eſſentia producentis, ſed ſolùm aſſerimus in eo, qui vere producit aliquid, neceſſario dari debere potentiam producentem, quicquid illa ſit, quod negari non poteſt. Hæc autem potentia in Deo ab aliquibus vocari ſolet *actiua*; ſed tunc actiua potentia, vt comprehendat etiam iſtam, definiri debet principium rei quæ producitur, aut rei poſſibilis, non rei quæ fit. Nam duæ perſonæ diuinæ producuntur, licet non fiant, & ſunt poſſibiles, licet habeant eſse neceſsarium, quia poſsunt produci, non quia habeant eſse contingens.

(b) Eſt D. Th. q. 41. a. 4. Dur 1 d. 7 q. 1. Valentiæ q. 15. puncto 1. Contra Greg. 1. d. 7. q. 1. a. 1. ad 1, Aureoli cōtra Capr. 1. d 7 q 2. Caiet. & Tor. q. 41. a. 4. hi enī aſſerunt reſpectu productionum eſſe potētiam tantum rationis.

Eſt autem hæc potentia ſecundum rem, ſeu realis tam reſpectu perſonarum quæ producuntur, quàm reſpectu (*b*) actionum notionalium .j. productionū, quibus perſonæ producuntur. Eſse realem reſpectu perſonarū quæ producuntur, nemo dubitat; eſse etiam realem reſpectu productionum, ſi paſſiue ſumantur, eodem fere modo certum eſt; quia *proceſſiones* (ſic enim vocantur productiones paſsiuè ſumptæ) ſunt ipſæ perſonæ productæ, & differunt ſolum inter ſe, ſicut apud nos differt res in fieri, & in facto eſse. Si autem hæ actiones actiue ſumantur, quomodo vocantur *productiones* proprie, non proceſsiones, habent etiam potentiam (*c*) realem; cuius rei ratio eſt, quia ad realem potentiam non requiritur, vt potentia diſtinguatur realiter ab actione qua producitur terminus, ſed ſatis eſt diſtingui realiter ab ipſo termino.

Pro-

Probatur primum, quia actio nõ eſt id quod producitur: ſed eſt id, quo res producitur, eſt enim via, nõ terminus, non requiritur ergo ad potentiam realem, vt ipſa diſtinguatur realiter ab actione, ſed ſufficit, ſi diſtinguatur realiter ab ipſo termino. Probatur ſecundum ex *S.Thom.q.* 41.*a*.4 *ad* 3. vbi ideo negat potentiam ad actiones eſſentiales eſſe realem, quia hæc potẽtia nullum habet ad intra terminũ, à quo diſtinguatur realiter, & ab ipſis actionibus non diſtinguitur niſi ratione; non poteſt ergo eſſe potentia niſi rationis. Cum ergo potentia productiua filij includat eſſentialiter paternitatem, vt mox dicemus, realiter diſtinguetur à filio, qui eſt terminus huius potẽtiæ, licet non diſtinguatur realiter ab actu, quo producitur filius, ac proinde potentia hæc realis erit, non rationis tantum: & idem dicendum de potentia, qua producitur Spiritus ſanctus, quæ eſſentialiter includit relationẽ ſpirationis actiuæ, quæ realiter diſtinguitur à Spiritu ſancto, licet non diſtinguatur realiter ab actione, qua Spiritus ſanctus producitur, ſed quæſtio hæc eſt de nomine, nam in re omnes conueniunt.

* Quid ſit hæc potentia, non conuenit inter omnes. Modus autem illam inueſtigãdi erit per analogiam à rebus creatis. In vitali ergo actione rei creatæ præter principium quod, cui reſpondet in diuinis perſona producens, duplex diſtingui ſolet principium quo: Alterum primũ, & vt ita dicam radicale, in quo productum eſſe debet ſemper ſimile producenti, ſi generatio ſit perfecta & vniuoca; & hoc eſt forma ipſa ſubſtantialis agentis: Alterũ proximum, ideſt, potentia productiua; & in hoc principio, quod vt plurimum eſt accidens, non eſt ſemper ſimile productum producenti, licet generatio ſit perfecta & vniuoca, vt apparet in generatione fæminæ, quæ ex cõmuni ſententia caret potentia generatiua, quam habet, is à quo producitur, licet generatio fęminæ ſit vniuoca. *Not.2. & 3.*

Eodem

Ioan. Theologus.

Eodem plane modo in productionibus diuinis, id quod habet rationem principij primi & radicalis, eſt natura & eſſentia diuina, vt docet *Ioan. Theolog. in Concil. Florentino Seſſ.* 18. Vbi *Pater*, inquit, *eſt generans*; habes principiũ quod: explicat deinde principium quo, & ſubdit: *Principium autem quo ipſa perſona generatur eſt id, quod ſolum communicabile eſt*, nimirum eſſentia diuina: & ratio eſt, quia ſicut in generatione vniuoca rei creatæ ex eo, quod productum eſt ſimile producenti in eadem natura, vt leo leoni, canis cani, inferimus principium quo primum & radicale eſſe naturam leonis, & canis, ita cum filius & Spiritus ſanctus ſint ſimiles producenti in natura diuina, recte inferimus, naturam diuinam eſſe principium quo primum, & radicale in productionibus diuinis. Id autem quod in eiſdem productionibus diuinis habet rationem potentiæ & principij quo proximi, ſunt intellectus & volũtas. Probatur, quia in ſcripturis filius vocatur *verbum*, & Spiritus ſanctus *amor*, quia illud proxime ab intellectu producitur, iſte à voluntate. Præter intellectum autẽ & voluntatem, certum eſt aliquo modo requiri etiam relationẽ perſonę producentis; (*a*) ratio eſt euidens, quia cũ actio producatur à potentia, ſi generare v.g. ſit actio propria ſolius patris, debet illi conuenire ratione alicuius potentiæ, quæ reperiatur in ſolo patre, aut certe ſi ſit hęc potentia etiam in alijs, eius tamen actio non poſſit exerceri niſi à ſolo Patre: at in Patre præter eſſentiam nihil eſt proprium præter relationem paternitatis, ergo ad potentiam generandi pertinet & aliquo modo requiritur etiã paternitas: & in his omnes Theologi conueniunt. Diſſentiunt quomodo requiratur. An vt intrinſece neceſſaria ad cõſtituendam integram, & completam rationem potentiæ producentis: An vero, vt conditio tantũ, ſiue ad conſtituendam rationem potentiæ, ſiue ad exercendam actionem potentiæ. Nobis prior opinio magis pro-

Gabr. 1. d. 7. ait potentiam eſſe ſolã eſſentiam, idem tribuit Scotus S. Tho. ſed falſo.

(*a*) *Henricus quodli. 3 q. 3. vtrumq; requirit ad potentiam ſed magis præcipue relationem. Idem videtur ſentire S. Th. 1. d. 7. verum correxit in ſũma, inquit Capr quod docuerat in ſcripto.*

probatur. Putamus enim potentiam generatiuam pręter eſſentiam & intellectum, includere etiã intrinſece (*b*) paternitatem, minus tamẽ præcipue, quam intellectum, quod vt ſignificemus, loquimur de relatione in obliquo, & dicimus potentiam generatiuam eſſe intellectum Patris, vel vt eſt in Patre, quo loquendi modo non ſignificamus relationem eſſe tantum conditionem, ſed ad potentiam conſtituendam minus præcipue requiri, quàm intellectum; nam fœcunditas, quæ maxime ſpectatur in potentia, præcipue eſt ab intellectu, quare licet filius nõ ſit ſimilis Patri in paternitate, eius tamen generatio eſt perfecta & vniuoca, quia eſt ſimilis Patri in eadem natura diuina & in eodem intellectu, qui potiores habet partes in potentia generatiua, quam relatio. Probatur autem hæc noſtra ſententia his rationibus.

(b) *Eſt S. Th. q. 41. a. 5. Vbi ait potentiam generãdi principaliter ſignificare eſſentiã diuinam, ergo minus principaliter ſignificat etiam relationem. Eſt Albert. 1. d. 7. q. 2. Riccard. d 7. q. 1. Valẽtia q. 15 puncto 2.*

Primo, quia eadem plane res & formalitas in re, eſt intellectus patris & paternitas eius, Quare ſi intellectus Patris eſt productiuus, cur hoc negetur paternitati? Quia, inquiunt, relatio non eſt actiua. Verum id, eſt de creata, ſed falſum de diuina; ſicut etiã actio immanens in creaturis eſt ſterilis, in Deo tamen eſt fœcundiſſima.

Secundo, quia ad rationem potentiæ realis in actu primo, duo requiruntur, primum eſt, vt ſit virtus, quà agens inſtructum agat. Secundum vt ſit realiter diſtincta à termino quem producit, & per cõſequens à productione ipſa paſſiue ſumpta. Sed in diuinis nulla eſt realis diſtinctio niſi per relationem, ergo potentia productiua in Deo, vt realiter diſtinguatur à termino, debet intrinſece includere relationem. Maior propoſitio huius ſyllogiſmi eſt *S. Thomæ quæſt. 41. a 4. ad 3.* Vbi vt diximus paulo ante, idcirco negat potentiam ad actiones eſſentiales eſſe realem, quia non diſtinguitur realiter ab illis, & præter illas actiones, non datur aliquis terminus re diſtinctus ab illa potentia, ſicuti datur in actionibus notionalibus. Ratio

tio præterea eſt, quia ſi potentia nō diſtinguatur realiter à termino, idem produceret ſe ipſum: nam licet productio tribuatur ſuppoſito, ſuppoſitum tamen non producit niſi per potentiam, cuius eſt omnis actiuitas, ſeu vis ad agendum; quare ſi potentia, quæ ſola influit in terminū productum, non diſtinguatur realiter à termino, idem producit ſeipſum. Nec ſatisfacit huic difficultati, qui dicit terminum actionis vniuocæ & ſubſtantialis ſimilem eſſe debere producenti in ratione agendi, hoc eſt, in principio quo, & ideo non requiri, vt potentia, quæ eſt ratio agendi, re diſtinguatur à termino; imò perfectiorem eſſe ſi non diſtinguatur realiter. Hoc inquam non ſatisfacit, quia terminus debet quidem eſſe ſimilis producenti, ſed non in omnibus ob allatam rationem. Itaque in rebus creatis ignis B. eſt ſimilis igni A. in ratione ſpecificà tantum, non tamen in ratione indiuidua & ſingulari, nam vere ignis B. eſt aliud indiuiduum ab igne A. & in his duobus ignibus ſunt vere duæ naturæ ſingulares. In productione autem diuina, quia terminus debet eſſe ſimilis producenti etiam in natura ſingulari; ideo neceſſe eſt vt potentia ſeu principium quo, præter naturam ſingularem includat intrinſece relationem, vt nimirum ratione naturę ſit non modo ſimilis termino, ſed idem omnino, & ratione relationis realiter diſtinguatur à termino.

Tertio, ſi relatio eſt tantum conditio, vel eſt conditio ad conſtituendam rationē potentiæ, vel ad exercendam actionem potentiæ; ſi primum, *(a)* ſequitur in filio non eſſe potentiam generatiuam, quia in filio non eſt paternitas, quæ eſt conditio requiſita ad conſtituendā rationem potentiæ generatiuę. Sed hoc difficile poteſt defendi ab Authoribus huius ſententiæ. Primo, quia ſi relatio eſt tantùm conditio ad cōſtituendam rationem potentię, ergo tota eſſentia potentię eſt abſoluta (nam cōditio non pertinet ad eſſentiam) ſi tota eſſentia potētiæ ſit

(a) Sic Capr. 1. d. 7. q. 1. a. 1. Maril. 1. q. 11. a. 2. Fer. 4. contra Gent. cap. 13. Caietan. Turreſ. Zumel. p. p. q. 41. a. 5. & omnes illi qui negant in filio eſſe potentiam generatiuam.

ſit abſoluta, ergo erit communis omnibus perſonis,quia in diuinis, quæ abſoluta ſunt, ſunt etiam cõmunia omnibus perſonis,ergo ſicut potentia generatiua vere eſt in Patre, ita erit in filio, & Spiritu ſancto, alioquin dicendum eſſet aliquid abſolutum, potentiam nimirum generatiuam & ſpiratiuam eſſe proprium vnius perſonæ, non commune cæteris, contra ſententiam omnium Theologorum. Secundo, eſſentię & intellectui conuenit eſſe principium quo, productionum diuinarum; quęro accidentaliternè, an eſſentialiter? non accidentaliter, tum quia eſſe principium quo generationis, eſt aliquid reale, quare ſi ſit accidentale, erit in Deo accidens reale, quod nemo admittit; tum quia in rebus creatis naturę conuenit eſſe principium quo primum eſſentialiter, ſicuti etiã intellectui conuenit eſſentialiter eſſe principium proximum intellectionis, ergo eodem modo conuenit naturę & intellectioni diuinę eſſe principium quo, ideſt eſſentialiter. Nunc ſic paternitas non poteſt eſſe conditio, vt habeat eſſentia, & intellectus diuinus, id quod illis conuenit eſſentialiter, ergo cum eſſe potentiam conueniat illis eſſentialiter, habebunt hoc ſine coniunctione cum relatione, ſed à ſeipſis in quibuſcunq; perſonis ſint. Si vero dicatur ſecundum, relationem ſcilicet eſſe conditionem, non ad conſtituendam rationem potentię, ſed tantùm ad exercendam actionem ipſius potentiæ, quare licet in filio & Spiritu ſancto ſit potentia generatiua, non generare tamen in filio & Spiritu ſancto, quia in iſtis nõ habet paternitatem, quæ eſt conditio requiſita ad generandum. Contra: Hinc ſequitur primo, filium poſſe generari à ſe ipſo & à Spiritu ſancto, quia ſicut actio generandi requirit etiam cõditionem neceſſariam ad actũ, ita poſſe generari reſpicit ſolam potentiam: cum ergo in filio & Spiritu ſancto ſit eadem potentia generatiua quę eſt in Patre, rectè dicemus filiũ poſſe generari à ſe ipſo

Sic Scotus 1. d. 7. q. 1. Gabr. d. 7. q. 3.

& à Spiritu S. licet actu non generetur niſi à Patre, quia in ſolo Patre eſt conditio requiſita ad actum. Secundò, ſequitur, potentiam generatiuam in Deo omnium nobiliſſimam, & idem dico de ſpiratiua, naturaliter exigere eſſe in duobus ſuppoſitis, filio videlicet & Spiritu S. vbi habet naturale, & perpetuum impedimentum ad actum, quod certe non decet tam inſignem potentiam. Probabilius ergo eſt, in filio & Spiritu Sancto nõ eſſe potentiam generatiuam, quia licet idem intellectus ſit in ipſis, qui reperitur in Patre, non eſt tamen paternitas, quæ eſt de intrinſeca ratione potentiæ generatiuæ, & complet vna cum eſſentia & intellectu integram rationem potentiæ. Nunc de actionibus huius potentiæ.

De actionibus notionalibus.

Actiones quædam ſunt eſſentiales, & quedam notionales.

ADuertendum ſecundo. In Deo eſſe actiones eſſentiales & notionales. Eſſentiales ſunt illæ, quæ communes ſunt omnibus perſonis diuinis, vt intelligere, & velle: Notionales ſunt, quæ propriæ ſunt perſonarum, vt *dicere* eſt ſolius Patris; *ſpirare* Patris & filij, non Spiritus Sancti; & hæ actiones notionales ſunt productiuæ diuinarum perſonarum. De his ergo actionibus notionalibus oſtendemus tria. 1. Eſſe ab intellectu & voluntate tanquam à proximo ipſorum principio. 2. Non eſſe actiones diſtinctas ab actione intellectus, & voluntatis 3. Explicabimus quomodo inter ſe differant hæ duæ actiones notionales *dicere* & *ſpirare*. Quod attinet ad primũ perſonæ diuinæ quę producuntur, proxime producuntur ab actione intellectus & voluntatis; *(a)* ſicut enim in rebus creatis fœcunditas conuenit rei ratione eſſentiæ & naturæ, ſic & Deo conuenit fœcunditas ratione naturæ diuinæ. Verum ſicut in rebus creatis non communicatur natura niſi per actionem aliquam creatam, quæ dici-

(a) Eſt communis ſententia ſcholaſticorũ 1. d 19. & 27. S. Th. q. 27. a. 5. & ibidem diſcipulorum eius. Contra Dur. 1. d. 6. q. 2.

tur

tur *generatio*, ita natura diuina communicari non poteſt,niſi per aliquam actionem diuinam, & hæ actiones ſunt & vocantur *actiones notionales*

* Rurſus quia iſtarum actionum termini, hoc eſt perſonæ quæ producuntur,remanent in ipſo Deo; *Ego in Patre, & Pater in me eſt* (quod propriũ eſt actionum immanentium) fatendum quoq; erit,has actiones eſſe immanentes: Actionum porro immanentium tres ſunt ſpecies, *intelligere*, *velle*, & *ſentire*. Senſationum non eſt capax diuina natura,quæ eſt omnium maxime ſpiritualis & abſtracta,remanent ergo in illa duę actiones tantum,intellectus,& volũtatis,quibus diuinæ perſonę producũtur,& diuina natura cõmunicatur. Quod ſatis clare ſcripturæ ſignificant,cum Dei filiũ nunc *verbum*,nunc *ſapientiam Patris*,Spiritum vero ſanctum,nunc *amorem*,nunc *charitatem* appellant. Nam verbum & ſapientia proxime ab intellectu producitur, amor & charitas proxime à voluntate. Quare qui dicunt proceſſiones diuinas proxime eſſe à natura diuina, non vt eſt intellectus & voluntas, ſed vt eſt(*b*)natura,coguntur dicere. Primò Dei filiũ nõ eſſe proprie verbum,quia verbum proprie ſumptum eſt proxime ab intellectu, nam eſt terminus intellectionis. Dicere autem Dei filium non eſſe proprie Verbum, pertinet ad hæreſ. Arian. ex Athan.*in Orat.cont. Gregales Sabellij*. Quare *S.Thom.p p.q* 34.*a.*1.*ad* 1. Origenem facit authorem hæreſis Arianę; quia in cap. 1. Ioan.filium dixit eſse improprie verbum.Pręterea qui illud aſſerunt, aſſignare non poſsunt rationem, cur proceſſio filij ſit prior origine, quam proceſſio Spiritus Sancti,quãdoquidem vtraque eſt à natura diuina,vt natura eſt. Rurſus cur diuinæ proceſſiones ſint tantum duæ & non plures? Explico, qui aſſereret ab eodem intellectu Patris poſse procedere plura verba,nullam poſset aſſignare certam rationem cur poſsint procedere duo,& nõ tria; tria,

* Not.4.

(*b*) Sic Dur. 1.d.6.q.2.

& non quatuor,& ſic in infinitum,cum fœcunditas diuini intellectus ſit infinita. Eodem modo, qui aſſerit à natura diuina vt natura eſt, procedere diuinas perſonas; non poteſt rationem reddere cur duæ tantum procedant non plures; nam fœcunditas diuinæ naturæ eſt infinita, & in iſtorum ſententia non determinatur natura ad hũc numerum perſonarum ex duplici modo communicandi ſe, quem habet natura intellectualis per intellectum, & voluntatem. At in noſtra ſententia facile ſatisfit huiuſmodi quæſtionibus. Primæ, cur perſonæ quæ procedunt ſint tantùm duæ? quia actiones immanentes in Deo quibus communicatur diuina natura, non ſunt niſi duæ, actio intellectus & voluntatis. Secundæ, cur proceſſio Spiritus S. ſupponat proceſſionem filij? quia Spiritus ſanctus procedit per voluntatem, & filius per intellectũ; at cognitio eſt prior amore, & amor cognitionem ſupponit. Tertiæ, cur vnius proceſſionis vnus tantum eſt terminus? hoc eſt, cur vnum tantum eſt verbum, non plura; cur vnus amor non plures? quia ſunt termini adæquati;at terminus adæquatus vnius actionis non poteſt eſſe niſi vnus, alioquin non eſſet adæquatus. Quartæ,cur filius non poteſt etiam ipſe producere ſuum verbũ? quia non habet potentiam productiuam, ad quam præter intellectum requiritur etiam paternitas;& quamuis in filio eſſet potentia generatiua, non poſſet tamen generare alium filium, neque producere aliud Verbum. Ratio eſt, quia filius accipit eundem numero intellectũ quem habet Pater; at intellectus ille iam habuit in productione verbi ſuum adæquatum terminum, & quicquid ab illo produci poteſt ad intra, productũ iam eſt à Patre. Quare filius accipit quidem eundem numero intellectũ, quem habet Pater, ſed ſine fœcunditate. Exemplo res fiet clarior; ſunt quædam animalia, quæ ſemel tantum in vita pariunt,ſicut de Leæna teſtis eſt *Epiphan.l.3.cont.hær.68.*

Exemplum ex Epiphan.

ponamus

ponamus hoc eſſe verum,quod ait Epiph. fingamus prę-terea communicari à Deo hanc ſingularem naturam huius Leænæ, poſtquam ſemel peperit,alteri ſuppoſito, tūc alterum illud ſuppoſitum acciperet quidem eandem numero naturam, quæ eſt in priori ſuppoſito, ſed ſine fœcunditate; omnis enim fœcunditas huius naturæ numericæ expleta eſt in primo ſuppoſito. Idem altiori modo dicendum de intellectu & voluntate diuina, licet ſint in omnibus tribus perſonis. Nam omnis fœcunditas intellectus expletur in Patre,& omnis fœcunditas voluntatis in Patre & filio, ideo nec à filio produci poteſt aliud Verbum, nec à Spiritu ſancto, ſpirari alia perſona. Hęc de primo.

Not. 5.
(a) Scotus 1. d 2. q 7. vult intelligere, & dicere duos eſſe actus, in nobis quidem diſtinctos realiter, in Deo autem formaliter tantum. Idem ſentit Gabr. 1. d 7. q 2 Hos tamē poſteriores actus à prioribus diſtinctos ſuperfluos vocant Bannes. & Suarez.

* *(a)* Quod attinet ad ſecūdum,ſtatuendum eſt, ſi prudenter philoſophari volumus,in Deo, actiones notionales non differre ab eſſentialibus ſicut actus ab actu; ſed ſicut includens & incluſum; actus enim notionales ſuperaddunt eſſentialibus relationem perſonæ producentis, ſi ſumantur actiuè,aut perſonæ productæ ſi ſumantur paſſiuè. Colligimus hoc iſta ratione, quia cū intellectus non habeat alium actū quam intelligere, eſt enim eſſentialiter intellectiuus;neque voluntas alium actum,quam velle, ſi actus notionales ſint actus intellectus & voluntatis, vt probatum eſt, non poterunt eſſe niſi intelligere, & velle. Imo licet intellectus & voluntas haberent alios actus, actus tamen notionales esſent intelligere & velle, quia filius vocatur in ſcripturis ſapientia genita, at ſapientia non producitur per alium actum, quam per intellectionem & cognitionem Spiritus S. vocatur amor, at amor non producitur niſi per actum volendi, ergo.

Verùm quia actus intelligendi & volendi ſunt esſentiales, & ideo communes perſonis omnibus, *dicere* vero & *ſpirare* ſunt actus notionales, & ideo proprij Patris & filij, neceſse eſt, vt *intelligere* & *velle* contrahatur quo-

dammodo

dammodo ad *dicere* & *ſpirare* per aliquid, quod ſit proprium Patris & filij, vt philoſophabamur etiam agentes de potentia notionali. In perſonis autem diuinis vt diximus, nihil eſt proprium præter relationes, ergo per has relationes contrahentur quodammodo *intelligere* ad *dicere*, & *velle*, ad *ſpirare*. Quare *dicere* nihil erit aliud, quã *intelligere* Patris, ſicut potentia generatiua erat intellectus Patris; *ſpirare* erit *velle* Patris & filij. Denique quia in diuinis productio eſt idem cũ perſona producta, actus notionalis actiuè ſumptus erit ipſe actus eſsentialis, ſed includens ſecundario relationem perſonæ producentis; paſſiue vero ſumptus, erit idem actus, ſed includens ſecũdario relationem perſonæ productæ. Quod totũ paucis docuit *S.Tho.q.34.a.1.ad 3.* Vbi ait *intelligere* reſpicere tantum obiectum intelligibile, & *dicere* includere reſpectum ad terminum productum. Hinc fit, vt ſicut intelligere eſt in intelligente, quia eſt actus immanens; ita etiã ſit *dicere*, ſi ſumatur actiue, quia non addit niſi relationẽ intelligentis, quæ eſt etiam in ipſo intelligente.

Dicere & intelligere differunt vt includens & incluſum.

Sic Caiet. & Torres in q. 27. D. Thom. a.5. Vaſquez. diſp.112. c.3.

Sicut ergo idem ens abſolutũ in Deo eſt eſsentia, intellectus & intellectio. Ita idem ens reſpectiuũ in Deo, quod eſt idem omnino cũ ente abſoluto, complet rationem perſonæ, potentiæ producentis, & actus notionalis, diuerſa tamen ratione: Vt enim habet rationem ſubſiſtẽtię, vna cum eſsentia conſtituit perſonam; Vt habet vim habitudinis potentis producere, conſtituit vna cũ eſsentia & intellectu potentiam producentem: Vt vero habet rationem actu producentis vna cũ intellectione, conſtituit actum notionalem. Quare hæc tria, perſona, potentia producens, & actus notionalis tantundem includũt eſsentiam & relationem. Sed non ſub eadem ratione, ſed ſub diuerſa, vt dictũ eſt. ¶ Quoad tertiũ quomodo diſtinguantur inter ſe hi actus notionales?

Collatio entis abſoluti in Deo, & reſpectiui.

Cenſemus diſtingui primò ratione, quia ſunt à diuer-

Eſt communis ſententia ſcholaſticorum.

ſis

ſis principijs, vnus ab intellectu, alius à voluntate; & ad terminos diuerſos, ille ad Verbum, iſte ad Spiritum ſanctum; ergo ſaltem ratione diſtinguuntur. Secundò diſtinguuntur realiter, ſi paſſiuè ſumantur, quia ſicut Spiritus S. re diſtinguitur à filio, quia eſt ab illo, ita proceſſio Spiritus ſancti, quia eſt à proceſſione filij; nam proceſſio nō diſtinguitur à perſona quæ procedit, niſi vt apud nos res in fieri, & in facto eſſe. Verum tamen eſt, perſonas proprie & directe dici producere, & produci, at proceſſiones improprie & indirecte; hoc tamen ſufficit ad diſtinctionem realem. Tertiò differunt quodammodo ſpecie, vt loquitur *S.Tho.q.*10.*de potent.a.*2.*ad* 12. quia productio filij eſt proprie generatio, at productio Spiritus ſancti non eſt generatio, ergo. Docet hoc fides, quæ Verbum appellat in ſymbolo *filium vnicum*, ergo Spiritus ſanctus non eſt filius; alioquin Verbum non eſſet filius vnicus. Cur autem productio filij ſit generatio, & productio Spiritus ſancti non ſit, ignoratur, inquit, *Cyrillus Catecheſi* 11. ab vniuerſa creata natura. *D.Tho. q.*10. *de potent.a.*2. *ad* 12.

* Quia tamen omnes conãtur afferre aliquid pro ratione, placet nobis ſententia *S.Tho.p.p.q.*27. *a.* 2. 4. *contra Gent.cap.*10.*&* 11. & alibi, quam ſine dubio accepit à *S.Auguſt.lib.*15, *de Trinit.c.*15. *&* 27. *& lib.* 9. *cap. vlt.* Productionem Verbi eſſe generationem, quia procedit ſimile producenti ex natura & conditione productionis ſuæ formaliter ſumptæ. At productionem Spiritus ſancti non eſſe generationem, quia non procedit Spiritus ſanctus ſimilis producenti ex natura & conditione productionis ſuæ formaliter ſumptæ, ſed ex proprietate ſubiecti, vel quaſi ſubiecti in quod recipitur, quę eſt natura diuina, in qua nihil poteſt eſſe, nec produci, quod non habeat naturam diuinam. Explico. * *Not.* 6 *&* 7. *Omnes ſcholaſticorum rationes de hac re affert. Vaſquez diſp.* 113. *& Suarez lib.*11. *de Trinit. cap.*5.

Ad rationem generationis viuentium de qua loquimur, requiruntur tria. Primũ eſt ex parte producentis, vt

pro-

producat conferendo ſubſtantiam ſuam, aut partem ſubſtantiæ. Quare ſi Chriſtus Dominus ſolo verbo produxiſset hominem, ille non fuiſset filius Chriſti, quia non contuliſset illi ſubſtantiam ſuam neque partem ſubſtantiæ; & in hac prima conditione pares ſunt Verbum & Spiritus ſanctus, quia vtrique confertur tota ſubſtantia producentis. Secundum quod requiritur, eſt ex parte producti, vt ſit ſimile producenti in natura ſaltem ſpecifica. Generica non eſt ſatis ad generationem. Quare, quando ex corpore noſtro gignuntur vermes, vermes non dicuntur filii, quia ſunt ſimiles in natura genericâ tantùm. Et in hac ſecunda conditione ſunt etiam pares Verbum, & Spiritus ſanctus, quia vtraque perſona eſt ſimilis producenti in natura non modo ſpecifica, ſed numerica. Tertium quod requiritur, eſt ex parte productionis ipſius, Vt nimirum productio ex ſe habeat, & formaliter ſumpta, ideſt ratione principii à quo eſt, vt producat ſimile in natura: ſi enim id non habeat productio ex ſe, & formaliter ſumpta, licet id quod producitur aliũde producatur ſimile in natura, productio illa non dicitur *generatio*. Ob hanc cauſam productio Euæ ex coſta Adami, non fuit generatio, quia Eua licet proceſserit ſimilis Adæ vt filia patri, id tamen non habuit ex natura & proprietate productionis ſuæ formaliter ſumptæ, ſed aliunde, nimirum ex omnipotentia producentis. Et in hac tertia conditione pares non ſunt. Verbum & Spiritus ſanctus. Nam productio filij habet ex ſe & formaliter ſumpta, vt ſit productiua ſimilis in natura. At productio Spiritus S. id non habet ex ſe & formaliter ſumpta. Quare licet Spiritus S. procedat ſimilis Patri ſicut Verbum, non eſt tamen filius. Sicut Eua, licet fuerit tam ſimilis Adæ vt filia parenti, non fuit tamen filia, quia id non habuit ex natura & proprietate productionis ſuæ formaliter ſumptæ, ſed aliunde, vt diximus.

Pro-

Probo ergo hanc tertiam cõditionem requiſitam ad generationem reperiri in productione verbi, quia productio Verbi eſt ab intellectu: Intelligere autem nihil eſt aliud, quam intellectum ſimilem fieri rei, quam intelligit; quare intellectio & cognitio, nihil eſt aliud, quam ſimilitudo quædam expreſſa rei, quæ intelligitur, ſicut filius eſt ſimilitudo quædam Patris. Eſſe autem intellectionem ſimilitudinem rei, quę intelligitur, vel ex eo colligi poteſt; quia ſicut agens naturale, vt producat ſibi ſimile in natura requirit formam naturalem, vt Leo formam leonis, canis formam canis, ita & intellectus, vt producat intellectionem ſimilem obiecto, requirit obiectum ipſum ſibi vnitum; vt cum Angelus ſeipſum intelligit per ſuam ſubſtantiam ſine alia ſpecie, aut ſaltē ſpeciem intentionalem obiecti, qua informatus producat intellectionem ſimilem obiecto. Vnde fit, vt ſicut intellectio eſt ſimilis obiecto, ita ſit etiam intelligenti, qui eſt informatus ſpecie obiecti, vel habet obiectum ipſum ſibi vnitiſſimum. Hæc autem ſimilitudo intellectionis cum obiecto, in intellectione, & verbo noſtro, & Angelorum eſt tantùm intentionalis, ideo verbum noſtrum & Angelorum, non eſt filius: Filius enim debet habere ſimilitudinem naturalem cum Patre, non intentionalem tantũ. At in intellectione Dei vt intellectio eſt, ſiue ſecundum rationem, vt ita dicam, genericam, eſſe debet ſimilitudo aliqua ſaltem intẽtionalis; vt vero eſt intellectio diuina, ſiue ſecundum rationem, vt ita dicam, ſpecificam, eſt ſimilitudo naturalis, quæ ſatis eſt ad generationem verã; quia Deus, cum ſit agens perfectiſſimum & infinitũ, producit verbum ſimile ſibi non intentionaliter tantum vt nos, ſed naturaliter. Docuit hoc paucis *S. Tho. q. 27. a. 2. ad 2.* Vbi ait, intellectioni diuinæ, vt intellectio eſt, conuenire incompletam rationem generationis; quia .ſ. in intellectione, vt intellectio eſt, reperitur ſimilitudo ali-

qua, ſed non ſufficiens ad generationem, quia nõ eſt naturalis;compleri autem, inquit, per intellectionem,vt eſt diuina, quia vt diuina, habet ſimilitudinem naturalem, quæ ſatis eſt ad veram generationem. Deeſſe autem hãc tertiam conditionẽ proceſſioni Spiritus Sãcti oſtẽditur, quia licet SpiritusSãctus quidquid habet,habeat per ſuã proceſſionem, quiá non eſt perſona à ſe, ſed procedit à Patre & Filio,id tamen non habet à proceſſione ſua,formaliter ſumpta. Probatur, quia habere id à proceſſione ſua, formaliter ſumpta, eſt habere id à voluntate,vt voluntas eſt: at actio voluntatis & amor, non eſt ſimilitudo rei amatæ, ſicut intellectio, & verbum, eſt ſimilitudo rei intellectæ, ergo ſi amor ſit ſimilis rei amatæ,id nõ habet à proceſſione ſua,formaliter ſumpta,hoc eſt ex eo, quod procedat à voluntate, ſed aliunde. Non eſſe autem amorem ſimilitudinem rei amatæ probatur, nam amor dicit ſolũ ordinem ad rem amatam, & eſt impulſus quidam in illam; non eſt tamen ſimilitudo illius, ſed hæc ſimilitudo eſt tantum in cognitione,quæ præcedit amorem,non in ipſo amore.Quare Axioma illud,*Omne agens producit ſibi ſimile*, ſi vniuerſaliter ſumatur; eſt falſum; nam motus elementorum ad locum non eſt ſimilis elementis, & amor non eſt ſimilis amanti,neque rei amatę, ſed impulſus amantis in rem amatam. Nec dici poteſt amorem quidem in communi,non eſſe ſimilitudinem rei amatæ, eſſe tamen amorem diuinum: quia ſi amori non conuenit eſſe ſimilitudinem rei amatæ ſecundum rationem, vt ita dicam, genericam, neque id conneniet ei ſecundum rationem,vt ita dicam,ſpecificam, ideſt vt diuinus eſt, nam ſecundum hanc rationem hoc illi ſolũ conuenit nominatim, eſſe amorem increatum, & à ſe, nõ tamen eſſe ſimilitudinem rei amatæ. Quare ſi per actum amoris producitur Spiritus ſanctus ſimilis producenti, id nõ habet ex ratione ſuæ productionis,formaliter ſum-

ptæ,

ptæ,ideſt ratione ſui principij,à quo procedit,ſed ex proprietate & natura ſubiecti vel quaſi ſubiecti,in quo amor ille recipitur, quod eſt natura diuina, in qua nihil eſſe poteſt,neque produci,quod non habeat naturam diuinã.

Explicabo rem iſtam hac hypotheſi.Fingamus (quod eſſe non poteſt) diuinam naturam habere poſſe in ſe aliquid diuerſum à ſe;tunc Verbum Diuinũ procederet adhuc eiuſdem naturæ cum Patre, quia procedit per intellectum;at intellectio requirit ſimilitudinem termini cum ſuo principio, quod eſt intellectus non abſolute, ſed informatus ſpecie obiecti aut vnitiſſimus obiecto.Cum vero procedat per intellectionem perfectiſſimam, erit etiã perfecte ſimile ſuo principio. At Spiritus ſanctus, poſita illa hypotheſi, procederet quidem perfectiſſimus in genere amoris, ſeu impulſus in obiectum, & eſſet terminus perfectiſſimi actus voluntatis, ſed non procederet eiuſdẽ naturæ cum ſuo principio; quia cum amor non ſit ſimilitudo rei amatæ, nõ poſſet amor, quamuis perfectiſſimus, habere naturalem ſimilitudinem cum ſuo principio, ac proinde eſſe eiuſdem naturæ cum illo. Quare ſi nũc procedit Spiritus Sanctus ſimilis in natura cũ ſuo principio, id non habet proxime à natura proceſſionis ſuæ, formaliter ſumptæ, hoc eſt,quia procedit à tali principio,nimirum per voluntatem; ſed id habet proxime ab eo, quod habet rationem ſubiecti in hoc amore, nimirum ex natura diuina,quę nihil in ſe patitur diuerſum à ſe.Et hoc eſt, quod diximus initio, non id habere ex ratione ſuæ proceſſionis, quia proxime non id habet ex eo, quod procedat per voluntatem, ſed ex proprietate, vt ita loquar, diuinæ naturæ.

Dices. Hinc ſequi videtur primo, Spiritum Sanctum eſſe Deum per accidens, quia non procedit ſimilis producenti ex natura proceſſionis ſuæ, formaliter ſumptæ: ſecundò, eſſe ſaltem inferiorem Verbo, quod ex natura

proceſſionis ſuæ,formaliter ſumptæ,procedit ſimile Patri. Reſpondeo,neutrum ſequi. Non primum, quia quicquid eſt in Deo,& producitur in Deo, habet per ſe naturam diuinam. At Spiritus ſanctus,cum ſit amor Dei non liber,ſed neceſſarius,neceſſario eſt in Deo & in illo producitur, ideo per ſe,non per accidens habet naturam diuinam; licet hanc non habeat proxime ratione principij, à quo producitur,ſed ratione quaſi ſubiecti, ideſt naturæ diuinæ,in qua producitur. Non ſecundum,quia dũmodo in perſonis ſit eadem natura diuina, & eædẽ perfectiones, perſonæ ſunt æquales, licet vna id habeat à principio,à quo procedit, alia à ſubiecto, in quo recipitur; ſicut à pari ex eo, quod in Patre ſit paternitas formaliter, & in Filio non ſit formaliter, ſed æquiualenter tantum,aut eminenter,non ſequitur filium eſse minorem Patre. Quæritur, quomodo vocari debeant hi actus notionales, liberi ne, an neceſsarij? Reſpon. ſi proprie loqui volumus, vocandos eſse naturales,& ſic appellandos

* *Not.8.* eſse docet Concilium Toletanum.*

De Diuinis Relationibus.

* *

Not.9. ADuertendum tertiò,circa terminos iſtorum actuũ, terminum eſse duplicem, totalem & formalem;totalis terminus eſt perſona producta, & reſpondet perſonæ producenti,quæ eſt principium quod; terminus autẽ formalis,ſeu quo, eſt duplex, nam actus notionalis duplicem rationem continet, communicationis nimirũ naturæ, & productionis: terminus ergo formalis actionis notionalis,vt eſt communicatio naturæ, eſt eſsentia ſeu natura diuina,(*a*)hęc enim,& non relatio communicatur perſonę productæ.Terminus vero formalis eiuſdẽ actionis,vt productio eſt,eſt relatio diuina,non natura. Terminus enim formalis actionis, vt productio eſt, eſt id,

(*a*) *Terminum actionũ notionaliũ eſſe naturam,defendunt. Scotus 1.d.5. q.2.Cap.ibid. & Caiet. 1.q. 41.a.3. Eſſe relationem, tuentur. Dur. 1.d.5. Henricus in ſumma a.39.q.5.*

quod

quod in termino totali per actionem ipſam producitur: ſed ex duobus, quibus conſtituitur totalis terminus, non eſſentia, ſed relatio producitur; ergo hæc eſt formalis terminus productionis, vt productio eſt. Et hoc voluit *S. Thom. cum dixit* 1. *d.* 5. *q.* 3. eſſentiam eſſe terminum acceptum per generationem, ideſt eſſe terminum illius actionis, vt communicatio eſt. Agamus ergo de termino harum actionum, vt productiones ſunt, hoc eſt de diuinis relationibus, nam, vt communicationes ſunt, nihil præterea dicendum. De relationibus hæc tractari ſolent.

I. An ſint in Deo relationes reales. II. Quot ſint. III. Quomodo differant, & ab eſſentia, & inter ſe. IV. An ſint de eſſentia Deitatis. V. An Deitas ſit de eſſentia relationum. Deniq; an relationes dicant perfectionem aliquam, & quam. De primo certum eſt, in Deo eſſe relationes aliquas reales, (*b*) quia Pater æternus eſt re vera Pater, & filius re vera filius, ergo per relationes veras & reales Patris, & filij: ſicut quod realiter album, aut calidum eſt, eſt huiuſmodi per realem candorem, & calorem. * De ſecundo, hæ relationes reales ſunt quatuor: quia ex qualibet productione oriuntur per ſe duæ relationes reales, producentis ad productum, & producti ad producẽtem; ſed in diuinis ſunt duæ productiones, ergo quatuor relationes reales. De tertio, quomodo diſtinguantur hę relationes, multiplex opinio; ſed dicendũ, conferri poſſe vel inter ſe, vel cum eſſentia diuina; ſi conferantur inter ſe illæ, quæ habent oppoſitionem, realiter inter ſe diſtinguuntur, vt paternitas à filiatione, ſpiratio actiua à ſpiratione paſſiua, & ratio eſt; quia perſonæ diuinæ realiter inter ſe diſtinguuntur ſolùm per oppoſitas relationes, vt dicemus infra, ergo ipſæ relationes oppoſitæ neceſſario diſtinguuntur inter ſe realiter. At relationes illæ quę nõ habent oppoſitionem inter ſe, vt paternitas, & ſpiratio actiua in Patre, non differunt realiter, neque ex natura

**Not. 10. & 11.*

(b) Eſt cõis ſẽtentia Gabr. tamẽ 1. d. 30. quæſt. 4. concluſ. 5. dicit defendi poſſe tam in rebus creatis, quam in Deo nullas eſſe relationes reales. Quam ſententiam Torres q. 40. tanquã erroneam notat, pugnat enim cum Concilio Toletano 7. vbi in relatione, inquit, perſonarum cernitur numerus, & cum dicatur numerare, & diſtinguere perſonas, non poteſt nõ eſſe realis.

rei

Diſtingui ex natura rei, ſentit Scotus, 1.d.2 q 4. Et nominales Gab. Okam, Marſilius, leg Vaſq. diſp.120. c.3.

**Not. 2 & 13*

(c) Diſtingui ratione tantũ, defendit S. Thom. p.p. q. 28. art. 2. Bonau. 1. diſt. 33. art. 2. Henric. quodlib. 5. q. 6. Sic definitum eſt in Concil. Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum ex S. Bern. Serm. 80. in Cant. & S. Thom. 1. p. q. 28. a. 4. à quo Porretano nõ multũ diſtat Dur. 1. d. 33. q. 1. Gab. 1. d. 2. queſt. vnica, ſcribit Gio. Gerſonem ſenſiſſe diſtingui realiter in Deo relationes ab eſſentia, ſed hoc in libris Gerſonis non reperitur.

rei inter ſe, ſed tantum ratione. Probo non diſtingui rea liter, quia in diuinis non eſt alia diſtinctio realis niſi ex oppoſitione directa relationum, qualis eſt inter ſpirationem actiuam & proceſſionem, aut ſaltem ex indirecta, qualis eſt inter proceſſionem & filiationem, quia filiatio conſtituit perſonam ſpirantem, neutra eſt inter paternitatem & ſpirationem actiuam; ergo non diſtinguuntur realiter. *(c)* Probo non diſtingui ex natura rei: Quia cùm Deus ſit ſimpliciſſimus, nihil admittit in ſe diſtinctum, aut ab eſſentia ſua, aut ab alia perfectione ſua, formaliter, aut ex natura rei, facerent enim iſta compoſitionem ſaltem Metaphyſicam, qualem faciunt genus & differentia; diſtinguùntur ergo ſolùm ratione. * Si autem conferantur relationes nõ cum alijs relationibus diuinis, ſed cum eſſentia diuina, certum eſt aliquo modo ab eſſentia differre: quia de eſſentia & relationibus dicuntur propoſitiones contradicentes, dicimus enim eſſentiã eſſe vnã, relationem non eſſe vnam; eſſentiam eſſe communicabilem, relationem non eſſe communicabilem; ergo aliquo modo differunt relationes ab eſſentia, ſed nõ poſſunt ab illa differre realiter, quia cum illa non habent oppoſitionem; neq; ex natura rei, quia facerent in Deo ſimpliciſſimo ente compoſitionem, ergo differunt tantũ ratione, ſi non actu, ſaltem fundamentaliter, vt loquuntur Scholaſtici. Quare, quæ in rebus creatis diſtinguuntur formaliter, in Deo diſtinguuntur ratione tantum; huius rei cauſa eſt abſoluta illa infinitas Dei, æquiualet enim vnum illud ens infinitum omnibus entibus finitis, & vna illa infinita formalitas omnibus formalitatibus finitis. Ex hac ergo infinitate habet Deus, vt omnes perfectiones quas continet, ita vt more humano loquamur, conuertat in ſe, vt habeant eandem formalitatem realem cum diuina natura, & ſint idem realiter *(d)* cum illa, immo etiã inter ſe, dummodo non habeant oppoſitionem, quod di-

cimus propter relationes originis, quæ licet ſint idem re cum eſſentia, cum qua non habent oppoſitionem, non ſunt tamen idem realiter inter ſe, quia inter ſe habent oppoſitionem. Ex hac infinitate Dei habemus. Primò, prudenter non admitti à nobis in Deo quædam, quæ in ente creato & finito neceſſario admitti debent, quicquid dicant Gentiles, v. g. ens abſolutum & reſpectiuum in rebus creatis diſtinguuntur ſaltem formaliter, & ex natura rei, ergo etiam in Deo eſſentia & relatio: Nego conſequentiam, Nam Deus habet formalitatem vnam ſimpliciſſimam & infinitam, quæ ita eſt abſoluta, vt ſit etiã reſpectiua. * Secundò, in rebus creatis repugnat, eandẽ rem eſſe communicabilem & incommunicabilem, ergo etiam in Deo. Nego conſequentiam, quia ſicut non repugnat illud ens diuinum eſſe ſimul abſolutum & reſpectiuum ob infinitatem quam habet, ita non repugnat eidem enti conuenire conditiones abſoluti entis & reſpectiui; & vt abſolutum eſt, eſſe communicabile, vt reſpectiuum, incommunicabile; vt abſolutum, eſſe vnum, vt reſpectiuum, non eſſe vnum. Vnde conſtat propoſitiones illas non eſſe contradicentes, quia non dicuntur de eadem re ſecundum eandem rationem, quod requiritur ad veram contradictionem, ſed ſecundum diuerſam; cõtradicentes ergo eſsent illæ propoſitiones, ſi eidem enti, vt eſt abſolutum, conueniret eſse communicabile, & incommunicabile; Vt abſolutum eſt, eſse vnum, & non vnum. Sed eſse vnum, vt abſolutum, & non vnum, vt reſpectiuum, non ſunt contradicentia. Tertiò. In rebus creatis quæ ſunt idem realiter vni tertio, ſunt idem realiter inter ſe; cum ergo Paternitas & filiatio ſint idem realiter cum eſsentia, erunt idem realiter inter ſe. Nego conſequentiã, quia eſsentia, cum ſit ens infinitum, poterit ob ſuam infinitatem identificari etiam cum ijs, quæ cum habeant oppoſitionem inter ſe, non poſsunt eſse idem, ſed

* *Not.14.*

neceſsario realiter diſtingui debent. Sed de hoc Axiomate plura dicemus in *lib. 3. agentes contra Gentiles*. De Quartò. Quamuis neque re, neque formaliter relationes differant ab eſsentia, non ſunt tamen relationes, vt relationes, de eſsentia diuinæ naturę, *(a)* quod probabiliter credimus, quia Cōcilia paſſim dicunt eſsentialia in Deo non produci, ergò cùm relationes producantur, non ſunt eſsentiales, ſeu de eſsentia naturæ diuinæ.

(a) Nobiſcum ſentit Henricus quodlib. 5 q. 6. Ægidius 1. d. 84. a 2. Argētina eodem loco. Ferra 2. contra Gentes, cap 9. Torres q. 28. a. 2. & eſt expreſſa ſententia S. Thom. 1. p. q. 33. a. 7. vbi aſſerit in Trinit. propria non eſſe de conceptu communium.

* *Not. 15.*

Præterea quod alicui conuenit eſsentialiter, reperiri debet vbicunque eſsentia illa reperitur; ſed in Filio eſt natura diuina, & non paternitas, ergo hæc non eſt de eſſentia diuinæ naturæ, & idem dici debet de filiatione & ſpiratione. Denique modi exiſtendi non ſunt de eſsentia rei, ſed relationes ſunt modi exiſtentiæ, quibus natura diuina exiſtit incommunicabiliter, ergo non ſunt de eſſentia Deitatis. Quod ſi dicas: relationes non diſtinguũtur ex natura rei à diuina natura, ſed ſunt ipſa diuina natura, ergo ſunt etiam de eſsentia diuinæ naturæ; Nego conſeq. Relatio enim eſt ipſa diuina natura, quia neque realiter, neque ex natura rei ab ipſa diſtinguitur, quod omnino requirit Dei ſimplicitas. Non eſt autem de eſsentia diuinæ naturæ, quia eam non conſtituit, ſicut conſtituunt attributa, quæ dicũt perfectionem aliquam neceſſariam ad conſtituendam ſummam perfectionem entis, relatio autem conſtituit tantum perſonas. Explicari poteſt quod dicimus ex ſententia eorum, qui nō diſtinguũt gradus ex natura rei: Rationale eſt animal, quia neque re, neque ex natura rei diſtinguitur ab animali; nō eſt tamen de eſsentia animalis, & in communi ſententia; natura indiuidua non diſtinguitur re, neque formaliter à natura ſpecifica, & tamen hæc natura indiuidua non eſt de eſsentia naturæ ſpecificæ. * De Quintò, licèt relationes non ſint de eſsentia diuinæ naturæ, eſt tamen diuina natura de intrinſeca ratione relationum. *(b)* Ratio eſt,

* *Not. 16. & 17.*

(b) Sic Hēri-

eſt, quia relationes non ſunt ens creatum, ergo ens diuinum & increatum. Nam inter ens creatum & increatũ, non datur medium; ſed de eſſentia cuiuſcunque entis diuini eſt Deitas, ergo. Dicitur ergo relatio determinare eſſentiam, licet illam includat, quia addit illi reſpectum ad terminum, quem non dicit eſſentia vt eſſentia eſt, & hoc ſufficit in conſtitutione rei ſimplicis. Dices ſi filiatio v.g. includit eſſentiam, ergo non eſt relatiua, quia eſſentia non eſt relatiua. Nego Conſequentiam, quia licet nõ ſit relatiua, prout includit eſſentiam, eſt tamen relatiua ſecundum propriam rationem. De Sexto.* Cenſemus (c) dicere perfectionem, tum quia ſunt relationes reales, at relationes reales in rebus creatis dicunt aliquam perfectionem, & ſecundum eſſe In, & ſecundum eſſe Ad, quia ſecundum vtrumque reſpectum ſunt reales, ergo & relationes diuinæ: tum quia relatio dat perſonis diuinis ſubſiſtere relatiuum, ſed in rebus creatis *ſubſiſtere* dicit perfectionem, ergo multo magis in Deo, erunt ergo in Deo tres perfectiones, ſed relatiuæ, & tres perfecti, ſed relatiuè. Abſolute tamen dici debet in Deo vna perfectio, & vnus perfectus. Secundo, Cenſemus eſſe perfectionem ſimplicem, ideſt, in ſuo genere; ratio eſt, quia per illam poteſt Deus terminare quamcunque creaturam ſubſtantialem, vt modo facit, cum humanitate, ergo continet vim & virtutem omnium creatarum ſubſiſtentiarũ, quod eſt eſſe infinitum in ſuo genere, ideſt, in genere ſubſiſtentiæ, cum poſſit ſupplere vices cuiuſcunque ſubſiſtentiæ creatæ. Nec dici poteſt, hoc conuenire Deo ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quia ſubſiſtentia abſoluta, ſi qua eſt in Deo, communicabilis eſt: at terminare naturam incommunicabiliter, vt modo facit Verbum cum natura humana, conuenit Deo ratione tantùm ſubſiſtentiæ relatiuæ: Sunt autem hæ relationes diuinæ æqualis perfectionis, quia perfectio relationis ſumitur à fundamento,

cus quodlib. 5. q 6. Tor. 1. p. q. 28. art. 2. Zumel. ibid. Suarez lib. 4. de Trinit. c. 7. S. Tho. aperte docet communia eſſe de conceptu propriorum, Contrarium tamen defendit Vaſquez diſp. 121.

**Not. 18.*

(c) Capr. 1. d 33. Caiet. & Canar. 11. q. 28. a. 1. docent omnem relationẽ realem, eſſe realẽ ſecũdum eſſe In, non ſecundum eſſe Ad. Confutatur à Valentia, puncto 1. de relationibus. à Vaſquez diſp. 114. c. 2. & Suarez lib. 5. de Trinit. c. 1.

vel à termino, at fundamentum omnium iſtarum eſt eſſentia, terminus omnium perſona diuina, ergo pares. (d) Tertio, Cenſemus non eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſi ſumantur ſecundum illam rationem, quam intelliguntur ſuperaddere eſſentiæ. Nam ſi ſumãtur vt includunt eſſentiam, nulli dubiũ eſt, eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices, cum eſſentia ſit ſummum bonum. Probatur, quia perfectio ſimpliciter ſimplex in quolibet ente eſt perfectior ipſa, quam non ipſa, at in Patre non eſt melior filiatio, quam paternitas; immo non poteſt in illo eſſe filiatio, quia habet oppoſitionem cum paternitate, neque in filio eſt melior paternitas, quàm filiatio, neque omnes tres ſimul ſunt meliores in vna perſona, quam propria illius relatio, ergo non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Neque dici poteſt eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices reſpectu deitatis, cum qua non habent oppoſitionem; tum quia non ſunt de eſſentia deitatis, at eſſent, ſicut ſunt cęterę perfectiones ſimpliciter ſimplices; tum quia tam perfecta eſt eſſentia ſine relationibus, quã cum illis, quia eſt ens infinitum ſimpliciter; ideo comprehendit in ſe perfectiones omnium relationum, quæ ſunt tantum infinitæ in ſuo genere. Ex his patet ſolutio ad illam quæſtionem: Si relationes dicunt perfectionem, ergo ſequitur in vna perſona eſſe aliquam perfectionem, quæ non ſit in alia. Reſpon. ſequi, eſſe aliquam perfectionem formaliter in vna perſona, quæ non ſit formaliter in alia; ſed non ſequi, deeſſe vni perſonæ perfectionẽ alterius, quia habet illam æquiualenter, cum habeat eſſentiam, cum qua ſunt omnino idem relationes, & in qua continetur perfectio relationis alterius perſonæ, & hoc ſatis eſt ad perfectam æqualitatem perſonarum. Contra. Pater habet eſſentiam in qua continetur perfectio omniũ relationum, quia eſt ens ſimpliciter infinitum; & præterea habet relationem paternitatis formaliter, ergo perfe-

(d) Scotus 1. d.8 q 4. & alij aſſerunt relationem, vt ratione diſtinguitur ab eſſentia, neque dicere perfectionẽ neque imperfectionem. Nobiſcum tamen ſentit ex antiquis Gab. 1. diſt 7 q.3. Herue. 1. d. 2. q.4. a 1 & alij. Ex recentioribus vero Valentia q.2. de relationib. puncto 1. Suarez lib 3. de Trinit. c. 8. & alij.

ctior

ctior Filio, qui nō habet paternitatem ſaltem formaliter. Nego conſequentiam, quia perfectio formaliter addita, ſi non ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, non facit id, quod illam habet formaliter, perfectius alio, quod habet illam tantùm eminenter. Quare Verbum licet habeat humanitatem formaliter, nō tamen eſt perfectius Spiritu Sancto, neque ſe ipſo ſine humanitate, cum in Verbo contineatur perfectio humanitatis eminenter : quod erit multo magis verum inter eſsentiam & relationes, quæ ſunt omnino idem cum eſsentia, tam re, quam formaliter; nam humanitas realiter diſtinguitur à Verbo.

De Perſonis in Vniuerſum.

ADuertendum quarto totales terminos harum actionum notionalium eſse perſonas productas. Videamus ergo de his perſonis. I. Quid ſignificet hoc nomen? II. Quid ſit perſona? III. An detur ſubſiſtentia aliqua communis & eſsentialis omnibus tribus perſonis? IV. Quomodo diuinæ perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur inter ſe? Quod attinet ad nomen, Latini Authores ob verborum inopiam, & diſputandi neceſſitatem, coacti ſunt nomen *perſonæ* accommodare ad Trinitatem, vt docet *Nazian. in Orat. de laudibus Athan. & S. Auguſt. l. 7. de Trin. c. 4.* Vbi ait Latinos cum nullo verbo poſsent exprimere tres illas res, quas in Trinitate confitebantur, *perſonas* appellaſse, non quia ſcriptura dicit, ſed quia nō contradicit. Et ratio quidem perſonæ, ſi originē ſpectes, non conuenit Deo, * quia vt Caius Baſsus teſtatur apud *Gellium l. 5. c. 7, & Boet. de duabus naturis*, perſona à Theatris originem traxit; dicta eſt enim à perſonando, quod vox ſub perſona grauius perſonet. Ideo in ipſo nomine *perſonæ* producitur media ſyllaba, quæ breuis eſse deberet, ad exprimendam ipſam magnitudinem ſoni. Igitur

Aug. l. 7. de Trin. cap. 4.

* *Not. 19.*

Aulus Gel.

quia *perſona* proprie vultum ſignificat, & ex vultu ſolemus homines internoſcere, translatum nomen eſt ad ſignificandum indiuiduum, non quoduis, ſed rei vultum habentis. Vultus autem nõ eſt niſi in rebus ratione vtentibus, & ſic Cicero aliquando docet, alia rerum, alia perſonarum attributa eſse: ſed ſiue apud profanos Authores is vocabuli vſus ſit, ſiue ſecus, Eccleſiaſtici certe multo ante Nycæn. Concil. hoc nomen diuinis hypoſtaſibus tribuerunt, vt *Tertul. in l. cont. Prax.* Et hoc ſenſu ſumpta *perſona*, Eccleſia vniuerſa docet, tres eſse perſonas Trinitatis, ideſt tres quaſdam res diſtinctas, ratione præditas, per ſe ſubſiſtentes. Hæc de nomine.

Tertul.

* *Not. 20. & 21.*

* Quod attinet ad ſecundum, ſignificat *perſona* ſuppoſitum naturæ intellectualis, & definitur à *Boet. lib. de duabus naturis*, eſse rationalis naturę indiuidua ſubſtantia, quam definitionem probat, & explicat *S. Thom. p. p. q. 29. art. 1.*

Boet.

Explicemus etiam nos ſingulas partes. Prima *ſubſtantia:* qua voce ſignificatur hoc loco non quæuis ſubſtantia, ſed completa, ex eodem *S. Tho. q. 30. art. 1.* Hac parte excluduntur, primò omnia accidentia, ſecundò, omnes partes ſubſtantiæ completæ, tam eſsentiales, quam integrantes, hæ enim partes quidem ſubſtantiæ ſunt, ſed perſonæ non ſunt.

Secunda, *Indiuidua*, quæ vox hoc loco non ſolum ſignificat ſingularem, ſed incommunicabilem, & inaſſumptibilem ſubſtantiam. Hac 2. parte excluditur natura humana in Chriſto Domino, & eſsentia diuina; quia hę licet ſingulares ſint, incommunicabiles tamen non ſunt. *Riccardus Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. 22.* clarius expreſſit hanc ſecundam partem; dixit enim, perſonam eſse rationalis naturæ incommunicabilem exiſtentiam, ideſt ſubſtantiam.

Riccardus Victorinus.

Tertia, *Rationalis naturæ*, ideſt vt exponit *S. Thom. loco*

citato,

citato,a. 1. *ad* 4. intellectualis,nam perſona reperitur non ſolum in natura diſcurſiua qualis eſt humana, ſed in natura Angelica & diuina, quæ licet intellectuales ſint, nõ ſunt tamen diſcurſiuæ. Hac 3. parte excluduntur omnia ſuppoſita, & ſubſiſtentiæ naturarum non intellectualiũ, quę dici bene poſsunt ſubſiſtentiæ, hypoſtaſes, aut ſuppoſita; ſed *perſonæ* dici non poſsùnt,quia hæ reperiuntur tantùm in natura intellectuali. Ex dictis apparet, perſonam eſse aliquid extra animam poſitiuum, & reale; nemine enim cogitante ſunt re ipſa in Deo tres perſonæ diuinæ. Vnde infertur, perſonalitatem,vt vocant,non eſse ſolam negationem communicabilitatis, ſed eſse modum quendam realem, quem deinde neceſſario ſequitur talis negatio communicabilitatis, quod ſatis clare colligitur ex myſterio Incarnationis,vbi Verbum hypoſtaſi, & perſonalitate ſua ſuſtentat naturam humanam. At negatio vel ens rationis non poſſunt ſuſtentare naturam realem,& ſubſtantialem;eſt ergo hypoſtaſis, ſeu perſonalitas modus quidam realis, & ſubſtantialis. His poſitis de perſonis in communi, Vt diſcutiamus tertium, An detur in Deo ſubſiſtentia aliqua communis, videamus quid habeat,quantum pertinet ad exiſtentiam, & modos exiſtendi natura diuina à ſe ipſa, &quid à relationibus. Vt autem procedamus ordine.

Suarez to. 2. *met. diſp.* 14.

* *Not.* 22.

* Certum eſt Primo, naturam diuinam exiſtere, quia quicquid eſt extra ſuas cauſas, exiſtit; at diuina natura non habet cauſas,ſed eſt rerum omnium cauſa, ergo maxime omnium exiſtit. Secundo certum eſt,per ſe exiſtere, quia id per ſe exiſtit, quod eſt ſubſtantia, & non eſt in alio tanquam in ſubiecto ſicut eſt accidens; at natura diuina eſt præſtantiſſima omnium ſubſtantia, ergo per ſe etiã exiſtit. Tertio,videtur nobis omnino dicẽdũ, naturã diuinam non ſolum per ſe, ſed etiam in ſe exiſtere: Illud enim dicitur in ſe exiſtere, quod nullo eget ſuſtentante

ad exi-

ad exiſtendum perfectè, quod habent res creatæ à quodam modo, quem vocant ſcolaſtici *perſeitatis* diſtincto à natura, & exiſtentia, quod oſtenditur in natura humana aſſumpta à Verbo, quæ exiſtit, quia eſt extra ſuas cauſas, & per ſe exiſtit, quia non eſt accidens ſed ſubſtantia; ſed non exiſtit in ſe, quia caret modo illo perſeitatis, & loco illius habet ſubſiſtentiam Verbi, in quo Verbo licet non ſit tamquam in ſubiecto, tamen eſt tanquam in ſuſtentante. At natura diuina, quia eſt ſubſtantia perfectiſſima, & infinita, non debet habere hanc perfectionem perfecte exiſtendi, quod eſt in ſe exiſtere, à relationibus, quæ ſunt extra eſſentiam ipſius, ſed à ſe ipſa, alioquin nō eſſet perfectiſſima, & infinita ſimpliciter: ſicut enim ens infinitū eſſentialiter eſt, ita etiam cum ſit abſolutiſſimū, & perfectiſſimū, & per ſe & in ſe eſt. Hinc ſequitur Primò, naturam diuinam præciſis etiam per intellectum relationibus, poſſe aſſumere naturam aliquam in illo modo perſeitatis, vt ita dicam, omnibus perſonis communi, & eſſentiali: ſic oſtendit *Suarez ex communi ſent. 3. p. diſp. 13. Sect. 1.* Sequitur Secundo, alio modo naturam diuinam eſſe in tribus perſonis, ab eo, quo natura humana eſt in Verbo; quia natura humana eſt in Verbo, vt ſuſtentetur ab illo; at natura diuina non eſt in perſonis, vt ſuſtentetur ab illis, ſed ob ſuam fœcunditatem, ratione cuius communicari poteſt multis perſonis. Non ſuſtentari autem à perſonalitatibus, vel ex eo colligi poteſt, quia de eſſentia perſonalitatum eſt natura diuina, non è contra, ergò potius dicendum eſt, perſonalitates ſuſtentari à diuina natura, quam diuinam naturam à perſonalitatibus. Sequitur Tertio, diuinam naturam cum hoc modo abſoluto, & eſſentiali, non eſſe perſonam, nec ſemiperſonam, licet hoc modo loquatur Caietanus, quia perſona conſtat ex natura, & modo exiſtendi per ſe, & in ſe, non quocunque, ſed incommunicabili, alioquin non eſt perſona;

Suarez

Caiet. q. 37. ar. 2.

talis

talis non eſt hic modus eſſentialis,& abſolutus,qui communicabilis eſt.Sequitur Quarto,admiſſo hoc modo exiſtendi per ſe,& in ſe, quem alij vocant *ſubſiſtentiam communem, & eſſentialem*, optime intelligi. Primo. Qua ratione hoc nomen *Deus*,licèt aliquando ex *S.Thom.*q 39. *a*.4.ſupponat pro perſona,vt cum dico *Deus generat*, aliquando tamen ſupponat pro indiuiduo deitatis, vt cum dico *Deus creat*. Secundo: Qua ratione hoc indiuiduum deitatis ſit ſecundum rationem prius perſonis. Hæc de re ipſa diſputata ſunt; Illud diſputari etiam ſolet de nominè: An hic modus perſeitatis eſſentialis diuinæ naturæ, quò exiſtit in ſe,& per ſe, vocari poſſit ſubſiſtentia communis, & eſſentialis? ſic vocatur à *S.Thom. in quæſtionibus diſputatis q. 9. quæ eſt de perſonis a. 5. ad* 13. vbi ait, diuinam naturam ſecundum ſe ſubſiſtere, & *p.p. q.29. a.2.* ait aliquid ſubſiſtere ex eo, quod per ſe exiſtit, nulla facta mentione incommunicabilitatis, & 4. *cont. Gentes c.* 18.in hoc ſenſu dicit,& eſſentiam, & perſonam eſſe ſubſiſtentem. Imo *Boet.l. de duabus naturis*,ſubſiſtentiam diſtinguit ab hypoſtaſi,quod hæc includat incommunicabilitatem,illa vero non includat, & in hoc ſenſu vſurpatur paſſim à Scholaſticis. *(a)* Si ſumatur tamen ſubſiſtentia, vt dicit præter eſſe *per ſe*, etiam incommunicabilitatem, natura diuina ſumpta ſine relatione non ſubſiſtit, neq; dici debet(hoc modo ſumpta ſubſiſtentia)dari in Deo aliquam ſubſiſtentiam eſſentialem.

Vide Caiet.in q. 39. ar 4. & 3 p q.2,a.2.

(a) Caiet.q.29.a.4.dicit in Deo eſſe tres ſubſiſtentias relatiuas & vnã abſolutam.& Suarez l.4 de Trinit ca.11, ait cum iam omnes ſcholaſtici vtantur hac voce ſubſiſtentia communis,& eſſẽtialis non poſſe reprehendi.

Quarto. Præter *(b)* hanc ſubſiſtentiam communem, & eſſentialem,poni debent in Deo tres ſubſiſtentiæ relatiuæ,quia poni debent tres perſonæ,ergo,& tres ſubſiſtẽtiæ incommunicabiles, & relatiuæ: nihil eſt enim aliud perſonalitas, quam ſubſiſtentia incommunicabilis. Multiplicatur autem relatiua ſubſiſtentia,non abſoluta, quia hæc eſt perfectio ſimpliciter,& illa non eſt; quod vel ex eo col-

(b) Cõmunis eſt ſententia ſcholaſticorũ eſſe in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas D. Tho.q.29 ar. 2.ad 2. Alex. 3.p q. 1. n. 3. Bona.3 d. 1.a 1 q.2.Contra Scotus 3. d.1 q.2.Dur. 1,d.

26.q 1, Argē. 1. d. 26 q. 1. qui aſſerunt, ſubſiſtentiam in Deo eſſe tātum vnam, & hanc eſſentialem, quæ tamē compleatur ꝑ relationes tanquam per tres incommunicabilitates.

eo colligi poteſt à poſteriori, quia ſi eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, eſſet conſequenter de eſſentia diuinæ naturæ, at ſi eſſet de eſsentia diuinæ naturæ, redderet illā incommunicabilem, ſicut reddit perſonam, & impediret maximam perfectionem illius, fœcunditatem ſcilicet & communicationem illius pluribus perſonis, & per has ſubſiſtentias relatiuas vere ſubſiſteret diuina natura, ſi non haberet abſolutam ſubſiſtentiam, quia veræ ſunt ſubſiſtentiæ, nunc autem modificant abſolutam, contrahentes illam quodammodo ad rationem perſonæ.

Quinto. An vero admitti debeant in Deo tres exiſtentiæ relatiuæ, ſicut admittuntur tres ſubſiſtentiæ, Problema eſt. Negant multi, quia, inquiunt, in Deo eſt vna tantum exiſtentia eſsentialis; relationes autem ex *Damaſc.l.1.c.11.* non ſunt exiſtentiæ, ſed modi illius vnius exiſtentiæ. * Alij vero. (c) concedunt, & aſſerunt authorem *Ricard.l.4. de Trin.c. 16.* vbi ſæpe dicit eſse vnam exiſtentiam communem in Deo, & tres exiſtentias incommunicabiles iuxta numerum perſonarum. Probant deinde idem ratione, tum quia in Deo verè ſunt tres entitates relatiuæ in actu, ſiue tres perſonalitates inter ſe realiter diſtinctę, ergo etiam tres exiſtentię relatiuę realiter inter ſe diſtinctæ; quia exiſtētia nihil eſt aliud, quā entitas in actu, vel cōſtitutiuū formale entitatis in actu, vt eſt in actu. Quare ſicut ex entitate abſoluta Dei infertur exiſtētia abſoluta, ita ex tribus entitatib⁹ relatiuis inferri debet triplex exiſtentia relatiua. Tum quia id quod actu producitur, cum ſua exiſtentia producitur, ergo realis productio perſonæ diuinæ terminatur in aliquam exiſtentiā illius, at productio illa non poteſt habere pro termino exiſtentiam abſolutam, quia hæc non producitur, & communis eſt etiam perſonæ producenti, ergo habet pro termino exiſtentiam aliquam relatiuam propriam perſonæ productæ, ratione diſtinctam ab abſoluta, &

** Not. 24.*

(c) Capr.3 d. 1 q.1.a.3. Scotus 1.d. 11.q. 2. & quodli.4. a.3. Suarez 3 p.diſp.11.ſect. 2. Fonſeca li. 5.met. c. 8. q. 5.ſect.4.

quæ

quæ ſit quaſi modalis quædam exiſtentia reſpectu exiſtentiæ abſolutę. Dixi *quaſi*, quia relatio non poteſt eſse purus modus; nam purus modus comproducitur cũ re, cuius eſt modus, non producitur. At relationes & perſonæ verè, & per ſe producuntur, ergo nõ ſunt proprie modi; & ſic intelligi & exponi debet Damaſc. loc. cit. vbi relationes appellat *modos exiſtentiæ.* Oſtendi hoc poteſt in natura humana Chriſti, quæ propriam habet exiſtentiam diſtinctam ab ea, quam haberet ſuppoſitum humanum, quo caret illa natura; ſicut enim ſuppoſitum eſt entitas diſtincta à natura, & extra ſuas cauſas; ita etiam habet exiſtentiam ſuam diſtinctam ab exiſtentia naturæ. Quamuis autem tres ſint exiſtentiæ relatiuæ, vna tamen eſt duratio, vna æternitas, qua menſurari intelliguntur exiſtẽtia abſoluta Dei, & tres illæ relatiuæ; ratio eſt, quia in Deo non multiplicantur niſi reſpectiua; at exiſtentiæ relationum ſunt reſpectiuæ, ideo ſunt tres; duratio verò etiam relationum, cum non ſit reſpectiua, non multiplicatur in Deo, ſed eadem æternitate menſuratur reſpectiua, qua menſuratur abſoluta exiſtentia Dei. Hinc fit, vt non dicantur tres æterni, ſed vnus tantum æternus, vt habemus in ſymbolo. His tribus relationibus & ſubſiſtentijs relatiuis putamus nos cum communi ſententia Theologorum diuinas perſonas conſtitui, & diſtingui.

Verum quia hæc difficultas de conſtitutione & diſtinctione diuinarum perſonarũ maxima eſt in hac materia, exacte explicanda eſt. In hac ergo difficillima quæſtione dicimus multa: Primo diuinas perſonas conſtitui; (*a*) ratio eſt, quia vere conueniunt in aliquo, hoc eſt in eſſentia, & differunt in proprietatibus, ergo conſtituuntur ex illo communi in quo conueniunt, & ex illo proprio in quo differunt. *

(a) Eſt cõmunis Scholaſticorũ 1. d 33. contra Præpoſitinũ qui omnẽ tollebat cõſtitutionem, Præpoſitinum ex parte ſequitur Ariminenſis 1. d. 26. & 27 q. 1.

* *Not. 25. & 26.*

II. Hanc conſtitutionem magis proprie dici rationis, quam realem, quia ad conſtitutionẽ requiruntur plu-

(b) Sic S.Th. 1. d. 26. q 2. a. 1, Caietan. q 40. a. 2. Ferrar. 4. contra gent. cap. 26.

ra; eſt enim *conſtituere* ſimul ſtatuere. Hæc autem plura, ſi non ſint plura quia realiter diſtincta, aut ſaltem ex natura rei, erunt plura tantum per intellectum, & rationem, ideo conſtitutio erit tantum rationis, non realis. Vnde infertur primò, hanc conſtitutionem non obſtare ſummæ ſimplicitati in re, quia eſt conſtitutio tantum per rationẽ, licet ratio habeat fundamentũ huius conſtitutionis: quãuis enim tam ſimplex in re ſit perſona, quam ſola eſſentia, intellectus tamen non habet fundamentum conſtituendi eſſentiam, ſicut perſonam, in qua videtur eſſe aliquid commune, & aliquid proprium, vt diximus Puncto primo, quod fundamentum non habet in ſola eſſentia. Secundo infertur, poſſe vocari etiam compoſitionem rationis, quia neque hæc obſtat ſimplicitati in re, licet alij ad compoſitionem, etiam ſi ſit rationis, requirant aliquid plus, quam ad conſtitutionem, nimirum, vt extrema ita ſint affecta, vt vnum non includat aliud. Quare cum relatio in ſe includat eſſentiam, non componit cum eſſentia, ſed conſtituit tantum perſonam; nam in conſtitutione, inquiunt, vnum extremorum poteſt includere aliud. Tertio infertur, licet abſolute dicatur, perſonas diuinas conſtitui, non tamen ſequi eſſe conſtitutionem realem, quia ad realem requiritur, vt diximus, diſtinctio conſtituentium, aut realis, aut ex natura rei. Et locutio illa, licet abſoluta, intelligi debet de conſtitutione rationis, eo ipſo quod dicitur eſſe in perſona diuina, quæ non eſt capax alterius diſtinctionis, quam rationis. Et tuemur Axioma commune, *Per idem res conſtituitur & diſtinguitur*, quamuis non eodem modo, nam per relationem vna perſona diſtinguitur ab alia realiter, & conſtituitur non realiter, ſed tantùm per intellectum, ad hoc enim requireretur pręterea diſtinctio realis, aut ex natura rei inter conſtituentia.

Not. 27. * III. Cenſemus proprietates conſtituentes & diſtinguentes perſonas, non poſſe eſſe abſolutas, ſed eſſe relatiuas,

tiuas, hoc eſt relationes ipſas. *(a)* Probatur primo, quia omnia abſoluta ſunt eſſentialia & cõmunia perſonis omnibus; at conſtitutiuum & diſtinctiuum debet eſſe perſonale & proprium perſonæ conſtitutæ & diſtinctæ ; huiuſmodi ſunt relationes, quæ cum ſint propriæ perſonarum, conſtituunt perſonas; & cum habeant oppoſitionem, diſtinguunt vnam ab alia, cui opponuntur: Paternitas à filiatione, cui opponitur; ſpiratio actiua, à ſpiratione paſſiua. Vnde conſtat, relationes creatas, quæ ſunt accidentia, ſupponere perſonas, quas referunt: At relationes diuinas, quia ſubſiſtunt, & non ſunt accidentia, non ſolum referre perſonas inter ſe, ſed etiam conſtituere, non ſupponere. Probatur ſecundo, quia perſonæ cõſtitui debent proprietatibus, quibus redduntur incommunicabiles, nam incõmunicabilitas eſt de ratione perſonæ; ſed omnis incommunicabilitas in diuinis oritur, ex oppoſitione relatiua, ergo conſtituuntur per relationes, vt relationes ſunt.

(a) Sic Scholaſtici ferè oẽs 1.d.26. Et S. Tho. cum ſuis q.40. Contra Io. de Ripis & Linconienſem ex [illegible]. Scot 1.d.26. q 1 qui putãt conſtitui abſolutis, quam ſententiã probabilem cẽſet Scotus, & Lichetus.

IV. Cenſemus perſonas diuinas dici debere conſtitui, & diſtingui relationibus potiùs, quàm originibus, *(b)* licet etiam origines intrinſece includant præter actus eſſentiales relationem, vt diximus ſupra. Quod eſt dicere, Patrem conſtitui in ratione perſonæ, potiùs à paternitate, quam ab actu generationis. Tum quia perſona ſignificat rem in actu primo, ergo rectius dicetur conſtitui per relationem, quæ concipitur vt forma quædã & actus primus, quam per originem, quæ concipitur vt via, & actus ſecũdus. Tum quia origines ſupponunt perſonas: nam generare eſt actio perſonę, ergo ſupponit perſonam, non conſtituit. Sed videri poſſet conſtitui originibus perſonas, quia Pater ideo Pater eſt, quia generat, non ideo generat quia Pater eſt, ergo Pater cõſtituitur in eſſe Patris & perſonę à generatione, quę fundamentum eſt Paternitatis. Ad ſoluendum hunc difficilem nodum, notauimus duo. Primum eſt, ex diuina natura hoc ſolo, quod natura ſub-

(b) Bona. 1 d. 29. q. 2. vult perſonas diuinas diſtingui originibus. At S. Tho. q. 40. a. 2. relationibus. Idẽ docet Dur. 1. d. 26. q. 1.

Varios modos Scholaſticorũ quibus ſoluitur hic nodus affert Vaſq. & expendit diſput. 154.

Ee 2 ſtan-

ſtantialis eſt, intelligi à nobis ſequi paternitatem. Nam vnaquęque natura ſubſtantialis eſt fundamentũ proximum ſuę perſonalitatis ſibi connaturalis, ſed iuxta modum quem exigit talis natura; quia ergo natura diuina communicatur Verbo & Spiritui Sancto per productionem vtriuſque perſonę; ideo natura diuina eſt principiũ primum harum duarum perſonalitatũ ſibi connatùraliũ; ſed per productionem. At quia prima perſona non producitur, natura diuina immediate & per ſe ipſam ſine alia productione affert ſecum talem perſonalitatem. Verum quia natura diuina communicabilis erat pluribus perſonis, non potuit prima eius perſonalitas eſſe abſoluta, alioquin non potuiſſet diſtingui realiter à ſecunda & tertia perſonalitate, cum quibus non habuiſſet oppoſitionem, neceſſe ergo fuit vt eſſet reſpectiua, & huiuſmodi eſt paternitas.

* *Not.28.* * Notauimus ſecundo, diuinas relationes non habere fundamenta, ſed ſe ipſis præſtare, quæ præſtant in rebus creatis relationes & ipſarum fundamenta. Quare Paternitas vt Paternitas eſt. Primò, quia reſpondet fundamento relationis creatæ, ideo non ſupponit illud, ſed conſtituit; & vt conſtituit perſonam Patris, intelligitur ratione præcedere actum generationis & Filiũ, ſicut apud nos perſona illa quæ eſt Pater, præcedit tempore actùm generationis, & Filium. Secundò, quia reſpondet relationi, ideo refert Patrem ad Filium, & eſt ſimul omnino cũ filiatione, ſicut apud nos filiatio eſt ſimul omnino cũ paternitate. Quare apud nos *eſſe Patrẽ* nihil eſt aliud, quàm habere Filiũ; at in diuinis, vbi Paternitas conſtituit perſonam, quæ eſt principium generationis, *eſſe Patrem* nõ dicit ſolùm habere Filium, ſed eſſe ipſum principium generandi Filium, ideſt eſſe perſonam aptam ad generandũ Filium, vel vt poſſit generare Filium. Quare ad argumẽtum reſpondeo, ſi loquamur de Paternitate, vt refert Patrem ad Filium, & reſpondet relationi noſtræ creatæ, ve-

rum

rum eſt, ideo eſſe Patrem, id eſt, ideo referri ad Filium, quia generat: Sed ſi loquamur de Paternitate, non vt refert Patrem ad Filium, ſed vt reſpondet fundamento relationis creatæ, & conſtituit perſonam aptam ad generandum, ideo generat, quia Pater eſt; nam cum actiones ſint ſuppoſitorum, generatio eſt à ſuppoſito, & ſuppoſitū Patris cõſtitutum eſt à Paternitate, vt Paternitas eſt. Dices: quem terminum reſpicit Paternitas in illo priori, in quo præintelligitur generationi? Reſp. Reſpicit Filium, qui tamen ſecundum modum concipiendi noſtrum producetur, & exiſtet in poſteriori ſigno rationis, quia in illo priori ſigno rationis concipitur vt conſtituens perſonam, quæ in poſteriori ſigno rationis generabit, & producet Filium. In re tamen, omnes perſonæ ſimul ſunt in eodem inſtanti etiam naturæ. Et hoc voluit *S.Thom q.40.a.4.* vbi docuit, Paternitatem, *vt relatio eſt*, ideſt, conceptam in ordine ad relationem creatam, ſupponere (ſecundū modum concipiendi noſtrum) actum generationis; vt tamē *eſt forma hypoſtatica*, hoc eſt conceptam in ordine ad conſtitutiuum perſonæ Patris, præintelligi generationi.

De prima Perſona.

ADuertendum quinto. De perſonis in particulari, Notas, quibus diuinæ perſonæ diſtinguuntur inter ſe, *notiones* vocari à Theologis, eſt enim *Notio*, vt definit *S.Tho.p.p.q.32.a.3.* ratio cognoſcendi vnam perſonam, vt ab alia, vel ab alijs diſtinctam. Cum ergo vna perſona diſtinguatur ab alia per relationem originis, duo ſunt neceſſaria, vt aliquid dicatur *Notio*: Primum eſt, vt ſignificetur in abſtracto, eo enim modo ſignificatur vt ratio, & quaſi forma perſonæ: Et præterea pertineat ad dignitatem perſonalem, vt docet *S.Tho.q.32.a.3.ad* 4.

De diuinis notionibus fuſe diſput. Vaſq. diſp. 136. & 137.

Secundum eſt, vt pertineat ad originem. Quare paternitas

nitas eſt Notio Patris, qua Pater intelligitur diſtingui à Filio; filiatio eſt Notio Filij, qua intelligitur diſtingui à Patre, ſpiratio actiua eſt Notio, qua tam Pater quam Filius intelligũtur diſtingui à Spiritu Sancto. Proceſſio ſeu ſpiratio paſſiua, eſt Notio Spiritus Sancti, qua Spiritus Sãctus intelligitur diſtingui à Patre & Filio. His quatuor Notionibus addunt S. Auguſt. & alij, innaſcibilitatẽ, quæ ſit quinta Notio, qua Pater intelligatur diſtinctus à Filio & Spiritu Sancto ſimul. Sed nos non agemus tantum de his Notionibus, ſed etiam de alijs nominibus, quæ tribui ſolent diuerſis perſonis licet Notiones non ſint, vt Spiritui Sancto eſſe donum, Filio eſſe imaginem &c.

S. Aug. lib. 5. de Trin. c. 6.

Igitur prima perſona quia producit cæteras, vocatur Principiũ Filij & Spiritus Sancti; ſecundò reſpectu ſecũdæ perſonæ vocatur Pater. Tertio, quia nec generatur, vt Filius, nec ſpiratur, vt Spiritus Sanctus, vocatur Ingenitus & Innaſcibilis.

De nomine principij.

DE hoc nomine quæruntur duo. Primo, an ratio principij conueniat Patri reſpectu Filij & Spiritus Sancti. Secundo, An hæc ratio principij conueniat Deo etiã reſpectu creaturarum, & quo modo.

** Not. 29.*

* De primo: quatuor ſunt voces de quibus dubitari poteſt an conueniant Patri reſpectu Filij & Spiritus Sancti: *Principium, Initium, Author, & Cauſa.* Pater non poteſt dici *principium Notionale* reſpectu diuinæ naturæ, ſed tantum reſpectu Filij, & Spiritus Sancti. Prior pars probatur, quia ſi eſſet principium Notionale reſpectu diuinæ naturæ, diuina natura produceretur à Patre, & conſequenter realiter differret ab illo; at diuina natura, ex cap. *Damnamus*, de ſumma Trinitate, non producit, nec producitur, & eſt idem non mo-

Eſt communis ſententia.

do

do realiter, ſed etiam formaliter cū Patre, ergo reſpectu illius non eſt Pater principium Notionale.

Probatur ſecunda pars, eſſe ſcilicet principium Notionale reſpectu Filij & Spiritus Sancti, quia *principium* ex 5. Metaph. c. 1. eſt id, vnde aliquid eſt, fit, vel cognoſcitu; ſed Filius eſt à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio, ergo Pater reſpectu Filij, & Pater cum Filio reſpectu Spiritus Sācti habent rationem principij Notionalis. Non recte tamen diceretur Filius, aut Spiritus Sanctus *principatus*, ex *S. Thom. p. p. q. 33. a. 1.* quia, inquit, hæc vox ſignificat dependentiā, quæ non reperitur in diuinis perſonis. Addit Magiſter ſententiarum 1. d. 29. nō recte dici Filium, aut Spiritum Sanctum habere principium, quia *habere principium* eſt locutio indifferens ad ſignificandū principium durationis, & originis. Quare cum Filius, & Spiritus Sanctus non habeant principium durationis, nō eſt dicendum habere principium, vt omnis erroris occaſio vitetur. *Magiſter 1. d. 29.*

Initium, non placet Hilario, Patrem appellari *initium Filij*, quia *initium* proprie dicitur de principio durationis, à quo aliquid primum incipit eſſe, quod nulla ratione conuenit perſonis diuinis, quæ ſunt æternæ. *Lib. 4. de Trinit.*

Author, nomen *Authoris* admittit *(a)* Hilarius prout tamen ſignificat ſolam rationem principij, non cauſam ſuperiorem. *(a) Loco citato.*

Cauſa: Græci ſine offenſione vtuntur nomine *Cauſæ*, & paſſim dicunt, *Pater eſt cauſa Filij.* *(b)* Cæterum quia apud Latinos nomen *Cauſæ* dicit principium quoddam, à quo pendet id, quod eſt à cauſa, & eſt, natura ſaltem, poſterius, quam illa; ideo monet *Hilarius lib. 4. de Trinit.* non eſſe vtendum hoc nomine, cum ſermo eſt de diuinis perſonis; ne videamur ſignificare, illas habere dependentiam, & poſteriores eſſe, quam ſit cauſa: quod manifeſtā argueret naturæ diuerſitatem inter illas. Quare Beſſariō *(b) Affert hos Patres S. Tho. in Opuſculo contra Græcos.*

Seſs.

Seſs.vlt. Concil. Florent. excuſat ſe, quod more Græcorum libere vſus ſit nomine *cauſæ*. Quamuis in eadē Orat. cap.3. fateatur Cyril. Alexand. in Epiſt. ad Herniam non admittere inter perſonas diuinas nomen cauſæ.

De ſecūdo. Cum duplex ſit in Deo ratio principij: vna reſpectu creaturarum, & hæc dicitur *ratio eſſentialis*, quia conuenit Deo ratione eſſentiæ, non ratione perfectionis alicuius perſonalis: altera *Notionalis*, quæ conuenit ratione perfectionis perſonalis, vt Patri reſpectu Filij, & Patri & Filio reſpectu Spiritus ſancti; Dubium eſt, an *principium* dicatur de Patre reſpectu Filij, & de tota Trinitate reſpectu creaturarum vniuocè, an analogice; *(d)* Reſpondeo dici analogice: & ratio eſt; quia nomen principij eſt relatiuum ex *Auguſt. lib. 5. de Trin. cap. 3.* ideo includit reſpectum: & Principium quidem eſſentiale includit reſpectum tantum rationis ad creaturas, Principiū vero Notionale, includit reſpectum realem ad perſonas productas; ſed nihil datur vniuocum enti reali, & rationis; ergo nec Principio eſſentiali, & notionali. Dicitur autem *(e)* Principium prius de Notionali, quam de eſſentiali; tum quia *Notionale* dicit reſpectum realem: *eſſentiale* verò reſpectum rationis; tum quia modus producendi ad intra, eſt perfectior modo producendi ad extra; nam illo producitur ſibi ſimile in natura, iſto producitur diſſimile.

(d) Eſt cōmunis opinio S. Tho 1. d. 29. q. 1. a. 2. Bona. ibid a. 1. q 2. Scoti. Duran. & Cap. ibid. q. 1.

(e) Sic S. Th. d. 29. q. 1. a. 2. Contrarium ſentit Dur. eadem d. q. 1.

De Nomine Patris.

NOmen Patris metaphorice tantùm conuenit Deo reſpectu creaturarum; quia non producit illas ſibi ſimiles in natura, quod tamen requiritur ad veram rationem Patris: conuenit autem Primę perſonæ verè & proprie reſpectu Secundæ, vt per ſe patet; quia producit illam ſibi ſimilem in natura, idque ratione proceſſionis formaliter ſumptæ, vnde fit, vt dicatur *generatio*, de

qua

qua re diximus ſupra Notabili ſecundo. *(f)* Quare etiam nomen *Patris*, vt conuenit Deo reſpectu creaturarum, & reſpectu Secundæ perſonæ, analogicè dicitur. Nam reſpectu Secundæ perſonæ dicitur proprie, & ab æterno; reſpectu vero creaturarum, ſecundum ſimilitudinem tantum, & per metaphoram, & ſolum in tempore. Rurſus, reſpectu Secundæ perſonæ conuenit Patri eſſe Patrem neceſſario, & naturaliter: at Deo reſpectu creaturarum conuenit eſſe Patrem contingenter tantùm, ſeu liberè. *(f) S. Th. p. p. q. 33. a. 3.*

De Nomine Ingeniti.

* Conuenit Primæ Perſonæ eſſe ingenitam: quæ vox ſuſpecta olim fuit Patribus Nicænis, quia Ariani per ingenitum intelligebant increatum. Ideo ſolùm Patrem dicebant ingenitum, ideſt, increatum: Filium vero, & Spiritum Sanctum non eſſe ingenitos, quia iſtos aiebāt fuiſſe creatos: poſtea tamen recepta eſt ab Eccleſia, ſed in alio ſenſu ab eo, quo vſurpabātur ab Arianis. Dicimus ergo primo, hanc vocem de perſona dici, non de natura Diuina; quia gignere, & gigni ſuppoſitorum proprie eſt, non naturæ; tribui tamen poſſet aliquo modo Diuinæ naturæ, quia eſt à ſe, non ab alio. Secundo, ſi eſſe ingenitum ſignificet non eſſe factum, ſic vocem hanc communem eſſe toti Trinitati: *(a)* Si vero ſignificet non eſſe Filium, non ſolum Patrem eſſe ingenitum, ſed etiam Spiritum Sanctum; hic enim licet procedat, non eſt tamen Filius. Tertio, Si vero ſumatur, vt ſumitur ab Eccleſia, pro ea perſona, quæ à nulla alia procedit, ſic conuenire ſoli Patri. Quare cum Eccleſia dicit, ſolum Patrem eſſe ingenitum, vult dicere, ſolum Patrem in Diuinis perſonis eſſe in productum quocunque genere productionis; ſic enim habetur in Toletano 11. Patrem eſſe ingenitum, quia à nullo originem ducit. Verum, quia vox ingeniti, & innaſcibilis

** Not. 30. & 31.*

(a) In hoc sēſu Ignatius Epiſt. 11 dicit Filiū eſſe ingenitum.

(b) Significare negationẽ proprie docet Naziã. Orat. 3. de Theolog. S. Thom. p. p. q. 33. a. 4. Bona. 1. d. 28.

ſcibilis negationem (*b*) ſignificat formaliter, & omnis negatio habet pro fundamento aliquid poſitiuum; fundamentum illius negationis non eſt Diuina natura, ſed eſt relatio Paternitatis, conſtituens Primam Perſonam nullo modo productam. Sic S. Thom. Et ratio eſt; quia hæc negatio eſt propria Patris, ergo fundamentum etiam illius eſſe debet proprium Patris: ſed Pater nihil habet propriũ præter paternitatem, nam eſſentia communis eſt, ergo. Conuenit autem Patri eſſe inproductum ratione Paternitatis, quia primus actus naturæ pure intellectualis, qualis eſt Diuina, eſt actus intellectus; ergo prima productio in Deo debet eſſe per intellectum: ergo perſona ſiue principium illud in Deo, quod producit per intellectum, eſt primum principium omnium, quo nullum aliud ſit prius, ideo à ſe eſt, ſiue eſt ingenitum, & inproductum; ſed paternitas Diuina eſt ratio conſtitutiua perſonæ producentis per intellectum, ergo eſt ratio conſtitutiua primi principij omnium, atque adeo radix eſt innaſcibilitatis. Hæc de Prima Perſona.

De ſecunda perſona.

ADuertendum ſextò, Secundam perſonam Diuinam reſpectu Primæ, quia ex eius natura producitur, vocari *Filium*. Secundo, quia producitur per operationem intellectus, vocari *Verbum*. Tertio, quia producitur ad referendam Perſonam producentem, vocari *Imaginem*. De primo, in præſenti nihil eſt dicendum, quia Notabili 2. copioſe oſtendimus, Secundam perſonam vere vocari, & eſſe Filium; quod tamen non humano more intelligẽdum eſt: Pater enim æternus intelligendo genuit, ideo neque fœmina opus habuit, nec vlla facta eſt diuinæ ſubſtantiæ deciſio.

De Nomine Verbi.

IN hac re vnum eſt certum, & diſceptatur de duobus. Certum eſt, Secundam Perſonam recte vocari *Verbum*, quia cum procedat per actionem intellectus Patris, omnia illi conueniunt, quæ requiruntur ad rationem verbi. Explico, verbum ex communi vſu loquendi dicitur fœtus & conceptus intellectus: in rebus autem corporeis id concipi dicitur, quod in vtero viuentis animalis vitali virtute formatur, mare agente, & fœmina patiente, in cuius vtero formatur fœtus, & conceptus; ita vt conceptus ſecundum ſpeciem ſit vtrique ſimilis, mari ſcilicet, & fœminæ. Idem plane accidit in ſpirituali fœtu, & conceptu: nam quod intellectus comprehendit, id quodãmodo in intellectu formatur, & ab intellectu concipitur: in qua conceptione, id, quod intelligitur, ſiue obiectum intelligibile, eſt quaſi agens, quod imprimit ſpeciem ſui; & intellectus eſt quaſi patiens, qui ſpeciem recipit, eamque ſeruat. Itaque intelligibile gerit vices maris, & intellectus fœminæ: ipſe autem conceptus ſiue verbũ eſt ſimile vtrique: ſicut corporalis conceptus eſt ſimilis patri ſimul & matri: eſt enim ſimile intelligibili, cuius eſt ſimilitudo quædam, vt diximus Notabili ſecundo: eſt ſimile intellectui, quatenus informatus eſt à ſpecie intelligibili obiecti.

Hic tamen perpendi debet diſcrimen aliquod inter ipſos conceptus mentis: nam cum id, quod intellectu cõcipitur, ideſt intellectio & verbum mentis ſit ſimilitudo ſaltem intentionalis rei intellectæ, quędam eſt quaſi proles ipſius: quando ergo intellectus intelligit aliud à ſe, res, quæ intelligitur, ſiue obiectum intelligibile eſt veluti pater verbi concepti in intellectu; ipſe autem intellectus potius gerit ſimilitudinem matris, cuius eſt, vt in ea fiat conceptus: quando vero intellectus intelligit ſe ipſum, tunc verbum conceptum comparatur ad intellectum, aut

potius ad intelligentem, quia actiones ſunt ſuppoſitorũ, ſicut proles ad Patrem. Nunc aſcendamus ad Deum. In Deo eſt primo intellectus Patris: ſecundo eſt obiectũ intelligibile, quod ab eius intellectu intelligitur: tertio eſt ipſe conceptus, qui producitur, & hic eſt Secunda Perſona, ergo Secunda Perſona habet proprijſſime rationem Verbi: & quia Pater producit Verbum intelligendo ſe ipſum, Verbum productum comparatur ad ipſum ſicut Filius ad Patrem, non ſicut filius ad matrem, vt conſtat ex dictis. Cæterùm ne quis audiens rationem Patris, & Filij, carnalem generationem conciperet, qualis apud nos eſt; ideo *S. Ioan. in cap. 1.* pro Filio poſuit *Verbum*, vt in Deo generationem tantum per intellectum agnoſcamus.

** Not. 32.* * Diſceptatur nunc primo, An Verbum in Diuinis dicatur etiam eſſentialiter. Cenſemus nos, Verbum, ſi tamen proprie ſumatur, in Diuinis non dici eſſentialiter, ſed perſonaliter tantum; (*a*) rationem reddit *S. Auguſt. lib 5. de Trinit. cap 6.* vbi ait Verbum relatiuè dici, ſicut dicitur Filius: ſicut enim Filius eſt Patris Filius, ita Verbum eſt dicentis Verbum; & ſicut Filius dicit relationem & originẽ ad Patrem, ita Verbum dicit relationem & originem ad Dicentem. Vnde fit, vt ipſa intellectio, quia non dicit in Diuinis relationem & originem, non enim proprie producitur, dici non poſſit proprie Verbum; & in hoc pares nõ ſunt Amor, & Verbum: nam Amor vſurpatur in Scripturis & à Patribus nunc pro ipſa actione amandi, & eſt nomen eſſentiale, nunc pro eo, quod producitur per talem actionem, & eſt nomen perſonale. (*b*) At *Verbum* vſurpatur tantùm perſonaliter. Quod ſi Scripturæ & Patres vſurpant in Diuinis nomen Verbi ad ſignificandum id tãtum, quod vere producitur, & dicit originem ad dicentẽ, nõ debet à nobis extendi, & in alia ſignificatione vſurpari. Quamuis largo modo omnis intellectio, etiam Filij, & Spiritus Sancti, vt eſt index rerum intellectarum, dici

(a) Sic S. Th. p p. q. 34 a. 3. quo loco vt notat Caiet. retractauit tacite quod ſcripſerat 1. d. 27. q 2. a. 1. Verbum in Diuinis accipi eſſentialiter & notionaliter.

(b) Quare mirum eſt quod ſcribit Dur. 1. d 27 q. 3. Verbum in Diuinis proprie dici eſſentialiter; Secundæ autẽ perſonæ conuenire tantum per appropriationem.

poſſit

poſſit Verbum; ſicut apud nos, omnis intellectio hoc modo ſumpta, ideſt, vt patefacit intellectui rem, quam cognoſcit, dicitur, & eſt Verbum.(*c*) Diſceptatur Secundo, Ex quarum rerum cognitione procedat per ſe Diuinum Verbum. Diximus enim produci ab intellectu Patris, ſed ex cognitione eorum, quæ cognoſcuntur à Patre, hæc autem ſunt plura; videndum eſt ex quorum cognitione producatur per ſe: quæ autem cognoſcuntur à Patre ſunt hæc quinque. Primũ Eſſentia Diuina; 2. Attributa; 3. Diuinæ perſonæ; 4. Creaturæ poſſibiles: 5. Creaturæ futuræ. Et quidem certum eſt, ſaltem identice, procedere Verbum ex cognitione iſtorum omnium; ratio eſt, quia vna tantum eſt cognitio in Patre, qua hæc omnia cognoſcit, & qua producit Verbum, ergo. Verùm quia in vnica illa cognitione Patris diſtingui poſſunt varia obiecta, quæ cognoſci deberent varijs actibus, ſi illorum Deus capax eſſet, cum vnica illa Dei cognitio, & vnicus ille actus æquiualeat multis cognitionibus, & perſonarum, & creaturarum tam poſſibilium, quam futurarum; rectè dubitatur, an productio Verbi, cum neceſſaria ſit ſimpliciter, procedat per ſe ex cognitione horum omnium, quorum aliqua libera tantùm ſunt, non neceſſaria; libere enim ſtatuit Deus, vt creaturæ aliquæ exiſterent, cum ſtatuere potuiſſet, vt nullæ omnino eſſent futuræ. Alij breuius quæſtionem proponunt hoc modo: An cognitio horum omnium ſecũdum rationem præcedere intelligatur productionem Verbi. Et de Eſſentia quidem nullum omnino dubium: idem dicendum de cognitione Attributorum. Nam cum ſint de eſſentia naturæ Diuinæ, ſunt omnino neceſſaria, & noſtro modo intelligendi priora productione Verbi. Quare Pater in illo priori rationis æque ac eſſentiam ſuam illa cognoſcit, & ex illorum cognitione producitur Verbum. Quod attinet ad Perſonas Diuinas, crederem etiam ita ex cognitione Perſonarum Verbum procedere, ſicut

(*c*) *Sic exponit S. Th. loco citato ad 3. Anſel in Monol. gio c. 34. vbi ait in Deo idem eſſe intelligere, & dicere.*

ex

ex cognitione Attributorũ.(*a*)Ratio eſt, quia Verbũ producitur ex cognitione perfectiſſima, vt docet S. *Auguſt. lib.*15.*de Trinit.* cum Verbum ipſum, terminus cognitionis huius perfectiſſimum ſit: at cognitio perfectiſſima debet Primo eſſentialis eſſe, qua ſcilicet cognoſcatur tota eſſentia: Secundo debet eſſe intuitiua; hæc enim perfectior eſt abſtractiua. Propter has duas conditiones dicendum eſt, Verbum procedere per ſe ex cognitione Diuinarum Perſonarum. Nam primo naturæ Diuinæ eſſentialiter conuenit eſſe in tribus Perſonis, ergo non poteſt eſſentialiter cognoſci, niſi in tribus perſonis. Secundo, non poteſt res intuitiue cognoſci, niſi cognoſcatur vt exiſtit: At natura Diuina exiſtit in tribus Perſonis; ergo non poteſt intuitiue cognoſci niſi in tribus perſonis. Quare res tota ſic ſe habet. In eodem inſtanti, etiam naturæ, ſunt ſimul re ipſa omnes Perſonæ Diuinæ: In illo tamen vnico inſtanti reali diſtinguimus nos multa inſtantia, ſeu ſigna rationis & intellectus; & in illo priori ſigno rationis, in quo concipimus nos Patrem cognoſcentem, nondum cõcipimus Filium & Spiritum Sanctum exiſtere, ſed in poſterioribus ſignis rationis, Filium in ſecundò, Spiritum Sanctum in tertiò, cum procedere debeat etiam à Filio.

(a) Scot. 2. d. 1 q. 1. aſſerit Verbum per ſe produci, ex cognitione ſolius eſſentiæ; ex cognitione vero perſonarũ tantum concomitanter. Vaſq. diſp. 143. ex cognitione Patris, & Filij, nõ Spiritus Sancti. At D. Th. p. p. q. 34. a. 1. ad 3. eodẽ modo loquitur de Spiritu Sãcto, ſicut de Patre & Filio, ſic enim ait. Pater intelligẽdo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum concipit Verbum.

* Itaque cognitio Filij eſt prior ratione; quã cognitio Spiritus Sancti; & productio Filij prior ratione, quam productio Spiritus Sancti; cognitio tamen non modo Spiritus Sancti, ſed etiam creaturarum poſſibilium, vt ſtatim dicemus, eſt prior ratione quam productio Filij, licet hæc omnia ſint in eodem inſtãti reali, etiam naturæ. Neque hinc ſeqnitur, Filium & Spiritum Sanctũ à Patre non cognoſci intuitiue, aut produci à ſe ipſis. Non ſequitur Primum, quia licet cognitio intuitiua requireret, rem exiſtere, dũ cognoſcitur, omnes Diuinæ Perſonæ ſimul exiſtunt in eodem inſtanti, vt dictũ eſt; ſed cognitio intuitiua eſſe quidem debet de re exiſtente, ſed nõ ſupponit rem exiſtere,

** Not. 33.*

dum

dum cognoſcitur: quod conſtat, quia Deus ab æterno cognouit futura intuitiue, quæ tamen non exiſtebant ab æterno, ſed in propria differentia temporis. Nec ſequitur Secũdum: nam principiũ producẽs debet exiſtere prius, ſaltem ratione, quam res producta; at in illo priori ſigno, in quo Pater producit, nondum concipere poſſumus eſſe Filium, & Spiritum Sanctum, quia producendi ſunt à Patre in poſterioribus inſtantibus rationis; ergo nõ poſſunt eſſe principium productiuum illius cognitionis, ſed ſolus Pater; Qui tamen Pater produxit & Filium & Spiritum Sanctum ex cognitione ſui, & Diuinarum Perſonarũ, & creaturarum, etiam poſſibilium; hæc enim omnia erant obiectiue in illa cognitione Patris. Recte ergo dici poteſt, Filium & Spiritum Sanctũ eſſe productos à Patre ex cognitione ſui, non tamen eſſe productos à ſe ipſis.

* Quod attinet ad Creaturas poſſibiles, puto, Verbum procedere ex cognitione omnium creaturarũ poſſibiliũ: ratio eſt, quia Verbum procedit ex comprehenſiua cognitione Diuinarum perfectionum, ſed omnipotentia Dei comprehendi non poteſt ſine cognitione omniũ creaturarum poſſibilium, quas intrinſece reſpicit omnipotẽtia; ergo: & eſt ratio *S. Tho. 1. cont. Gent. c. 49.* (*a*) Dicimus non poſſe comprehendi ſine cognitione omnium creaturarũ poſſibilium; non quia omnipotentia ſit relatiua ſecundũ ſe, eſt enim abſoluta perfectio; quæ tamen cognoſci non poteſt ſine termino à ſe dependente. Duobus ergo modis poteſt aliquid requirere terminum: Primò, quia intrinſece pendet à termino; & hoc modo omnipotentia Dei, ſeu virtus creatiua non requirit terminum creaturarum, quia non dependet ab illis. Secundo, quia terminus dependet ab illo ita, vt pertineat ad perfectionem ipſius habere talem terminum à ſe dependentem, quæ perfectio nõ poteſt cognoſci niſi cognito termino dependente; & hoc modo requirit omnipotẽtia ſeu virtus creatiua ad ſui cognitionem

** Not. 34.*

(a) Sic videtur ſentire S. Th. q. 34. a 1. ad 3 & ſic eum intelligũt omnes eius diſcipuli, Caiet. Bannes, Zumel. Valẽtia, Molina, in eũ locum. Fer. 4. contra Gent. c. 13 Eſt tamẽ contra Scot. 2. d. 1. q. 1. & alibi.

gnitionem creaturas poſſibiles. Exemplo ſint principiũ, & concluſio. Non poteſt principium cognoſci ſine cognitione concluſionum; & tamen non principium à concluſionibus, ſed concluſiones pendent à principio. Prӕterea non cognoſcitur res comprehenſiue, niſi cognoſcantur ea omnia, quӕ continet tam formaliter, quàm eminenter: at creaturӕ continentur eminenter in eſſentia, ergo ſine cognitione ipſarum non poteſt eſsentia comprehendi. Ex quibus conſtat, nullam ponere imperfectionem in Verbo, qui dicunt produci ex cognitione poſſibilium. Quia ſi ſpectetur neceſſitas, creaturas eſse poſſibiles, eſt omnino neceſsarium; ſi ſpectetur eſsentia, continentur in illa eminenter: ideo repræſentari debent à Verbo, & Verbũ debet dicere reſpectum rationis ad illas tanquam ad res repręſentatas. Deniq; ſi ſpectetur perfectio Dei, hӕc cognitio poſſibiliũ eſt perfectio ſimpliciter, quӕ melior eſt in quolibet, quam non ipſa. Et in hoc differt ab amore erga creaturas; quia bene velle alicui creaturӕ, ſi ſit efficax, eſt communicare illi bonitatem aliquam, quod dicit perfectionem in creatura, nõ in Deo; at cognoſcere creaturas poſſibiles, dicit perfectionem non in re creata, ſed in intellectu Diuino, vt conſtat. Quare ſi fingamus mẽte, creaturas non eſse poſſibiles, tunc Deus careret omnipotentia, ideo non eſset idem Deus, qui nunc eſt. Immo ſi ex mille creaturis, quӕ nunc ſunt poſsibiles, fingamus vnam tantum non eſse poſſibilem, cognitio Dei non eſset eadem cum illa, quӕ nunc eſt, nam eſset minor; & ideo Verbum, quod eſt terminus huius cognitionis, non eſset idem cum illo, quod nunc eſt. *(a)* De creaturis autem, quas Deus cognoſcit ſcientia viſionis, maior eſt difficultas; credimus tamen, Verbum non procedere per ſe ex cognitione iſtorum futurorum, ſed ſolũ concomitanter, vt dicitur, quatenùs eadem eſt cognitio realis, qua eſsentia cognoſcitur, & creaturӕ futurӕ. Probamus, ita dicendum

(a) Valentia in q. 34. S. Th. Puncto 2. Verbũ vult procedere ꝑ ſe etiã ex iſtis. Cõtrariũ docet Suarez lib. 9. de Trinit c. 7 & reſpõdet rationibus Valẽtiӕ: idẽ habet Vaſ. diſp. 143. c. 1.

dum eſſe, ſiue ſpectetur *V*erbum productum, ſiue creaturæ ipſæ producendæ: ratione *V*erbi producti, quia æque neceſsaria eſse debet productio *V*erbi, ac *V*erbum ipſum; ſed *V*erbum eſt abſolute neceſsarium; cognitio vero futurorum, ex qua ponitur procedere *V*erbum, non eſt abſolute neceſsaria; potuit enim non eſse in Deo, ſi ſtatuiſſet Deus nihil producere; ergo ex illa non procedit *V*erbum per ſe; Et hæc ratio probat etiam, non procedere *V*erbum per ſe ex ſcientia contingentium conditionaliũ, quam vocant aliqui ſcientiam mediam; quia *V*erbum debet procedere ex ſcientia, quæ naturalis eſt Patri & neceſsaria; at hæc ſcientia eſt contingens tantum: nam licet, poſito hoc vel illo obiecto, neceſsario ſequatur in Deo hæc ſcientia; obiectum tamen illud ſimpliciter contingens eſt, ideo potuiſset aliter ſe habere. * Secundo, Idem oſtenditur ratione creaturarum futurarum, quia hæ ſupponunt decretum liberum diuinæ voluntatis vt ſint; at hoc decretum intelligi non poteſt eſse in Deo niſi poſt productionem Filij & Spiritus Sancti: & ratio eſt, quia decreta iſta & voluntates ad extra, quibus res producuntur, ſunt indiuiſæ, & communes Perſonis omnibus; ergo Perſona Filij præintelligitur decreto; ergo non poteſt per ſe produci ex cognitione rerum futurarum, quæ ſupponunt decretum. Dices: Deus eſt cauſa libera, quæ comprehendi non poteſt, niſi cognoſcantur effectus ipſius liberi, cuiuſmodi ſunt creaturæ futuræ; ergo ſi *V*erbum producitur per ſe ex comprehenſiua cognitione Patris, producitur etiam per ſe ex cognitione futurorum. Sunt duo modi reſpondendi. * *Not.35.*

Primus affirmat, ad comprehenſionem alicuius cauſæ duo cognoſci debere: quid ipſa ſit, & quid efficere poſſit. Ratione primi, cognoſci debet omnis intrinſeca perfectio, quæ reperitur in cauſa per modum actus primi, aut formaliter, aut eminenter. Ratione ſecundi, quęcunque

ab ipſa effici poſsunt; Et quia nulla creatura cognoſcit ea omnia, quę Deus poteſt efficere, nulla creatura comprehendit Deum. Non requiritur autem ad comprehenſionem cauſæ, vt ex his, quę cauſa poteſt efficere, cognoſcatur hoc facturam, & non illud, ſed ſufficit primum. Quare ex communi ſententia, Angeli dicuntur nos comprehendere, quia cognoſcunt, nos poſse facere hoc & illud, licet non cognoſcant, hoc, non illud nos facturos. Hanc autem cognitionem habet Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcit, ſe poſse facere hęc, & illa, & quęcunque non inuoluunt contradictionem. Quod ſi dicas: Cauſa in actu ſecundo habet aliquã perfectionem actualem, quam non habet in actu primo, actum ſcilicet ipſum ſecundum, qui eſt perfectio quędam realis; ergo niſi cognoſcatur hæc perfectio, non comprehenditur cauſa; Nego conſequentiam, quia hæc perfectio eſt extrinſeca cauſæ liberæ; ideo non pertinet ad eius comprehenſionem; ſicut etiã relatio realis ad effectus, quæ inſurgit ex actione in cauſa neceſſaria, eſt extrinſeca ipſi cauſæ, neque pertinet ad comprehenſionem illius. Eadem ergo cognitio requiritur ad comprehendendam animam, quando homo dormit, & nullũ habet actum, quæ requiritur, quando vigilat, & habet ſemper aliquem actum; quia hi actus ſunt perfectiones, ſed extrinſecæ. In Deo autem, quia eſt cauſa libera, ſed puriſſimus actus, multo minor eſt difficultas; quia actus liberi, vt liberi, nullam in Deo dicũt realem perfectionem, ſed reſpectum tantum rationis ad creaturas, vt copioſe diſſeritur Prima Parte. Quare ad comprehenſionem Dei nullo modo requiritur, vt cognoſcantur actus ipſius liberi.

Secundus modus eſt aliorum, qui dicunt, ad comprehenſionem cauſæ liberæ requiri cognitionem futurorum effectuum liberorum, non formaliter, ſed conſequenter tantùm; ideſt, ita cognoſci debet cauſa libera, ſi comprehenditur,

henditur, vt ex cognitione illa poſſit inferri conſequenter quidquid factura ſit: quod qui non poteſt cognoſcere, infertur non comprehendiſſe cauſam liberam: quare affirmant iſti, cauſam liberam proprie à nullo comprehendi poſſe, niſi à Deo; quia *ſolus Deus corda ſcrutatur & renes*, ſoluſque cognoſcit, quicquid cauſa libera factura ſit, largo tamen modo ſumpto nomine *comprehenſionis*. Angeli dicuntur nos comprehendere, & ſuperiores Angeli inferiores; quia ſcilicet vident quicquid per modum actus primi reperitur in inferioribus, aut formaliter, aut eminenter, licet non cognoſcant actus liberos, quorum cognitio conſequenter requiritur ad comprehenſionem proprie dictam. Exemplum erit paſſionis,& eſſentiæ; ad cognitionem eſſentialem rei non requiritur per ſe & formaliter cognitio paſſionis propriæ; quia hæc eſt extra eſſentiam rei; requiritur tamen conſequenter: id eſt, talis debet eſſe cognitio eſſentiæ, vt per illam cognoſci poſſit conſequenter propria paſſio: quam qui non poteſt recte cognoſcere, arguitur non cognouiſſe eſſentialiter rem. Eodem modo ad comprehenſionem cauſæ liberæ non requiritur formaliter & per ſe cognitio actuum liberorum, ſed conſequenter tantum. Et licet Verbum repræſentet, & cognoſcat futura,id oritur, quia per generationem accepit à Patre non modo ea,quæ ſecundum rationem præcedunt generationem, vt eſt cognitio eſſentiæ, poſſibilium,&c.ſed etiam ea,quæ ſecundũ rationem conſequuntur, vt cognitionem futurorũ,poſſe creare, cõſeruare, &c.

De Nomine Imaginis.

DE Nomine Imaginis aſſerimus duo,primum eſt, Filio Dei conuenire rationem Imaginis. Secundum, eſſe Imaginem reſpectu Patris tantum.

* Oſtenditur primum. Quia, Secunda perſona dicitur, * *Not.36.*

imago Patris, 2. *Cor*. 4. *Qui eſt imago Dei*. Ad Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis*. Ratio etiam eſt; quia ea omnia reperiuntur in illa, quæ requiruntur ad rationem imaginis; ergo eſt imago. Probatur Antecedens, nam ad rationem perfectam imaginis requiruntur tria; (*a*) primo vt procedat ab illo, cuius eſt imago. Secundò, vt ſit ſimilis illi, cuius eſt imago, & ſimilis illi non quomodocunque, ſed formaliter, ratione proceſſionis ſuæ. Tertiò, vt procedat ad imitationem illius, cuius eſt imago, ideſt ad referendum illud, cuius eſt imago. Primum requiri, conſtat, quia ouum verum eſt magis ſimile alteri ouo, quam pictum ouo vero; & tamen vnum ouum non dicitur imago alterius, quia vnum non eſt ab alio. Secundum requiri, eſt notiſſimum; quia imago debet nos ducere in cognitionem prototypi; at non poſſet, ſi non eſſet ſimilis. Tertium requiri, patet ex ipſa voce *imaginis*, quæ ab imitando deducta eſt; at hæc tria exactiſſime reperiũtur in Filio. Nam, Primò procedit à Patre: Secundo, eſt perfectiſſime ſimilis illi, & id ratione proceſſionis ſuæ, vt oſtendimus ſuperius: Tertio, eſt ad imitationem eius; quia procedit per cognitionem intellectus, tanquam Verbum: at verbum eſt repræſentatiuum illius, cuius eſt verbũ, & naturaliter producitur ad repræſentandũ, & ideo vocatur etiam *ſpecies expreſſa*. (*b*) Dices, idem conuenire poterit Spiritui Sancto. Reſpond. Spiritus Sanctus non eſt proprie imago Filij, nec Patris; (*c*) quia licet procedat à Filio, quod eſt primum requiſitum ad rationem imaginis, & procedat adeo ſimilis illi, vt Filius Patri, quod eſt ſecundum requiſitum ad imaginem; hanc tamen ſimilitudinem non habet à proceſſione ſui, formaliter ſumpta, vt diximus, ſed quaſi materialiter. Sicut ergo hæc materialis ſimilitudo non ſufficit, vt poſſit vocari *Filius*, ita nec ſufficit, vt vocari poſſit *imago*: tam enim ad rationem Filij, quam ad rationem imaginis ex *S. Thom. p. p. q.* 35. *a.* 2. requiritur, vt ſimili-

(a) Negat hoc requiri ad imaginẽ Aureolus, vt refert Capr. 1. d. 27. q. 2 a. 2. quod ſine fundamento dici, & cæteri aſſerunt & ratio ſuadet.

(b) Hinc conſtat libere loquutum eſſe Duran. 1. d. 28. q. 3. dicentem non reperiri in diuinis rationẽ imaginis niſi improprie.

(c) Aureolus apud Capr. 1. d 27 affirmat rationẽ imaginis æque conuenire Filio, & Spiritui Sãcto. Cæteri oẽs Scholaſtici cõtrariũ docent in diuinis ſolum Filiũ eſſe imaginem, nõ Spiritũ Sãctũ.

ſimilitudo conueniat illi formaliter, & ratione proceſſionis. Immo licet procederet ſimilis ratione proceſſionis, formaliter ſumptæ; proprie tamen non eſſet imago; quia deeſſet illi tertium requiſitum ad rationem imaginis, produci ſcilicet ad imitationem alterius, atque adeo ex aliquo exemplari, vt illud repræſentet: quod nulla ratione conuenit Spiritui Sancto; quia procedit per voluntatem; quæ cum non ſit cognoſcitiua, nullum plane reſpicit exẽplar: quare quantum ad hanc tertiam conditionem pertinet, non magis Spiritus Sanctus eſt repręſentatiuus Patris, quam Pater Spiritus Sancti: largo tamen modo, etiã Spiritus Sanctus vocatur *imago*; quia ſimilis eſt producẽti ſicut Verbum ipſum. Hæc de primo: nunc ad ſecundũ.

Quamuis Verbum producatur ex cognitione non tantum Patris, ſed etiam Spiritus Sancti & creaturarum; non eſt tamen imago Spiritus Sancti, neque creaturarum, ſed ſolius Patris. Probatur. (d) Nam in Scripturis quando Verbum vocatur *imago*, nunquam vocatur imago Spiritus Sancti, aut creaturarum, ſed ſolius Patris *ad Coloſſ.* 1. *& ad Heb.* 1. Ratio etiam eſt, quia de ratione imaginis eſt, vt procedat ab eo, cuius eſt imago, vt diximus in prima conditione; ſed Verbum non procedit à Spiritu Sancto, neque à creaturis, vt per ſe conſtat, ſed à ſolo Patre; ergo ſolius Patris eſt imago. Probatur minor: nam Spiritus Sanctus (& idem à fortiori dicendum de creaturis) ad productionem Verbi non concurrit, producendo Verbum ipſum, nec conferendo Patri virtutem producendi, (hæc duo non egent probatione) nec tribuendo ſpeciẽ, qua Pater intelligat, ſicut obiectum concurrit ad noſtrum verbum, tribuendo ſpeciem intentionalem (quæ proceſſio ad rationem actiui principij reducitur.) Nam in productione æterni Verbi, ſola Patris ſubſtantia concurrit ex parte obiecti ad intellectionem notionalem, per quam procedit Verbum: quæ ſubſtantia licet eſſe poſſit princi-

pium

(d) *Auguſtin. lib. 7. de Trinitat. cap. vlt. & Rupertus lib. 2. de Trinit. c. 2. lege Suarez lib. 9. de Trinit. c. 9.*

pium cognoſcendi creaturas, quas continet eminenter, & Spiritum Sanctum; tum quia cum Perſonis habet identitatem, & neceſſariam omnino connexionem, tum quia relationes, ſeu perſonalitates cõtinet eminenter, aut quaſi eminenter, cum relationes ſint infinitæ tantum in genere, vt diximus *Notab.* 3. eſſentia vero ſit infinita ſimpliciter; non eſt tamen ſpecies proprie, & imago Spiritus Sancti, aut creaturarum. Quod vel ex eo colligitur, quia intelligi non poteſt, obiectum tribuere ſui ſpeciem intelligenti, prius quam ſupponatur eſſe. At in illo ſigno rationis, in quo Pater ex cognitione ſui & Perſonarum producit Perſonas, nondum ſupponuntur eſſe Filius, & Spiritus Sanctus; ergo non poteſt Diuina eſſentia habere rationem ſpeciei reſpectu Filij, & Spiritus Sancti: ergo nõ procedit Verbum à Spiritu Sancto, neque à creaturis, ſicut procedit verbum noſtrum ab obiecto, quod tribuit ſpeciem intelligenti. Adde, deſiderari etiam tertiam conditionem imaginis; vt ſcilicet producatur ad repræſentandum aliquid, quæ conditio eſt maxime propria imaginis: at Verbum non producitur ad repræſentandum Spiritũ Sanctum, & multo minus ad repræſentandas creaturas, ſed ſolum Patrem; non eſt ergo imago creaturarum: imo eſt exemplar creaturarum omnium, & creaturæ ſunt imagines ipſius. Dices: verbum mentis eſt imago eorum omnium, ex quorum cognitione procedit: ſed Verbum Diuinum procedit ex cognitione Spiritus Sancti, & creaturarum omnium; ergo eſt illarum imago. Nego maiorem: Nam Verbum illius tantum obiecti eſt imago, quod ad eius productionem concurrit, vel per ſeipſum, vel per propriam ſpeciem. Exemplum primi eſt ſubſtantia Angeli in intellectione, ſeu in verbo mentis, quod producit; cognoſcendo ſe ipſum: Exemplum ſecundi eſt ſpecies alterius Angeli in intellectione, ſeu verbo mentis, quod producit cognoſcendo alium Angelum: neutro modo

con-

concurrit Spiritus Sanctus ad productionem æterni Verbi, ſed ſola Patris ſubſtantia, vt diximus; ideo æternum Verbum non eſt imago Spiritus Sancti, neque creaturarum, ſed ſolius Patris.

De tertia Perſona.

ADuertendum ſeptimo, Tertiam Perſonam Diuinam reſpectu principij, à quo producitur, vocari *Spiritũ*, ideſt ſpiratum, quod nomen reſpicit ſpiratorem. Secundo, reſpectu proceſſionis per voluntatem, per quam producitur, & cuius eſt terminus, vocari *Amorem*. Tertio, reſpectu donorum, quæ ex amore dari poſſunt creaturis intellectualibus vocari *Donum*, hoc eſt primum, & maximũ omnium donorum.

De Nomine Spiritus.

NOtandæ ſunt quatuor propoſitiones. Prima eſt, Tertia Perſona vocatur *Spiritus Sanctus*. Et quidem, ſi hoc nomen deducatur non à ſpirituali natura, ſed à ſpiratione, non eſt commune omnibus Perſonis, ſed ſoli tertiæ; quia hæc ſola ſpiratur; ſi autem deducatur à ſpirituali natura, eſt nomen commune omnibus Perſonis; accommodatur autem tertię, quia Spiritus in rebus corporeis ſignificat impulſum, & motionem; aërem enim flantem & impulſum vocamus *ſpiritum*. Quia ergo amoris proprium eſt mouere, & impellere voluntatem; ideo nomen Spiritus accommodatum eſt ad ſignificandam tertiam Perſonam Trinitatis, quæ per voluntatem procedit, & amoris rationem habet.

Secunda, Procedit Spititus Sanctus non à ſolo Patre, ſed etiam à Filio, vt fatemur in ſymbolo, *Qui ex Patre, Filioq; procedit*; licet in Scripturis exprimatur ſolum nomen

men Patris *Ioan.* 16. *Spiritus, qui à Patre procedit*: quia quamuis procedat à Filio; procedit tamen per virtutem acceptam à Patre. Idem plane ſuadet ratio; quia ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo. Probatur,* quia in Diuinis omnia ſunt vnũ, vbi non eſt relationũ oppoſitio, quæ oritur ex origine, (*a*) hoc eſt ex eo, quod vna Perſona eſt ab alia: ſed in eo caſu Spiritus Sanctus non eſſet à Filio; ergo non opponeretur Filio; ergo non diſtingueretur realiter ab illo, ſed eſſet vna & eadem Perſona cum illo, ſicut non diſtinguũtur vt duæ Perſonæ nunc, generans, & ſpirator. Ex his habemus tria. Primo, diſcrimen inter filiationem, quam nũc habet Filius, ab ea, quam haberet in caſu hypoteſis; nam per hanc filiationem diſtinguitur nunc Filius à Spiritu Sancto realiter, & hypoſtaticè; quia iſta directè & immediate opponitnr paternitati, mediatè vero opponitur ſpirationi paſſiuæ; conſtituit enim nunc Filium, à quo procedit, & ſpiratur Spiritus Sanctus: quæ oppoſitio mediata, & indirecta ſufficit ad diſtinguendum realiter & hypoſtatice Filium à Spiritu Sancto. Secundo, longe aliter dicendum eſſe, ſi Spiritus Sanctus procederet à ſolo Filio; tunc enim diſtingueretur realiter etiam à Patre, quia cũ illo haberet oppoſitionem indirectam tanquam cum eo, qui dat eſſe Filio, & eſſe ſpiratoris. Cum enim Pater eſſet principium Filij, eſſet indirecte principium etiam Spiritus Sancti, qui produceretur à Filio. At ſi Spiritus Sanctus non produceretur à Filio, nullo modo opponeretur Filio, neque directe, vt conſtat, nec indirecte; quia neque filiatio tunc conſtitueret Perſonam ſpirantem, vt conſtituit modo iſta filiatio, neque à Filio haberet eſſe Pater, & eſſe ſpiratoris, à quo produceretur Spiritus Sanctus. Tertio, in eo caſu, filiationem diſtincturam Filium; à Patre quidem realiter, à Spiritu Sancto verò tantùm ratione. Quare non eſſent tunc duæ proceſſiones diſtinctæ realiter,

* *Not.* 37.

(*a*) *Sic ſentiunt cõmuniter Scholaſtici* 1. *d.* 11. *Bona. Dur. Ægyd. Capreol. ſic S. Tho. q.* 36 *a* 2 *& ibidẽ omnes eius commentatores. Henricus tamen quodl.* 3. *q* 9. *& Scot.* 1. *d.* 12. *q.* 2. *putant diſtinctũ iri, licet non procederet à Filio.*

ter, licet ſumerentur paſſiuè, ſed ratione tantum, ſicut nũc diſtinguuntur generatio, & ſpiratio actiua in Patre. Neque eſſent duæ Perſonæ Filius, & Spiritus Sanctus, ſed vna & eadem ab intellectu ſimul & voluntate; quæ, vt eſſet ab intellectu, diceretur *Filius*; vt vero eſſet à voluntate, diceretur *Spiritus Sanctus*.

(*b*) Tertia; Quamuis autẽ Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ſpiretur; ſunt tamen Pater & Filius vnum tantum principium Spiritus Sancti, non duo: ratio eſt, quia *principium* eſt nomen ſubſtantiuum; at ſubſtantiua nomina non multiplicantur niſi multiplicata forma; forma autem, ſeu virtus ſpiratiua Spiritus Sancti non eſt duplex, ſed vnica & eadem omnino in Patre & Filio. At Perſonæ ſunt duæ: Ita eſt; ſed licet ſint duæ in genere Perſonæ, ſunt tamen vnum in genere principij: ſicut tres Diuinæ Perſonæ in ratione Perſonæ ſunt tres; in ratione tamen Dei ſunt vnus tantum, non tres Dij, ob vnam numero Deitatem in tribus illis Perſonis. Pone vnam & eandem formam ignis, & vnum & eundem numero calorem in duobus ſuppoſitis ignis; ſi hoc vtrumque ſuppoſitum admoueatur ligno, erunt vnicum tantum principium calefactionis, licet ſint duo ſuppoſita ignis. * Dices. Pro quo ergo ſupponit nomen principij, quando dicimus, Pater & Filius ſunt vnũ principium Spiritus Sancti: Reſpondeo cum communi ſententia, hoc nomen eſſe nomen ſubſtantiuũ & concretum, ſicut & nomen *Deus*. Primo ergo, quia eſt nomen ſubſtantiuum, & nomen ſubſtantiuum ſignificat præcipue formam; ideo *principium* ſignificat virtutem ſpiratiuam, quæ vna eſt; ſicut & nomen *Deus* ſignificat Diuinã Naturam, quæ vna eſt. Secundo, quia nomen hoc eſt nomen concretum, & non abſtractum; ideo connotat immediate quidem habentem talem virtutem, quod eſt quid commune per intellectum Patri & Filio; ſicut etiam hoc nomen *Deus* connotat immediate habentem Naturã Dei,

(b) Eſſe duo, docet Arim. d. 12. q. 1. & Duran. d. 29. queſt. 2.

In eandẽ propendent Nominales.

Communis tamen ſentẽtia eſt, eſſe vnum tantum principium S. Thom q. 36 a. 4 Bonau. Riccard. Scotus 1. d. 12.

Lege Suarez, lib. 10 de Trinit. cap. 7.

quod eſt quid commune per intellectum omnibus Diuinis Perſonis. Quoniam vero ij, qui talem virtutẽ habent, ſunt Pater & Filius; ideo mediate nomen illud *principij* connotat Patrem, & Filium; vagè tamen, ideſt, aut hunc, aut illum: ſicut & nomen *Deus* mediate connotat Patrẽ, Filium, & Spiritum Sanctum, qui habent Diuinam Naturam; vage tamen, aut hunc, aut illũ. *Diuus* tamen *Thom. quæſt.* 36 *a.* 4. ait, prædicatum illud *principij* ſupponere pro Patre & Filio, non vage, ſed ſimul: quia ſumit fortaſſe principium ſpirandi Spiritum Sanctum, pro eo quod includit non ſolum totam & perfectam virtutem, ſic enim quælibet Perſona Diuina ex illis duabus ſeorſim ſumpta continet totam & perfectam virtutem ſpirandi; ſed etiam omnem conditionem requiſitam ad ſpirandum Spiritum Sanctum. At tunc principium Spiritus Sancti ſunt Pater, & Filius ſimul, non ſeorſim; quia Spiritus Sanctus, vt dicemus, procedit vt nexus duorum, & vt tertia Perſona Diuina: ideo præter virtutem illam ſpiratiuam, quæ tota eſt in qualibet ex illis duabus Perſonis, requirit etiã vtrãque Perſonam Patris, & Filij ad productionem ſui; alioquin non eſſet nexus, ſeu amor duorum, nec realiter diſtingueretur ab vtroque, vt paulo ante probauimus.

** Not. 39.*

* Quarta. Requirit ergo Spiritus Sanctus duo ſuppoſita, Patris, & Filij ad productionem ſui; non tantum per accidens ex parte producentium; quia nimirum virtus illa ſpiratiua reperitur in duobus illis ſuppoſitis, ſed etiam neceſſario, & per ſe, ex parte producti; *(a)* tum quia proprietas perſonalis, qua Spiritus Sanctus conſtituitur, diſtinguit illum realiter à Patre & Filio; ergo neceſſario & per ſe procedit à Patre & Filio; nam, vt diximus, inter Diuinas Perſonas vna non diſtinguitur realiter ab alia, niſi quia ab alia procedit: tum quia Spiritus Sanctus procedit vt amor Notionalis, ideſt productus, & vt talis amor ſupponit cognitionem Notionalem, ſicut amor cõmunis

(a) Sic S. Th. q. 36. a. 4. ad 1. Caiet. p p. q. 33. a. 4 Torres. Zumel. &c. Ferrar 4 contra Gẽtes c. 25 Contrariũ tamen putat Scotus 1. d. 12. q 1. Dur. d. 12. q. 3.

ſupponit

ſupponit cognitionem cõmunem. Cum ergo per cognitionem Notionalem producatur Filius,& omnia illi, quæ Patris ſunt, communicentur,communicatur etiam virtus ſpiratiua: quare,vt Amor Notionalis exigit procedere à virtute ſpiratiua communicata per cognitionem Notionalem Filio,ac proinde exiſtente in duobus ſuppoſitis: tum denique quia procedit vt Amor mutuus,qui ad minus requirit duo.Quare, ſi fingamus mente eſſe ſolum Patrem ſine Filio, tunc intelligeretur quidem habere vim ſpiratiuam, ſed incommunicabilem, ideo non eſſet eadem cũ illa, quæ nunc eſt; hæc enim eſt communicabilis: quare nec produceret Spiritum Sanctum cum eadem caracteriſtica proprietate (ſic enim loquitur Damaſcenus) quam nunc habet, ſed cũ alia. Immo,ſi fingamus aduenire poſt productum Spiritum Sanctum Patri Filium,Spiritus Sanctus per proprietatem illam ſuam non diſtingueretur à Filio realiter, quia non proceſſit ab illo. Dices. Ita perfecta eſt virtus ſpiratiua in ſolo Patre, ſicut in Patre ſimul & Filio; ergo Pater eſt principium ſufficiens ad ſpirandum: ergo ſicut ſpiratur Spiritus Sanctus à Patre & Filio; ita poteſt ſpirari à ſolo Patre: Concedo antecedẽs, & primam conſequentiã;quia principiũ dicitur ſufficiens à perfecta virtute producendi ; ſed nego ſecundam conſequentiam: quia vt ſpiretur Spiritus Sanctus, requirit non ſolum virtutem perfectam ſpitatiuam, ſed conditionem etiam neceſſario requiſitam; hoc eſt, vt virtus illa ſpiratiua ſit in duobus ſuppoſitis: alioquin terminus ſpiratus, ſcilicet Spiritus Sanctus non eſſet idem cum illo, qui nunc eſt. Neque id mirum videri debet,quia in Deo nihil eſt per accidens, ſed omnia per ſe: quare ſi Spiritus Sanctus procedit à duobus, id illi conuenit neceſſario,& per ſe. Quare ſi fingamus alium Spiritum Sanctum, qui procedat tantum ab vno, non poſſunt non differre in proprietate characteriſtica: quia hic habet per ſe eſſe à duo-

bus, & ille haberet per ſe eſſe tantum ab vno; ergo differunt.

De Nomine Amoris.

DE hoc nomine duo docēt Scholaſtici. Primo: Quod ſicut in humanis *Amor* duo ſignificat, & amorem quo diligimus, & terminum, ſeu qualitatem, quam diligendo producimus; ſic in Diuinis, Amor non ſolùm ſignificat actum voluntatis, quo tres Perſonæ denominantur formaliter diligere; ſed ſignificat etiam terminum à Patre & Filio, diligendo productum, qui eſt Perſona Spiritus Sancti. In prima ſignificatione dicitur Amor *Eſſentialiter*, & eſt communis tribus Perſonis; in ſecunda vero ſignificatione dicitur *Notionaliter*, & eſt nomen propriũ Spiritus Sancti, & ſignificat ſpiratum, & diligendo productum, ac proinde quid relatiuum ad principium Producens & Spirans, quod eſt Pater & Filius ſimul, vt ſunt vnũ in virtute ſpiratiua. Secundo docent, Recte dici poſſe, Patrem & Filium diligere ſe Spiritu Sancto. (a) Huius rei ratio eſt, quia actionum duo ſunt genera: quædam reſpiciunt ſolum terminum, vt ædificatio, generatio; aliæ præter terminum reſpiciunt ſubiectum, vel obiectum: ſubiectum reſpicit calefactio, dealbatio, & ſimiles; nam ſubiectum eſt quod proprie dealbari & calefieri dicitur; quare productio caloris & albedinis ſeorſim extra ſubiectum non proprie dicetur calefactio, vel dealbatio. Obiectum autem reſpicit intellectio & volitio; hæ enim actiones præter terminum reſpiciunt obiectum per illum terminum, quod proprie intelligi, & amari dicitur: igitur in actionibus, quæ nihil reſpiciunt vltra terminum, non poteſt principium actionis denominari à termino, neq; cum illo conſtrui in ablatiuo. V.g. dicere non poſſumus: *Aedificator ædificat domo:* aut: *Pater filio generat.* Sed in his actionibus, quæ præter terminum reſpiciunt ſubiectum,

(a) Diſputãt de hac loquutione Scholaſtici 1 d 32. & S. Thom. p p. q. 37 a 2 & aſſerunt communiter, eſſe veram & propriam deſumptam ex Auguſt. lib 6 de Trinit. cap. 5.

aut obiectum, hoc fieri poteſt. Dicimus enim, ignem calefacere, non ſolum calefactione, ſed etiam calore;& voluntatem non ſolum amare, & propendere in obiectum actione ipſa vitali productiua amoris , ſed etiam amore ipſo per voluntatem producto. Quare recte dici poterit, Patrem & Filium diligere ſe Notionaliter , tum actione ipſa Notionali, tum termino ipſius, ideſt, Spiritu Sācto; hic enim eſt terminus actionis illius Notionalis.* Non recte tamen diceretur: *Pater eſt diligens ſe Spiritu Sancto*, ſicut non recte dicitur: *Pater eſt ſapiens ſapientia genita*; quia qui ſic loquitur, ſignificat tam Verbum, quam Spiritum Sanctum eſſe formam ſapientis, & diligentis.Sed ſi dicatur;*Pater ſapit ſapiētia genita,& diligit ſe Spiritu Sāсto*,recte dicitur ex *S.Tho.q.37.a.2.* (b) licet hæ Quæſtiones ſint de modo loquendi. Ob eandem plane rationem licebit etiam dicere; Patrem & Filiū diligere Spiritu Sancto creaturas; poſſibiles quidem neceſſario; futuras verò, aut exiſtentes, liberè; quia ad hanc locutionem,& ſimiles ſufficit, Spiritum Sanctum eſſe terminum dilectionis Notionalis .

* Not.40.

(b) Contra Scotūm 1.d. 31.

De Nomine Doni.

DE hoc nomine id ſolum dicendum eſt,poſſe conuenire nomen hoc Perſonę procedenti,& eſſe propriū Spiritus Sancti. Primum probatur:quia ad rationem *doni* requiritur, vt donetur ab aliquo, alicui, & gratis : is, cui donatur, vel donari poteſt Diuina Perſona, eſt creatura intellectualis,quæ ſola capax eſt doni, teſte *Ariſt.3.Ethi.*15.A quo donatur,eſt Perſona,à qua procedit; nam Perſona procedens eſt illius , à qua procedit per originem. *Ioan.14. Sic Deus dilexit mundum,vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Gratis autem dari certum eſt , cùm excedat merita & facultatem creaturæ,cui donatur,aut donari poteſt. An vero donum eſſe debeat ſemper re diſtinctū Not. 41.

à do-

à donante, & eo, cui donatur, quæri ſolet: ſed probabilius eſt, non eſſe neceſſarium; *(c)* quia *Ioan.* 5. *Pater*, inquit, *Chriſtus quod dedit mihi, maius omnibus eſt*; eſt ſermo de Eſſentia Diuina, quæ neque re differt à Patre donante, nec à Filio, cui dicitur donari: quare relatio doni ad donantem, & eum, cui donatur, non ſemper eſt realis, niſi quando donum re differt à donante, & recipiente. Secundum probatur, Quod ſcilicet donum, ſi Perſonaliter ſumatur, conueniat proprie Spiritui Sancto. *(d)* Ratio eſt, quia prima ratio donandi aliquid alicui eſt amor, ratione cuius cætera omnia donantur. Quando ergo res aliqua non ſolùm donari poteſt, ſed includit etiam amorem intrinſece, ſingulari etiam modo includit rationem doni: cum ergo Spiritus Sanctus procedat à Patre, ſicut procedit Filius; ideo donari poteſt, ſicut & Filius: cum vero procedat, vt amor, quia procedit à voluntate, non ab intellectu, vt Filius; ideo intrinſece, & formaliter includit rationem amoris, quæ eſt prima ratio donandi: atque ita Spiritus Sanctus ratione ſuæ proceſſionis ſingulari modo eſt donum.

(c) Sic Capr. 1. d. 18. Marſil 1. q. 21. a. 1. & alij.

(d) Sic Scholaſtici 1. d. 18 & S. Tho. p. p. q. 38. Contra Dur. 1. d. 10.

De his quæ conſequuntur Perſonas.

ADuertendum octauo, Tria ſecundum modum intelligendi noſtrum conſequi Perſonas iam cōſtitutas. Primum eſt immanentia Perſonarum. Secundum eſt ſimilitudo, & æqualitas ipſarum. Tertio eſt Miſſio. Agamus de ſingulis.

De Immanentia.

IMmanētia Perſonarū, quā Damaſc. li. 1. c. 11. περιχώρησιν idest circunincesſionem vocat, eſt intima illa inhabitatio vnius Perſonæ Diuinæ in alia, de qua *Ioan.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ad hanc autem immanentiā

(a) De hac immanētia agūt Scholaſtici 1. d. 19. & S. Th. p p. q 42. a. 5. Suarez li. 4. de Trinit. cap. 16.

duo

duo ſaltem neceſſaria ſunt. Primò, vt quæ immanent, realiter inter ſe diſtinguantur, quod habent Perſonæ à Diuinis relationibus, vt diximus. Secundo, requiritur aliquod vnum, quod ſit ratio & fundamentum huius immanentiæ, ideſt, cur vna Perſona in alia ſit; & hoc habent Perſonæ ab vna numero eſſentia, quæ in ipſis eſt. Quibus poſitis ſequitur, vt verè dici poſſit; *Vna Perſona eſt in alia*, vt docent Henricus Quodli. 5. q. 6. & Duran. 1. d. 19. Nam ob hanc rationem ſpecies eſſe dicitur in indiuiduis v. g. eãdem ſpecies humana in Petro & Paulo: quod multo magis verum eſſet, ſi eadem natura numero eſſet ſimul in duobus indiuiduis, in Petro & Paulo; tunc enim dici veriſſime poſſet, Petrum eſſe in Paulo, & Paulum in Petro. Cæterum Diuinæ Perſonæ aliquid habent amplius, vt notauit Scotus, 2. d. 19. q. 1. Bonau. q. 4. & Gab. q. 2. ratione cuius vna eſt in alia, non ſolum ratione naturæ, ſed etiã ratione Perſonæ, quod non eſſet in Petro & Paulo, licet haberent eãdem numero naturam: Nam cum relationes, quibus conſtituuntur & diſtinguuntur, ſint omnino idem re, & formaliter cum eſſentia; hinc fit, vt Pater ſit in Filio non ſolũ ratione naturæ, ſed etiam ratione Perſonæ; (*b*) & ſic docet *Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 9.* Patrem eſſe in Filio vt ſuppoſitum in ſuppoſito; & Eccleſia in hymno, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Vbi illud (*totus*) ſignificat eſſe Filium in *P*atre, & è conuerſo; non tantum ratione eſſentiæ, ſic enim non eſſet totus, cum adhuc ſuperſit relatio; ſed etiam ratione hypoſtaſis & *P*erſonæ; quia nimirũ hypoſtaſis Filij eſt idem omnino cum eſſentia; vnde fit, vt *F*ilius, ratione etiam hypoſtaſis ſit intime præſens *P*atri, & *P*ater Filio. Alij id deducũt ex imměſitate. Cum enim quælibet *P*erſona ſit immenſa, etiam ratione perſonalitatis, neceſſario ſequitur, vt omnes *P*erſonæ ſint intimè ſibi præſentes.

Not. 42.

(*b*) *Hanc rationem afferre videtur S. Th. q. 42. a. 5. Valentia q. 4. de Trinit. puncto 1. ad 1.*

Suarez l. 4. de Trinit. c. 16.

De

De ſimilitudine, & æqualitate.

SImilitudo & æqualitas inter Diuinas Perſonas reperitur, cum in omnibus Perſonis ſit eadem omnino eſſentia, quæ fundamentum eſt ſimilitudinis & æqualitatis inter ipſas. Eſt autem hæc relatio ſimilitudinis & æqualitatis inter Perſonas Diuinas nō realis, ſed rationis: (*a*) ratio eſt, quia in his relationibus, in quibus ipſa fundamenta primo referuntur, vt ſunt relationes ſimilitudinis & æqualitatis; ad hoc, vt relatio realis ſit, debent ipſa fundamēta multiplicari realiter, & diſtingui; ſed hic non multiplicantur, nec diſtinguuntur, vt conſtat, ſed eſt vnum & idem in omnibus Perſonis, eadem ſcilicet Natura Diuina: quare ſicut relatio eiuſdem ad ſeipſum, non eſt realis, ſed rationis, ita relatio ſimilitudinis & æqualitatis inter Perſonas Diuinas non poteſt eſſe realis. * Dices. Videntur Diuinæ Perſonæ eſſe inter ſe inæquales aliquo modo, ſaltem in duratione; quia Perſona producens debet eſſe prior producta, aut tempore, aut ſaltem natura; eſt enim producens principium productæ.

(a) Sic S. Th. q 42. a. 1 ad 4. Dur. 1 d. 31. q. 1. Ægidius ibid. a 1. q 1. & alij. Realē eſſe defendit Scotus 1. d. 31. q. vnica.

** Not. 43. 44. & 45.*

Reſpon. Ab aliquibus concedi, vnam Perſonam eſſe priorem altera inſtanti naturæ; (*b*) dicunt tamen, hoc non obeſſe æternitati Perſonarum; quia Perſona producens non eſt prior producta inſtanti aliquo in quo, ſed tātum à quo, quod non tollit perfectam coexiſtentiam inter producentem, & productam. Sed hic loquendi modus non probatur alijs; quia prius & poſterius natura, ſiue ſit inſtantis *in quo*, ſiue *à quo*, eſſe ſolet tantum inter ea, quæ habent rationem cauſæ & effectus; at nulla ex Perſonis habet reſpectu alterius rationem cauſæ, nulla rationem effectus. Rectius ergo dicemus cum *S. Auguſt. lib. de Triplici Habitaculo c. 6.* Perſonam producentem eſſe priorem producta, tantum origine, non duratione, neque natura: nam cum in eodem omnino inſtanti ſit producens & producta,

(b) Sic loquitur Scotus nō ſemel 1. d. 28. & d 12. q. 2. & 2. Sent. d. 1. q. 1 & Quodlib. 4.

Eſt communis ſententia Scoti locis citatis. Gabr Gregor. 1 d 9 & omniū recentiorū Legatur Vaſquez diſp. 143. c. 2.

ducta, vna non eſt prior altera, duratione: & cum idem ſit omnino eſſe in producente & producta, vna non habet reſpectu alterius rationem cauſæ; ideo non eſt altera prior, natura, ſed origine tantum: nimirum, quia licet in eodem inſtanti ſit Pater, & Filius; à Patre tamen eſt Filius. Habemus *Immanentiam, & Aequalitatem* Diuinarũ Perſonarum: ſupereſt *Miſſio.*

De Miſsione.

TRia dicemus. Primò, Quid requiratur ad *Miſſionem* in communi. Secundò, Quid ſit *Miſſio Inuiſibilis*. Tertiò, *Quid Viſibilis*.

De Primo. *Miſſio* Diuinæ Perſonæ includit duo. *(a)* Primo, æternam proceſſionem eius ab alia: ratione cuius, cum Pater à nullo procedat, à nullo etiam dicitur mitti: at Filius, quia procedit à Patre, à Patre etiã dicitur mitti: & Spiritus Sanctus, quia à Patre & Filio procedit, nũc à Patre dicitur mitti, nunc à Filio. Secũdo, includit *Miſſio* temporalem productionẽ alicuius effectus, ratione cuius Perſona Diuina ſpecialiter dicitur eſſe in eo, ad quẽ mittitur; & ratione huius tẽporalis effectus ſemper *Miſſio* dicitur eſſe temporalis.* Nam ad Miſſionẽ non ſufficit egreſſus ab æterno à Perſona producente, ſed completur per productionem effectus temporalis: ante hanc productionem temporalem effectus, æterna proceſſio non habet rationem *Miſſionis*. Et id , *Miſſio* ſimpliciter dici ſolet tẽporalis, vt notat *S. Thom. a.* 2. Quamuis autem effectus, qui producitur, communis ſit omnibus tribus Perſonis; dicitur tamen in eo mitti vna Perſona potius, quàm alia: nam Pater, quia à nullo procedit, à nullo dicitur mitti. In Incarnatione vero miſſus dicitur ſolus Filius; quia ſola Perſona Filij terminat Humanitatem; in cæteris vero *Miſſionibus* dicitur mitti potiùs vna Perſona, quam alia; quando præter internam ſanctificationem producitur effectus aliquis externus, ad ſignificandam vnam Perſonã

(a) Sic S. Th. q 43. a. 3. Dur. 1. d. 15. Ferrar. 4. contra Gentes c. 23. & alibi.

* *Not. 46.*

potiùs, quam aliam. v. g. in die Pentecoſtes dicitur miſſus Spiritus Sanctus, non Filius; quia illa ſigna facta ſunt ad ſignificandum aduentum Spiritus Sancti: *(b) In Miſſione* autem inuiſibili nunquam mittitur vna Perſona ſine alia; quamuis ratione donorum, quæ pertinent ad voluntatẽ, potius dicatur mitti Spiritus Sanctus, quam Filius; & ratione donorum, quæ pertinent ad intellectum, potius Filius, quam Spiritus Sanctus ex *S. Thom. a.* 5. Nam Spiritui Sancto, quia eſt amor, aptantur dona pertinentia ad voluntatem; Filio, quia eſt Verbum, dona pertinentia ad intellectum.

(b) Arim. 1. d. 14. q. Vnica Concl. tertia, vult ſine productione vllius doni mitti poſſe inuiſibiliter Perſonam Diuinã. Confutatur à Capr. 1. d. 14. q. Vnica. D. Thom. q. 43. a. 3. & 5.

De Secundo, *Miſſio inuiſibilis* non fit per quæcunque dona naturalia, neque per gratias gratis datas, ſed per ſolum donum gratiæ ſanctificantis, ex *D. Thom. a.* 3. Ratio eſt, quia per ſolum donum gratiæ ſanctificantis dicitur Deus nouo modo in nobis eſſe, & tanquam in templo, in quo colitur 1. *Corinth.* 3. *Templum Dei vos eſtis*: & tanquam cognitum in cognoſcente, & amatũ in amantem; non quomodocunque, ſed ſecundum amorem habitualem, vel actualem eiuſmodi, qui ſtare non poſſet cum peccato. Eſt præterea in nobis tanquam peculiaris protector, & rector: quia per gratiam efficimur filij Dei, & amici eius, dignique propterea cuſtodia, & protectione Diuina; adeo, vt veriſſimum ſit quod dicitur *Ioan.* 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Quod autem per alia dona non dicatur nobis mitti Perſona Diuina, probatur; Quia nec per dona naturæ, nec per dona gratiæ gratis datæ dicitur Deus in nobis ſimpliciter eſſe & manere; imo nec per fidem informem: quia hæc omnia dona eſſe poſſunt cum peccato, cum quo non dicitur manere Deus; immo ab homine exiſtẽte in peccato dicitur Deus fugere. Sapiẽt. 1. *Spiritus enim Sãctus diſciplinæ effugiet fictum*. Cum ergo per hęc dona non dicatur Deus eſſe ſimpliciter in nobis ſpeciali modo; neque per collationẽ

eorundem donorum dicetur ad nos mitti, ſed ſolum per gratiam gratum facientem, & ſanctificantem, & charitatem illi annexam. Dices. In die *P*entecoſtes dicitur Spiritus Sanctus miſſus Apoſtolis: & tamen non contulit illis gratiam iuſtificantem, quia iam habebant, ſed ſolum dona linguarum, & alias gratias gratis datas; ergo per collationem ſolius gratiæ gratis datæ dicetur mitti Perſona Diuina. Reſpondeo, Apoſtolis in die Pentecoſtes vna cum gratia linguarum auctam fuiſſe gratiam gratum facientem, quæ iuſtificaſſet illos, ſi ſine illa fuiſſent; ideo recte dici, illis miſſum Spiritum Sanctum: at cum huiuſmodi dona gratiæ gratis datæ conferuntur ſine infuſione gratiæ gratum facientis, non dicitur ſimpliciter mitti Spiritus Sanctus, ſed communicari Spiritus Prophetiæ, vel donum miraculorum, aut linguarum, aut quid ſimile.

De Tertiò. Circa *Miſsionem Viſibilem*, quæri ſolet: An ſigna, ſub quibus viſibiliter miſſus eſt Spiritus Sanctus, fuerint res veræ, an apparentes tantùm. Quatuor ſunt hæ Miſſiones: duæ ad Apoſtolos. Prima, ſub ſpecie flatus *Ioan*. 20. *Inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum*. Hic flatus, verus, ac realis fuit: de quo nemo dubitat. Secunda, Sub ſpecie linguarum ignearum in die Pentecoſtes, *Act*. 2. Hæ linguæ non fuerunt veræ linguę, nec ignis ille erat verus ignis, ſed tantum apparens, ex communi Doctorum ſententia; & ideo dicitur in textu *(tanquam ignis)* Duæ aliæ Miſſiones fuerunt ad Chriſtum Dominum: Vna *Matth*. 17. ſub ſpecie nubis: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos*. Et hanc fuiſſe veram nubem, omnes fere ſentiunt; quid enim impedit? Altera fuit ſub ſpecie columbæ, *Luc*. 3. *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum*. De hac autem columba, varia eſt ſententia. *S. Greg. Nazianz Orat*. 39. & *S. Ambroſ. lib*. 1. *De Sacramentis cap*. 5. dicunt fuiſſe tantùm apparen

tem; quod indicari videtur illo verbulo (*ſicut*) eodem modo Ioan. c. 1. *Vidi Spiritum Sanctum deſcendentē quaſi columbam*. At S. *Auguſt.lib. De Agone Chriſtiano cap.* 22. & S.*Thom.* 3.*p.q.* 39. *a.*7. putant fuiſſe veram columbam. *V*trumque ſine periculo defendi poteſt.

An autem hæ apparitiones viſibiles factæ Chriſto Domino dici poſſint *Miſſiones Spiritus Sancti*, merito dubitatur: nam diximus, non mitti Spiritum Sanctum, niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis: at Chriſto Domino nihil gratiæ ſanctificantis additum eſt ab inſtanti conceptionis, in quo pleniſſimus fuit gratia & veritate. Reſpondetur, De ratione *Miſſionis viſibilis Spiritus Sancti*, eſſe proceſſionem Spiritus Sancti æternam cum productione temporali externi ſigni, quod ſignificet internam ſpecialem præſentiam Spiritus Sancti in illo, ad quem fieri debet *Miſſio:* ſiue illa ſpecialis pręſentia tūc primo incipiat per *viſibilem miſſionem* tunc factam; ſiue augeatur tantū, vt in Apoſtolis; ſiue diu ante permanſerit, & tunc ſolum conſeruetur, & declaretur, vt in Chriſto Domino. Quare *Leo Magnus Sermon.* 5. *de Natiuit.* definit, *Miſſionem hāc viſibilem* Diuinæ Perſonę eſſe manifeſtationē illius: quaſi hoc ſolum ſit de ratione Miſſionis viſibilis, vt per illam manifeſtetur interior ſpecialis pręſentia, & exiſtētia Perſonę Diuinę, quę mitti dicitur, in eo, ad quem mittitur: ſecundum quam rationem, etiam ſi aucta non fuiſſet gratia gratum faciens Apoſtolis in die Pentecoſtes, dici poſſet miſſus Spiritus Sanctus ad illos; quia per illa externa ſigna tunc miſſa manifeſtabatur interior hoſpes Spiritus Sanctus, & gratia gratum faciens, quam poſſidebant.

De modo loquendi in hac materia.

ADuertendum vltimo, valde caute loquēdum, in Diſputatione de Trinitate; quia, vt ſcribit S. *Hieron.*

citatus

citatus à *Magiſtro d.*11.*& à S.Tho.p.*1.*q.*31.*à* 2.*Ex verbis inordinate prolatis incurritur hæreſis: nullibi autem periculoſius erratur,* inquit Auguſt. lib.1. de Trinit. cap. 3. *quam in hac materia*. Tria ergo ſunt genera nominum, quibus vtimur in hoc myſterio: Quædam ſignificant diſtinctionem Perſonarum: Quędam vnitatem eſſentię: Quędam denique actiones illas, quibus vna Perſona procedit ab alia.

Quod attinet ad Nomina primi generis, Diſtinctionem Perſonarum exprimimus aliquando per voces, differentiam indicantes: aliquando per Relatiua: aliquando per terminos Numerales. Modi ſignificantes Diſtinctionem, ſunt iſti. Primus. *Vna Perſona differt ab alia.* Secundus. *Diuerſa eſt ab alia.* Tertius. *Separatur ab alia.* Quartus. *Diuiditur ab alia.* Quintus. *Diſtinguitur ab alia.* Hic vltimus loquendi modus nullam habet difficultatem; & admittitur planè ab omnibus. Priores autem illos quatuor non probat S. *Tho. q.*31.*à* 2. Primus tamen modus admittitur à *Magiſtro* 1.*d.*24. & vſurpatur *à Nazianz. Orat.*35.*& à Damaſc. lib.*1.*de Fide cap.* 10. Tertius etiam videtur admitti poſſe in bonò ſenſu. Quia Cõcil. *Lateran. in Cap.Firmiter, dicit Perſonas Diuinas eſſe diſcretas inter ſe.* Quarto etiam modo vtitur *Lactantius lib.*4. *c.*9. Cur autem ſobrie admitti poſſint hi tres modi; eadem eſt ratio: nam indicant quidem diſtinctionem aliquam in forma, ſed in forma Perſonali, non in Eſsentiali. Quare cum ſecundus modus videatur omnino ſignificare diſtinctionem in forma Eſsentiali (ea enim communiter dicimus eſse diuerſa, quę habent diuerſam eſsentiam.) meritò reijcitur ab omnibus. *Ab Hilario* 4. *de Trin. ab Auguſt.lib.*7 *de Trin.c.vltimo,à S.Tho.& alijs.*

Relatiua diuerſitatis ſunt hęc: *Alius, & Alia: Alter, & Altera.* Et hęc vſurpari poſsunt vel abſolute, vel addita alia voce: ſi addatur aliquid, iudicium ferri debet ex

addito:

addito: nam ſi dicas: *Filius eſt alius Deus*, vel *alter Deus à Patre*, eſt falſa locutio; ſi vero dicas: *eſt Alia Perſona*, vel *aliud ſuppoſitum à Patre*, eſt vera: at ſi proferãtur abſolute, tunc in maſculino, tuto dici poſſet: *Filius eſt alius*, vel *alter à Patre: Sic loquitur Hilar l.2. de Trin.* at in neutro dici non poteſt, *Filium eſſe aliud*, vel *alterum à Patre*; quia hoc modo loquendi ſignificaretur eſſe alterius Eſſentiæ, vt notat *Concilium Toletanum 1. & 2. in Confeſsione fidei, & Auguſtin. lib. 11. de Ciuitat. cap. 11.*

Termini Numerales ſunt duplices; quidam ſunt quaſi collectiui: vt, *Trinitas*: quidam vero diuiſim ſignificant: vt, *duo, tres, &c.* De his poſterioribus non eſt difficultas: nam Pater, & Filius ſimpliciter dicuntur eſſe *duo.* Hic tamen obſeruandum quod dixi ſupra de maſculino, & neutro. Nam licet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus recte dicantur eſſe *tres*, in neutro tamen non dicuntur eſſe *tria*; *plures*, non *plura*; *Quod monet S. Bernard. Epiſt. 190.* ne ſignificari videatur diuerſitas naturæ: quando autem vſurpantur hi termini in maſculino, & additur aliquid, locutio iudicetur ex addito; Nam ſi dicas: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt plures Dij vel tres Dij*, falſa locutio: *Sunt plures Perſonæ, vel plures relationes in Deo*, recte dicitur.

Quoad nomina collectiua, *Trinitas* eſt nomen receptiſſimum, & proprie accommodatur numero Perſonarum, vt videre eſt ex præfatione Eccleſiæ in feſto Trinitatis, (*Sed in vnius Trinitate ſubſtantiæ*) ſic dicitur Catholice, *Deus trinus*, & non *Deus triplex*, ex *S. Thom queſt. 31. a 1.* vt conſtat ex communi vſu loquendi: neque, *Deus multiplex* (a) ne videamur multiplicare Diuinitatem: ſed ſi dicamus: *In Deo eſt triplex relatio, duplex proceſsio, multiplex ſubſiſtentia relatiua*, recte loquimur.

(a) *Negat, ſic dici poſſe Nazianz. Orat 35 & Ambroſ. lib. 1. de Fide: c. 1. & 2.*

Quod attinet ad ſecundum nominum genus, quo exprimimus vnitatem Eſſentiæ; Loqui poſſumus de his nomini-

minibus in vniuerſum,& ſpeciatim: ſi loquamur in com-muni, dicendum eſt, nominum quædam eſſe adiectiua, & quædam ſubſtantiua; adiectiua tribui poſſe Deo in plurali ſine præiudicio vnius Eſſentiæ. Ratio huius eſt, quia hæc nomina ſignificant formam per modum adiacentis alteri, quare licet forma ſit vna, ſi tamen ſuppoſita ſint multa, quibus adiacet forma, vti poſſumus his nominibus in plurali: ſic dicimus, *eſſe tres dominantes*, ideſt, poteſtatem dominandi adiacere tribus ſuppoſitis, ſiue haberi à tribus ſuppoſitis; *tres etiam creantes*, ideſt, creationem prodire à tribus Perſonis; *duos etiam ſpirantes*, ideſt ſpiratiuam virtutem haberi à duobus, licet forma ſit vna. At nomina ſubſtantiua tribui non poſſunt Deo in plurali ſine præiudicio vnius Eſſentiæ *(a)* Ratio huius eſt, quia ſubſtantiuum nomen non ſignificat formam per modum adiacentis alteri, ſed ſignificat illam ad modum per ſe ſtantis: ideo licet talis forma ſit in multis ſuppoſitis, hæc tamen ſuppoſita ſignificantur per illam, ſolum, vt habent vnitatem in tali forma; ideo non multiplicantur hæc ſubſtantiua nomina, licet plura ſint ſuppoſita, in quibus eſt forma, niſi etiam forma ipſa multiplicetur: ob hanc cauſam non dicuntur tres Perſonæ eſſe *tres Dÿ*, ſed *vnus*, quia omnipotentia eſt tantùm vna in tribus Perſonis: Pater, & Filius non dicuntur *duo, ſed vnum principium Spiritus ſancti*: *vnus ſpirator, non duo*; quia virtus, & forma ſpirandi in his duabus Perſonis eſt tantum vna.

Quamuis autem ad vnitatem ſubſtantiui nominis ſufficiat vnitas formæ, licet ſuppoſita ipſa ſint plura; tamen ad multiplicanda ſubſtantiua nomina vtrumque requiritur, & plures formæ, & plura ſuppoſita: *(b)* quare ſi in vno homine ſint plures artes, non dicuntur eſſe plures artifices, ſed vnus tantum; quia licet formæ ſint plures, ſuppoſitum tamen eſt tantum vnum. Eadem modo, licet

in

(a) Ex S. Thom. q 39. a. 3, lege Vaſq. diſp. 155.

(b) Hæc eſt communior ſententia, & defenditur à Marſilio 1. q. 7 a 2 à Gabriele 3. d. 1. q 2. a 3. à Caiet. & Medina 3 p. q. 3 a 6. & 7. & ab omnibus Thomiſtis. à Suarez copioſiſſime 3. p. Diſp. 3. ſect. 3. & oſtendunt ex pluribus locis, hanc eſſe ſententiam, S. Tho. Vaſq tamen Diſp. 155 putat, ad multiplicationem ſubſtantiui requiri ſolũ plures formas, nõ plura ſuppoſita.

in Chriſto Domino ſint duæ naturæ ſubſtantiales,& realiter inter ſe diſtinctæ, non dicitur tamen duo, ſed vnus abſolute, quia ſuppoſitum eſt vnum. Denique ſi ab vna Perſona Diuina aſſumerentur ſimul duæ naturæ humanæ indiuiduæ. V. g. natura *Petri*, & natura Pauli; ſicut nunc vere dicimus: *Verbum eſt Ieſus* propter vnum ſuppoſitum, ita tunc vere diceremus: *Petrus eſt Paulus*: ob eandem rationem ergo tunc *Petrus*,& Paulus non eſſent duo homines, ſed vnus, ſicut modo, non duo, ſed vnus eſt Chriſtus. Hæc de nominibus adiectiuis, & ſubſtantiuis dicta ſint in vniuerſum. Nunc de particularibus nominibus id obſeruandum, vt his tantum vtamur, quibus nullo modo minui videatur vnitas Diuinæ Naturæ, neq; tamen negati conſortium Perſonarum. Nomina autem, quibus ſignificari ſolet naturæ vnitas, hæc fere ſunt. Primum (*Idem*) Secundum (*Vnicus*) Tertium (*Singularis*) Quartum (*Solitarius*) Prima vox in neutro ſumpta, tuta eſt, in maſculino non item; ſi enim dicam: *tres perſonæ ſunt idem*, in maſculino, confundere videor Perſonas; at ſi in neutro, ſignifico, vnam eſſe Eſsentiam trium Perſonarum: ſi vero voci *(idem)* addatur aliquid, iudicium ferri debet ex addito. Nam ſi Perſonæ dicantur eſse *idem ſuppoſitum*; propoſitio eſt falſa; ſi, *idem Deus*, vera. Eadem ratione vera eſt hæc Propoſitio: *Chriſtus eſt idem Deus cum Patre & Spiritu ſancto*; hæc tamen alia non admittitur: *Deus pater eſt Deus Filius*; videmur enim ex vſu loquentiũ velle dicere, Patrem eſse Filium. Secunda vox *(vnicus)* vſurpari poteſt, ſi cadat in Deum, ſeu Deitatem: quare dici poteſt: *Pater, & Filius eſt Deus vnicus*: at ſi cadat in *Perſonam*, non poteſt admitti, quia tunc ſenſus eſset: *Pater* eſt Deus ſine conſortio alterius Perſonæ. (c) Idem plane dicendum de voce (*Singularis*) admittendam videlicet, ſi intelligatur de Diuina Natura, explodendam, ſi de Perſonis. Vocem (*Solitarius*) *Patres* omnes

(c) Hinc ſit vt à S. Thom. 1 p. q. 31. a 4. non admittatur illa Propoſitio: Pater eſt Deus vnicus. Sed, cum idem ſit vnicus, quod vnus; videtur poſſe admitti, vt dicit Durand. 1. d. 9 q 1. & Suarez lib. 4. c. 13.

nes excludunt quaſi reiicientem Perſonarum ſocietatem, ideo non eſt recipienda. (d) Quæritur, An dici poſſit: *Perſonæ vnitæ ſunt in Deitate. S. Bernard. lib.5. ad Eugen. Deus, inquit, vnus eſt, non vnitus. Nazianz.* tamen *Orat.* 13. dicit, Eſſentialia Dei nomina eſſe vnita: tutior eſt modus loquendi S. Bernardi: nam illud *[Vnita]* videtur facere diſtinctionem inter Perſonas vnitas & deitatem, quæ nulla eſt: ſi tamen velimus vti hoc modo loquendi, dicamus, Perſonas eſſe vnitas non in Deitate, vel Deitati, ſed Deitate; vt ſic non ſignificetur vnitas inter Perſonas & Deitatem, ſed indicetur vnio inter ipſas Perſonas.

(d) *Hilar. lib. 4. de Trinit. Auguſt. lib. 6. de Trin. cap. 6. & 7.*

Quantum attinet ad tertium genus nominum, quo exprimimus actus Notionales, Actus iſti tribui poſſunt Deo, ſignificato vel per nomen Notionale, vel per nomen Eſſentiale.

Prima regula. Actus Notionales proprie prædicantur de Deo, ſignificato nomine Notionali in cõcreto. V.G recte dicimus: *Pater generat: Spirator ſpirat: Filius generatur: &c.* Si quid addatur, illud ſit terminus illius actionis. V.G. *Pater generat Filium: Spirator ſpirat Spiritum Sanctum*: hi enim ſunt termini, ad quos tendunt illi actus. De proprietatibus autem Perſonarum in abſtracto non prædicantur actus Notionales: quare non recte dicimus: (e) *Paternitas generat*. Huius rei ratio eſt, quia actus non poſſunt prædicari niſi aut de ſuppoſitis (ſunt enim ſuppoſitorum) aut de formis, quæ ſunt principia formalia illorum actuum: vt cum dicimus: *Voluntas vult: Intellectus intelligit*: at Paternitas in abſtracto non ſignificatur vt ſuppoſitum, ſed vt forma; & non eſt principium formale generationis, ſed complementum tantum potentiæ generatiuæ; ergo de illa non poteſt prædicari generatio. Dices. Cum Paternitas ſit identice idem cũ Patre; cur non poteſt illi tribui generatio, ſicut tribuitur

(e) *Sic S. Th. q. 32 ar. 2. ad 2. Ibid. Caiet. Torres, & alij.*

Patri? Reſpondeo. Verbum ſubſtantiuum (*eſt*) recte vſur pari in his, quæ idem ſunt inter ſe; ideo hæ omnes Propoſitiones admittuntur: *Paternitas eſt Pater*: *Paternitas eſt Deitas*, vel *Deus*, *&c.* At Verbum Adiectiuum ſignificans actionem vſurpari non poteſt niſi reſpectu illius ſuppoſiti, aut formæ, à qua formaliter eſt: itaq; quamuis idem ſit iuſtitia, & miſericordia in Deo; non licet tamen dicere; miſericordia punit, ſed iuſtitia: eodem modo, licet paternitas ſit pater, paternitas ſit potentia generatiua; non licet tamen dicere: *Paternitas generat*: ſed: *potentia generatiua generat*.

Secunda regula. Actus Notionales recte prædicantur de Deo, ſignificato per nomina Eſsentialia in concreto: at de Deo, ſignificato per nomina abſtracta, proprie non prędicantur. (*a*) Probatur prima pars, quia recte dicimus: *Generat Deus*: nam actio hæc, quę ſoli conuenit Patri, reſtringit vocem (*Deus*) ad ſignificandum Patrẽ: quod ſi termino (*Deus*) aliquid addatur, id eſse debet terminus illius actionis. V. G. *Deus generat Filium*, vel *Verbum*. Poſset etiam dici: *Deus generat Deum*, non tamen *alium Deum*, ſed *alium*, *qui eſt idem Deus*. (*b*) Probatur ſecunda pars; quia non recte dicitur: *Deitas*, vel *Eſſentia generat*: vt definitur in Capite *Damnamus* de Summa Trinitate: & ratio eſt; quia generans, & genitum realiter diſtinguuntur: ſi ergo recte diceretur: *Eſſentia generat Filium*; ergo Eſsentia realiter diſtinguetur à Filio: quod eſt contra fidem. Dices. Recte dicimus: Intellectus intelligit, & voluntas vult, vt principium quo; ergo eodem modo licebit dicere: *Eſſentia generat*, ſaltem vt principium quò. Nego Conſequentiam: quia inter intellectum & rem intellectam ſufficit diſtinctio rationis; at inter productum & potentiam producentem requiritur diſtinctio realis, vt diximus ſupra, agentes de potentia: quę diſtinctio realis non eſt inter Eſsen

(*a*) *Eſt communis S Thom. q. 36. a. 4. Magiſtri 1. d. 4. Bona. Scoti, & aliorum eadem diſtinctione.*

(*b*) *Suarez lib. 6. de Trin. c. 7.*

Eſsentiam & Filium. (*c*) Dicendum ergo erit*: Pater eſſentia generat*, vel *intellectu generat*: quod ſi aliquando inueniantur apud *Patres* modi quidam loquendi, qui non videntur conformes huic regulæ, pie ſunt exponendi. V.G. cum dicunt: *Filius natus eſt ex innaſcibili eſſentia*, id accipiendum eſt ſano modo: nam cum abſtracta in Deo per ſe ſubſiſtant, ſumuntur interdum pro concreto, vt *Deitas*, pro *Deo*, & ſimilia.

(*c*) *Vide Molinã q. 32. in art. 2. Diſp. 2. a. 4.*

Tertia regula. Quando actus Notionales vere prædicantur de Deo, ſignificato ſiue per nomen Eſſentiale, ſiue per Notionale, nõ poſſunt de eodem vere negari. V.G. ſi dicam: *Pater generat:* non poſsum dicere: *Pater non generat*: quia ſi prima Propoſitio eſt vera, ſecunda eſt falſa. Eodem modo ſi dicam: *Deus generat*: dici non poterit vere: *Deus non generate*: ob eandem cauſam. Contrarium multi putant: (*e*) Quia, inquiunt, in prima Propoſitione, *Deus* ſupponit pro *Patre*, & in ſecunda pro *Filio, & Spiritu Sancto*, qui non generant; tamen regula aſſignata optima eſt, quæ affertur à *S. Thom. q.* 32. *a*. 4. Fundamentum huius regulæ eſt: quia in duabus illis Propoſitionibus eſt contradictio; ergo ſi vna eſt vera, altera debet eſſe falſa: eſt autem contradictio in illis Propoſitionibus. Primo, quia iuxta regulam Dialecticorum termini in affirmatiua, & negatiua Propoſitione ſupponunt pro eodem: ſi ergo in priori nomen (*Deus*) ſupponit pro *Patre*; ergo etiam in poſteriori. (*f*) Secundo, eſt contradictio, licet nomen (*Deus*) ſumeretur indefinite pro hoc Deo, qui eſt in tribus Perſonis: nam, vt aliquid de illo verè affirmetur, ſatis eſt vt in vna Perſona illi conueniat; vt autem verè negetur, neceſſe eſt vt in nulla Perſona illi conueniat: (*g*) & ratio huius eſt; quia quando de ſingulari, cuiuſmodi eſt *hic Deus*, aliquid ſimpliciter negatur, fit ſenſus diſtributiuus: ſicut ergo hæc Propoſitio eſt hæretica: *Deus non eſt vnitus*

(*d*) *Sic S. Thom. q. 32. a. 4 Bona Scot. 1. d. 7. & omnes Thomiſtæ.*

(*e*) *Sic Aureol Durand. Arim & Gabri. 1. d. 4.*

(*f*) *Sic Capr. in 1. d. 4. q. 1.*

(*g*) *Sic Suarez lib. 6. de Trin. cap. 7.*

carni, quia particula (*non*) diſtribuit, & facit hunc ſenſum: *In nulla Perſona Deus eſt vnitus carni*; eodem modo hæc alia eſt falſa: *Deus non generat*: quia ſenſus eſt: *in nulla Perſona generat*. Dices. Si hoc eſt verum, eodem modo, cum dico: *Deus generat*: deberet diſtribui terminus ille (*Deus*) quia eſt idem terminus, & eodem modo ſingularis, ſicut eſt in negatiua Propoſitione; ideo ſenſus eſſe deberet: *Deus in omni Perſona generat*. Reſpondeo, non eſſe parem rationem, quia in affirmatiua Propoſitione nullum eſt ſignum diſtributionis: quare, vt vera ſit Propoſitio, ſufficit vt Deus in vna Perſona generet; at in Propoſitione negatiua eſt particula (*non*) quæ eſt ſignum diſtributionis. Explico rem exemplo. Si ponatur à Deo Petrus in tribus locis, vt vera ſit hæc Propoſitio: *Petrus loquitur*: ſatis eſt vt in vno tantum loco loquatur: quia in hac Propoſitione nullum eſt ſignum diſtributionis, ideo non requiritur vt in omnibus locis, in quibus eſt Petrus, loquatur. At ſi dicam: *Petrus non loquitur*, quia particula (*non*) diſtribuit; vt vera ſit Propoſitio, deberet Petrus in nullo loco, vbi ſit, loqui. Ob eandem rationem hic ſyllogiſmus non concludit: *Filius non eſt Pater: Filius eſt Deus; ergo Deus non eſt Pater*; quia eſt à non diſtributo ad diſtributum; nam terminus (*Deus*) in Minori non diſtribuitur; in Concluſione vero propter particulam, (*non*) diſtribuitur: & ſenſus illius Propoſitionis eſt: *Deus in nulla Perſona eſt Pater*.

NO-

NOTATIONES BREVES AD THEORIAM.

An in Deo ſit potentia productiua reſpectu Perſonarum, quæ producuntur.

DE hac potentia agunt *Scholaſtici* 1. *d.* 7. *S. Thom. p. p. q.* 41. *a.* 4. *&* 5. & ibidem omnes eius Diſcipuli: *Caietan. Torres, Bannes, Zumel, Molina. Henricus in Summa a.* 57. *q.* 7. *Marſilius* 1. *q.* 11. *Ferrarienſis* 4. *contra Gentes cap.* 13. *Valentia q.* 15. *Puncto* 1. *&* 2. *Vaſquez Diſp.* 163. *Suarez libr.* 6. *de Trinitat. cap.* 5. Notatio 1.

Aureolus apud *Capreol.* 1. *d.* 7. *q.* 1. vult, in Deo, neque reſpectu actionum Notionalium, neque reſpectu ipſarum Perſonarum eſſe proprie potentiam, ſed ſolam non repugnantiam terminorum. Sicut enim cum dicimus: Æternus Pater habet potentiam, vt ſit Pater; vere nihil aliud dicimus, quàm, Patri non repugnat eſſe Patrem; ita, cum dicimus: Pater habet potentiam producendi Filium; nihil aliud dicimus, quàm, Patri non repugnat producere Filium. Pro hac ſententia referunt *Gregor. Arim.* 1. *d.* 7. & Capreolus plures rationes Aureoli: potiores ſunt iſtæ.

Prima. Authoritas *Ariſtot.* 12. *Met. text.* 30. vbi diſerte negat, in Deo eſſe potentiam; ergo non debet à nobis admitti.

Reſ-

Reſpōdeo,eo loco ſermonem eſſe de potentia,quæ aliquandò eſt ſine actu ; & hanc eſſe negat Ariſtot. in Deo . quę Ariſt. ſententia vera eſt reſpectu eorum , quæ ſunt intra ipſum Deum : ſemper enim Deus ſeipſum , & perfectionem ſuam cognoſcit , ſe ipſum amat, &c. At reſpectu creaturarum non eſt vera: quia quicquid extra ſe Deus producit, producit libere; ergo producit quomodo , & quando vult : quare potentia creatiua Dei ante initium temporis fuit ſine actu ; quia ante initium temporis nihil produxit, cum mundus non fuerit ſecundum veritatem ab æterno .

Secunda probat , non eſſe in Deō potentiam reſpectu actionum Notionalium. Quia ſi eſſet in Deo potentia reſpectu iſtarum actionum , deberent hæ actiones elici ab illa potentia, & realiter ab illa diſtingui : ſed neque eliciuntur , quia ſunt omnino idem cum Eſſentia Diuina , neque potentia intellectus,& voluntatis realiter differt ab illis ob ſummam Dei ſimplicitatem ; ergo re vera reſpectu actionum Notionalium non eſt in Deo potentia. Nego Conſequentiā Maioris: Quia ad potentiam, etiam realem, ſufficit , vt ſit principium alicuius à ſe realiter diſtincti , quod media actione producatur, licet actio ipſa vere non producatur . Hoc totum habemus in Diuinis productionibus, vbi potentia diſtinguitur realiter à termino, & virtualiter tantum ab actione , qua producitur terminus . Quare argumentum non probat , potentiam productiuam actionum Notionalium eſſe ſolam non repugnantiam , ſed ad ſummum probat, eſſe potentiam ſolùm rationis.

Tertia. Eodem modo dicuntnr poſſibiles Filius, & Spiritus Sanctus,quo dicitur Pater poſſibilis : ſed Pater dicitur poſſibilis , non quod habeat veram potentiam,vt ſit, ſed ſolum, quod non repugnet eum eſſe ; ergo eodem modo Filius, & Spiritus Sanctus erunt poſſibiles ſolum , quod non repugnet eos eſſe . Reſpondeo (*poſſibile*)ſumi multis modis. Primo , pro eo , quod non eſt neceſsarium, ſed contingens ; & hoc modo nulla Perſona Diuina eſt poſſibilis,vt docet S.*Thom. q* 41.*a.* 4. *ad* 2. quia omnes ſunt ens neceſsarium . Secundò , pro eo, quod non repugnet eſse : & ſic etiam omnes Perſonæ ſunt poſſibiles ; quia non repugnat illas eſse . Tertio, pro eo , quod poteſt produci : & ſic ſolus Filius , & Spiritus Sanctus ſunt poſſibiles, & idcirco habent veram potentiam, à qua producuntur

tur, quam non habet Pater, quia eſt à ſe, & à nullo poteſt produci; & propterea non dicitur in hoc ſenſu poſſibilis.

Quarta ratio ſumitur à definitione potentiæ. Si eſt in Deo potentia, erit actiua, vel paſſiua: non poteſt eſſe paſſiua, vt per ſe conſtat, quia dicit imperfectionem: nec actiua; quia actiua potentia eſt principium rei, quæ fit: ſed nulla Perſona Diuina fit, alioquin eſſet creatura; ergo nulla eſt in Deo potentia, etiã reſpectu Diuinarum Perſonarum. Reſpondeo primo, diuiſionem potentiæ in actiuam & paſſiuam, eſſe diuiſionem potentiæ creatæ. At potentia productiua Dei non eſt creata, ideo non eſt paſſiua; neque tamen proprie actiua, ſed dici debet, *quaſi actiua*, vel, vt loquitur *S. Thom. q. 7. de Potentia a. 1. ad 1. ſuperactiua*, licet nomine actiuæ potentiæ ſignificetur. Quare mirum non eſt, ſi illi non conueniat definitio potentiæ, quæ reperitur in rebus creatis. Reſpondeo ſecundo. Si admittamus, potentiam productiuam Dei comprehendi ſub nomine actiuæ; nego, potentiam actiuam tam ample ſumptam definiri, vt aſſumitur (*principium rei, quæ fit*) ſed definiri debet, vt diximus in Theoria: *Potentia actiua eſt principium rei procedentis, ſeu rei, quæ producitur*. Et ſic potentia actiua in genere dicet ſolum ordinem ad rem, quæ procedit, non ad rem, quæ fit; Perſonæ autem Diuinæ, licet non fiant, duæ tamen illarum procedunt.

Quinto. Cuilibet potentiæ actiuæ reſpondet paſſiua: ſi ergo datur in Patre actiua potentia reſpectu Filij; ergo in Filio cõcedi debet paſſiua reſpectu Patris, & in Spiritu Santo reſpectu Patris, & Filij: at hoc videtur abſurdum; ergo & illud. Aliæ rationes, ſi quæ ſunt, quæ pondus habeant, ſuo loco referentur. Nego primã Propoſitionẽ, Cuilibet potẽtiæ actiuæ reſpondere paſſiuam: quod cõſtat in creatione, vbi eſt vera potentia actiua; & tamen illi non reſpondet potentia paſſiua; quia creaturæ non creantur à Deo ex ſubiecto, ſed ex nihilo. Quãdo autem dicimus: Filius genitus eſt de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filij, licet Henricus Quodlib. 5. q. 9. & Dur. 1. d. 5. q. 2. dicant, hac forma loquendi ſignificari, ſubſtantiam Patris habere rationem quandam principij quaſi paſſiui; rectius tamen loquuntur Bona. 1. d. 2. a. 1. q. 3. & Scotus eadem d. q. 2. aſſerentes habere rationem quandam principij quaſi formalis (ſi tamen de principio aliquo in-

trinſeco

trinſeco Propoſitio illa exponi debeat.) Cæterum probatur mihi ſententia Magiſtri 1. d. 5. propriè intelligendum eſſe de principio actiuo,& extrinſeco, quod tamen ſit conſubſtantiale ſuo termino: nam creaturas ob hanc cauſam dicimus eſse à Deo, non tamen de Deo, ſi proprie loquamur, quia non ſunt conſubſtantiales Deo. Sic autem eſſe dicendum, probo. Quia in hac Propoſitione: Filius eſt genitus de ſubſtantia Patris: per particulam illam (de) ſignificatur ratio principij realiter diſtincti à termino, vt notauit S. Thom. q. 41. a. 3. quod deducitur ex Aug. lib. 7. de Trin. c. 6. Quo poſito, facile oſtenditur quod dicimus: nam ſubſtantia Patris, non poteſt realiter à Filio diſtingui, niſi vt ſumitur modificata Paternitate; at eſsentia, ſiue ſubſtantia Patris, vt modificata Paternitate, non poteſt eſſe principium intrinſecum Filii, neq; quaſi materiale, neque quaſi formale; alioquin Filius eſſet Pater, ſed ſolum principium actiuum extrinſecum: & idem dicendum de ſubſtantia Patris, & Filii reſpectu Spiritus Sancti; ſumi enim debet, vt modificata relatione Spirationis actiuæ: quomodo ſumpta, non poteſt eſſe niſi principium actiuum, & extrinſecum Spiritus Sancti.

Quid ſit in Deo potentia productiua.

Notatio II. D. *Thom. p. p. q.* 41. *a.* 5. & ibidem *omnes eius Diſcipuli. Caietan. Torres, Bannes, Zumel, Molina. Albertus* 1. *d.* 7. *q.* 2. *Scotus, Mairon. Riccard, Gab. Capr. Ibidem Bona.* 1. *d.* 7. *q.* 1. *Durand. eadem d. q.* 7. *Henricus Quodl.* 3. *q.* 3. *Ferrar.* 4. *contra Gentes cap.* 13. *Valentia q.* 15. *Punct* 2. *Vaſq. Diſp.* 164. *Suarez. lib.* 6. *de Trinit. cap.* 5.

S. *Bonauent. & Durand.* 1. *d.* 7. *q.* 2. volunt, potentiam productiuam eſſe ſolam relationem. Probatur hæc ſententia.

Primo. Generare eſt ſolius Patris; ergo eſt tantùm à Paternitate, quæ eſt propria ſolius Patris. Admitto Antecedens,& nego Conſequentiam; quia ad hoc vt potentia generatiua ſit ſolius Patris, ſufficit vt præter Eſſentiam includat etiam Paternitatem, quæ propria eſt ſolius Patris.

Secundo. Ita dicitur generare ſolus Pater, ſicut ſolus Filius terminare Naturam Humanam: ſed Filius terminat Naturam Humanam ſola ſubſiſtentia Verbi; ergo Pater generat

ſola Relatione paternitatis. Nego paritatem, quæ aſſumitur in Maiori, nam ſola Subſiſtentia Verbi, cum ſit terminus naturæ; ſola etiam terminare poteſt naturam humanam: at generare actio eſt, quæ neque poteſt eſſe à ſola paternitate, neque à ſola natura Diuina, ſed ab vtraque ſimul, vt oſtendimus in Theoria.

Tertio. Pater generat, non vt Deus, quia ſic, etiam Filius generaret, cum ſit Deus; ergo vt Pater; ergo principiũ (quo) generandi eſt ſola Paternitas. Reſpondeo. Si ſit ſermo de principio (quo) totali (de quo agimus in præſenti) falſum eſt Antecedens quoad vtramque partem: Pater enim neque generat vt Deus, neque vt Pater, ſed vt Deus Pater: Et ratio eſt, quia principiũ (quo) totale, ſeu completa potentia ad generandum, neque eſt ſola Deitas, neque ſola Paternitas, ſed vtraque ſimul ſumpta.

Quarto. Sicut ab Eſſentia ſunt actiones eſſentiales, ita à Relatione perſonales: ſed generare eſt actio perſonalis; ergo proficiſcitur à ſola Paternitate. Reſpondeo, negando Maiorem: omnium enim actionum principium, ſaltem principale, eſt Eſſentia. Dicuntur tamen quædam eſſentiales, quia conueniunt Perſonis omnibus, vt intelligere, & velle: quædam perſonales, quia propriæ ſunt, & non communes: ſic generare eſt ſolius Patris; non quia à ſola Paternitate ſit, ſed quia ad potentiam generatiuam neceſſario requiritur etiam Paternitas, quæ eſt ſolius Patris.

Quinto. Idem eſt principium eſſendi ac operandi: ſed Pater eſt Pater per Paternitatem; ergo operatur per Paternitatem. Reſpondeo, diſtinguendo illud (eſſe) quod aſſumitur in Maiori: nam ſi ſumatur pro exiſtentia, Maior eſt falſa: quia nec exiſtentia, neque ipſius differentiæ, ſubſiſtentia, & inhærentia ſunt actiuæ (quod ſaltem certum eſt de propria ipſarum actione, quæ ſit diuerſa ab actione naturæ) nam ſimul cum natura concurrere ad actionem, etiam ſingularem exiſtentiam, eſt opinio multorum. Si vero ſumatur pro Eſſentia, admittitur Maior; & ſenſus eius eſt: Res ſicut habet Eſſentiam à ſua forma, ſic habet ab eadem, vt poſſit operari: at in Diuinis id, quod habet rationem formæ eſt Deitas; ideo argumentum concludit potius contrarium. Hæc de Maiori. Nunc ad Minorem. Concedo Patrem eſſe Patrem Paternitate; nego tamen, ſolam Paternitatem eſſe principium producendi Filium; quia Pater

per id producit, per quod ſimpliciter eſt: Omnes autem Diuinæ Perſonæ ſunt ſimpliciter per Deitatem; ideo per illam pręcipue producunt. Præſto eſt exemplum: Sortes eſt Sortes Sorteitate; non tamen generat per Sorteitatẽ, ſed per id, per quod ſimpliciter eſt: hoc autem eſt forma ſubſtantialis eius.

An potentia productiua ſit ſola Eſſentia.

Sententia tertia *Scotus* & *Gabr.* 1. *d.* 7 *quæſt.* 2. aſſeruerunt, potentiam productiuam eſſe ſolam Eſſentiam Diuinam; Relationes vero eſſe tantum conditionem ad producendum.

Probatur primo. Quia Relatio Diuina conſtituit Perſonam in Diuinis; ergo concurrit ad agendum, ſicut perſona humana in humanis; ſed perſona humana cõcurrit tantũ vt cõditio; ergo & Diuina Relatio tantũ vt conditio. Reſpondeo ad Maiorem. Relationẽ Diuinã non vnũ tantũ præſtare, ſed plura; nam cõſtituit Perſonam; & hoc modo eſt ſolum conditio ad agendum: Præterea complet potentiam productiuam; & hoc modo vna cum intellectu & volũtate etiam producit. At relatio nõ eſt actiua. De creata concedo; de Diuina nego. Nec mirum; quia Relatio eſt eadem res, eadem formalitas cum intellectu & voluntate Dei; quare ſi hæ ſunt actiuæ, cur non illa?

Secundo. Filius eſt Verbum, Spiritus Sanctus eſt Amor: ſed illud eſt à ſolo intellectu, iſte à ſola voluntate; ergo Relatio non pertinet ad potentiam. Nego Minorem; ſatis eſt enim; Verbum eſſe præcipue ab intellectu, & Amorem præcipue à voluntate; ſed minus præcipue ſunt etiã à Relatione: ſicut apud nos intellectio eſt præcipue ab intellectu, ſed minus præcipue eſt etiam interdum ab habitu, qui eſt in intellectu: diſcrimen tamen eſt in eo, quod habitus informat intellectum noſtrum; at Relatio non informat intellectum Patris, ſed vna cum intellectu complet potentiam generatiuam.

Tertio. Si potentia includit Relationem; ergo nõ differt à Perſona. Nego Conſequẽtiam, vt expoſitum eſt in Theoria.

Quarto. In generatione perfecta & vniuoca genitum eſt ſimile generanti, non ſolum in principio (quo) primo & radicali, ſed etiam in principio (quo) proximo, & potentia: At Filius eſt ſimilis Patri in intellectu tantum, non in Paternitate; ergo hæc non pertinet ad potentiam. Nego Maiorem: nam

ad

ad generationem perfectam & vniuocam ſatis eſt, ſi genitum ſit ſimile generanti in principio (quò) primo & radicali, licet non ſit in potentia generatiua, vt oſtendimus in Theoria ex generatione fœminæ.

Quinto. Si Deus produceret alium Deum, Eſsentia ſola eſset potentia; ergo etiam nunc. Eſt *Scoti d. 7. q. 1.* Admitto Antecedens, & nego Conſequentiam: ratio eſt; quia potentia realis debet realiter diſtingui à re producta; tunc autem diſtingueretur, quia eſsent duæ Eſsentiæ Diuinæ: At nunc, cum ſit eadem Eſsentia in Perſona producente & in producta; niſi potentia includat relationē, nō diſtinguetur à Perſona producta.

Sexto. Derogamus efficacitati Diuinæ naturæ, aſserentes, requiri ad potentiam, etiam relationem, ac ſi ipſa non ſufficeret; ergo non debet aſseri. Nego Antecedens. Illud enim ſequeretur, quando Relatio eſset alia res à Diuina Natura: at eſt eadem. Sicut ergo non derogamus Diuinæ Naturæ, cum dicimus, illam intelligere, vt intellectus, & velle, vt voluntas eſt; ita non derogamus, cum dicimus, requiri ad potentiam complendam, vt Paternitas, & vt Spiratio eſt. Quare *S. Thom. 1. d. 7. q. 1. a. 2.* dicit, Naturam Diuinam generare, vt Paternitas eſt, & S. Athanaſius multo prius: *Pater*, inquit, *hypoſtaſi ſua gignit.*

An Perſonæ Diuinæ producantur proxime per actiones intellectus & voluntatis.

Omnes Scholaſtici ſentiunt, dicere, & ſpirare, qui ſunt actus Notionales, eſse actiones intellectus & voluntatis. Sic *S. Thom. p. p. q. 27. a. 5. & ibidem eius diſcipuli. Caietan. Torres, Bannes, Zumel, Molina. Bona. 1. d. 27. q. 1. Scotus Quodlib. 2. a. 2. & in 1. d. 2. p. 2. q. 4. Henricus Quodlib. 6. q. 1. & alij*, quos refert *Vaſquez Diſp. 111. cap. 2. Suarez, lib. 1. de Trinit. cap. 5. Solus Durand. 1. d. 6. q. 2.* vult, Perſonas Diuinas proxime produci à Diuina Natura, vt Natura eſt, non, vt eſt intellectus & volūtas. Argumenta pro hac ſententia ſunt hæc. *Notatio quarta.*

Primum. Actiones intellectus & voluntatis ſunt communes omnibus Perſonis; ergo non ſunt ipſæ productiones, quæ ſunt propriæ aliquarum tantum Perſonarum. Conceſso Antecedenti, ad Conſequentiam dico, productiones Diuinas præter actiones intellectus & voluntatis, requirere Relationes

Paternitatis & Spirationis actiuæ, per quas contrahitur noſtro modo intelligendi actio intellectus & voluntatis ad rationem productionis, vt dicemus in ſequenti Quæſtione. Addo, hoc argumento vrgeri etiam Durandũ, ſiquam haberet vim: nam etiam Eſsentia Diuina communis eſt omnibus Perſonis; ergo non poteſt eſse proximum principium earum productionum, quæ non conueniunt niſi certis Perſonis.

Secundum. Fœcunditas in rebus creatis oritur à natura; ergo eodem modo conuenit Deo, non per intellectum, & voluntatem. Reſpondeo, fœcunditatem oriri à natura tam in Deo, quam in rebus creatis; ſed immediate exerceri per virtutem aliquam,& potentiam, vt docet experientia in rebus creatis; & idem aſserendum in Deo. Quare argumentum contrarium concludit.

Tertium. Actiones intellectus & voluntatis ſunt immanentes; ergo infœcundæ ex Ariſtot.9.Metaph. Nego Conſequentiam, ſi loquamur de actionibus immanẽtibus Dei; noſtræ ſunt infœcundæ, quod oritur ex imperfectione rerum creatarum: Actiones immanentes Dei, qui eſt perfectiſſimus, fœcũdæ ſunt.

An dicere & ſpirare ſint eædem actiones, ac intelligere & velle, an vero diſtinctæ.

Notatio quinta. *Scotus* 1.*d.*2.*q.*7. vult, eſse diſtinctas actiones; ſed confutatur à multis, *à Caiet. & Tor.p.p. q.* 27. *a.*5 *à Valent. q.* 1.*punct.* 3. *à Vaſq. Diſput.*112 *c.*2. *à Suarez.l.*1.*de Trinit.c.*6. *& ab alijs.* Rationes pro Scoti ſententia ſunt hæ.

Prima. *Dicere* eſt ſolius Patris, ergo non eſt idem ac intelligere, quod eſt commune Perſonis omnibus. Reſpondeo. Hoc argumentum eſse idem cum illo Durandi in præcedenti Quæſtione; ideo ſolui debet eodem modo: concludit enim, *dicere* non eſſe diuerſum actum ab actu intelligendi, ſed includere aliquid aliud, quod non includit actus intelligendi; quod verum eſt; includit enim relationem Paternitatis, ſicut *ſpirare* includit præter actum voluntatis, relationem ſpirationis actiuę. Differunt ergo *intelligere* & *dicere*, *Velle*, & *ſpirare*, non vt actus ab actu, ſed vt includens ab incluſo.

Secundo. Intellectio, vt intellectio, nõ eſt productio termini,

mini, ſicut eſt dictio; ergo dictio non eſt intellectio. Confirmatur. Intellectio eſt in agente, quia eſt actio immanens; at productio eſt in patiēte, hoc eſt in Perſona producta: actio enim producentis eſt in paſſo; ergo non ſunt idem. Ad Antecedens reſpondeo. Si ſumatur intellectio ſine Paternitate, non eſſe productionem, neque dictionem; at cum illa eſt productio & dictio, vt explicatum eſt. Ad Confirmationem, nego, productionem, ſi actiue ſumatur, eſſe in paſſo; nam ſi ſumatur paſſiuè, quis dubitet eſſe in paſſo? ratio eſt, quia productio præter actum intellectus & voluntatis, qui ſunt in agente & producente, includit relationem Perſonæ producentis, quæ eſt etiam in producente, non in Perſona producta. Quare in rebus creatis actio agentis eſt in paſſo, quia producit per actionem tranſeuntem: at in Deo, qui Perſonas producit per actionem immanentem, actio agentis eſt in ipſo agente, non in paſſo.

Tertio. In nobis *intelligere* & *dicere* ſunt actiones diuerſæ; ergo etiam in Deo. Probatur Antecedens. Quia nos dicimus, formando verbum, intelligimus vero, adhærendo quodammodo ipſi verbo. Nego Antecedens. Immo Patres aperte fatentur, idem eſſe dicere, quod intelligere. *Anſelm. in Monolog. c. 34.* *Quoniam*, inquit, *idem eſt ſummo Spiritui ſcire, quod intelligere, ſeu dicere, &c. Fulgent. lib. 3. ad Monimum cap. 2. Nihil eſt aliud* inquit *apud ſe dicere, quam apud ſe cogitare.* Idem habet *Auguſtin. lib. 15. de Trinitat. cap. 10.* vbi id probat ex *cap. 9. Matth. Dixerunt Phariſæi intra ſe, hic blaſphemat.* Quibus reſpondit Chriſtus Dominus: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* ergo *dicere* eſt *cogitare.* Philoſophi etiam communiter ſentiunt, in nobis verbum mentis non differre ab intellectione: nam eademmet actio, vt tendit in obiectum, vocatur *intellectio*; eadem, quatenus repræſentat res intellectui, dicitur *verbum*, ſeu *dictio.* Probant ex verbo vocali, cui ſuo modo ſimile eſt verbum mentis: nam eadem actio exterior palati & dentium dicitur verbum, quatenus nobis & alijs aliquid manifeſtat; ergo idem omnino erit de verbo mentis, de qua re agitur *lib. 2.* de Anima. Verum tamen eſt, in Diuinis, tam (*dicere*) quam (*verbum*) non vſurpari à Patribus niſi Notionaliter. Quare ſoli Patri Æterno tribuunt *dicere*, & ſoli Filio eſſe *Verbum*, vt infra oſtendemus ſuo loco.

Cur

Cur proceſſio Verbi ſit generatio, & proceſſio Spiritus Sancti non ſit.

Notatio ſexta Huius differentiæ, infinitæ propemodum afferũtur rationes à Sanctis Patribus, & à Scholaſticis: ſed nulla plane ſatiſfacit. *Scotus* 1.*d.*13. *Quæſt.vnica*, dicit, has duas proceſſiones differre ſeipſis, vt vna ſit generatio, & altera non ſit; idcirco nõ eſſe huius rei quærendam aliam rationem. Sed Primum. Hoc, quod dicit Scotus, nihil eſt aliud, quam id, quod credimus; quare non explicat difficultatem. Deinde. Cum proceſſiones iſtæ in aliquo conueniant, vt recte docet *Capreol.*1.*d.*13. ſunt enim ambæ proceſſiones Diuinæ, quibus communicatur Diuina Natura, & in aliquo etiam differant, quod ſcilicet vna ſit generatio, altera nõ ſit; explicari aliquo modo debet, quid ſit illud, ratione cuius vni conueniat ratio generationis, & alteri non cõueniat. Et de hac differentia loquuntur Patres, quando dicunt: rationem, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio, & proceſſio Verbi ſit, ſciri non poſſe in hac vita; ac proinde *petendum, vt reueletur, aut exſpectandum, vt videatur.* Sic *Athanaſ. ad Serapionem, Ambroſ.lib.*1. *de Fide cap.*5. *Auguſtin. lib.* 3. *contra Maximinum, cap.* 14. & alibi ſæpe. At proceſſionem Filij eſſe generationem, & proceſſionem Spiritus Sancti non eſſe, quod ſolùm affert Scotus, omnes Fideles fatemur; & huiuſmodi eſſe per ſe, quia nihil in Deo eſt per accidens: neque huius rei alia exſpectanda eſt reuelatio. Sic docet his verbis *Damaſc.lib.*1.*de Fide cap.*2. *Quoniam quidem eſt differentia generationis & proceſſionis, didicimus: quis vero ſit modus huius differentiæ, nequaquam.* Idem oſtenderunt Patres re ipſa: varias enim aſſignant rationes huius rei, eoſque imitantur Scholaſtici.

Primò igitur *S. Athanaſ Epiſt.*2. *ad Serapionem: Si Spiritus Sanctus, inquit, generaretur, Filius eſſet Pater*, nimirum Spiritus Sãcti. *Sanctus* etiam *Baſil.lib.*5. *contra Eunom.* negat, Spiritum Sanctum dici Filium, ne multitudinis filiorum inducatur ſuſpicio. Sed hoc, vt patet, non eſt reddere rationem, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio, ſed ad ſummum, cur Spiritus Sãctus non debeat vocari Filius, neque eius proceſſio generatio; at quæritur, cur non ſit generatio, cur Spiritus Sanctus non ſit Filius.

Secundò. *Sanctus Auguſtinus lib.*5. *de Trinit. cap.*14. *Proceſſio,*

ceſſio, inquit, Spiritus Sancti non eſt generatio, quia Spiritus Sanctus procedit, vt datus, & Filius, vt natus. Sed hæc ratio non ſatisfacit. Primò, quia eſſe datum, nihil addit proceſſioni niſi reſpectum ad eos, quibus datur: qui reſpectus poſterior eſt proceſſione ipſa, neque facit illam non eſſe generationem. Secundo. Videtur petere principium; hoc eſt enim, quod quæritur; Cur etiam Spiritus Sanctus non procedat, vt natus, cum habeat eandem numero naturam, quam habet Filius, qui procedit, vt natus. *In lib. 9. de Trinit. cap. 12.* dicit, *Verbum generari, quia inueſtigatione quadam inuenitur, quod eſt quaſi parturiri; quod non accidit in amore.* Sed hæc differentia eſt valde metaphorica, & in Deo locũ non habet, quia non vtitur ratiocinatione.

Tertio. *In lib. 16. de Trinit. cap. 26. & 27.* ait, *Verbum dici Filium, quia procedit ab vna Perſona, Spiritum Sanctum non eſſe, quia procedit à duabus; non poteſt autem Filius procedere à duabus Perſonis, niſi tanquam à patre & matre, quod in Deum cadere non poteſt.* Idem docet *Anſelm. in Monolog. cap. 53.* Neque hæc ratio ſatisfacit. Quia ſi Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio tanquam ab vno principio, quod tamen in creaturis locum non habet; cur ergo non poſſet procedere ab iſtis duobus tanquam à Patre? Deinde, eſſe plura ſuppoſita producentia non variat rationem formalem productionis: quare ſi productioni Spiritus Sancti conuenit definitio generationis, non apparet, cur non debeat dici vera generatio, licet ſit à pluribus.

Quarto. *Alexander Alenſis p. p. q. 42. memb. 2. §. 1.* & alibi. *Maior 1. d. 13. q. 1.* dicunt, Spiritum Sanctum non eſse Filium, quia non poteſt communicare naturam, quam accipit, alteri: at de ratione filij eſt, vt poſſit communicare naturam acceptã. Hanc rationem vidêtur hi Authores accepiſse à *Riccardo lib. 6. de Trinit. cap. 18.* Sed neque hæc ſatisfacit. Primo, quia ſine fundamento aſseritur, de ratione filij eſse, vt poſſit communicare naturam. Secundo. Si id requireretur, deberet Filius poſse communicare Naturam per generationem, vt videre eſt in filijs rerum creatarum. At hinc ſequeretur, Verbum Dei non eſse Filium, quia non poteſt communicare Naturam ſuam alteri per generationem.

Quinto. *S. Bonauentura 1. d. 13. q. 1.* dicit, productionem Spiritus Sancti non eſse generationem, quia non eſt per modũ naturæ, ſicut eſse debet generatio, ſed eſt per voluntatem. Idẽ

fere

fere docēt plures alij Scholaſtici. *Ægidius in* 1.*d.*13.*q.*2.*a.*1. *Riccardus eadem diſtinct.q.*3. *Henricus Quodlib.*5.*q.*9. *Durand.* 1. *d.*6. *q.*2. *& alij*. Sed neque hæc ratio mihi probatur. Peto enim, quid ſit, productionem Filij eſse per modū naturæ. Si dicant, non eſsę neque violentam, neque liberam; eodem plane modo productio Spiritus Sancti erit per modum naturæ, quia non eſt neque violenta, neque libera. Si dicant, eſse à Natura Diuina tanquam à principio (quo) principali, vtraque proceſſio habet Naturam Diuinam pro principio (quo) principali; nam principium (quo) proximum tam in productione Spiritus Sancti, quam in productione Filij, ſunt intellectus, & voluntas. *Ægidius loco citato*, addit, has productiones diſtingui ex terminis formalibus. Sed hic Author non explicat, quomodo iſti termini ita differant, vt ex illis poſſimus diſtinguere productiones: neque aliter id explicari poteſt, niſi dicatur, eſse productos per diſtinctas productiones, quarum vna ſit generatio, & altera non ſit; quod eſt petere principium: hoc eſt enim, quod quærimus.

Sexto. *Canarienſ. & alij p.p.q.*27. aſserunt, ad rationem filij, formaliter loquendo, non ſatis eſse produci ſimilem genitori in natura, ſed requiri, vt producatur tanquam imago producentis; & hoc ſignificari illis verbis, *In ſimilitudinem naturæ, quæ* ponūtur in definitione generationis: *Eſt origo viuentis à viuente, à principio intrinſeco in ſimilitudinem naturæ*, ex *S. Thom.*4.*cont. Gent.c.*11.*& p.p.q.*27.*a.*2. Differt autem ſimilitudo ab imagine; quia imago non eſt quælibet ſimilitudo, ſed ſolum illa, quę expreſsa eſt ad alicuius imitationem, vt illud reprę ſentet, vt docet ex *Auguſt.S.Thom.q.*35.*a.*1. Aſserunt ergo, Verbum Diuinum ex vi ſuæ proceſſionis non ſolum produci ſimile in natura, ſed etiam vt imaginem Patris; quia producitur per intellectionem, quæ eſt expreſsa imago rei intellectæ, & ideo productionem eius eſse generationem. Hæc etiam ſententia non probatur multis. Nam pręterquamquod videtur inuenta ſolū ad ſoluendum hunc nodum, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio; habet præterea difficultatem in Philoſophia. Vel enim hoc intelligit tantum de generatione Diuina, vel de quacunque generatione: ſi tantum de Diuina, reddenda eſt ratio, cur ad eam generationem hoc requiratur, vt productū ſit imago expreſsa producentis, nec ſufficiat eſse illi ſimile in natura, cum hoc in cæteris generationibus ſufficiat: ſi verò de quacū-

que

que generatione; neque hoc dici poteſt; quia ad generationē in communi, ſatis eſt, productum eſſe ſimile producenti in natura, ſaltem ſpecifica; & ratio colligitur ex fine generationis, qui eſt, vt indiuidua loco ſui ſubſtituēdo alia eiuſdem ſpeciei, illam conſeruent: quare ſatis eſt, vt vi generationis producatur id, quod habet ſimilem naturam: quod docuit *Ariſtot. 2. de Anima text. 34 & 37.* Idem dicitur *Eccleſ. 30. Mortuus eſt Pater, & quaſi non eſt mortuus: reliquit enim ſimilem ſibi poſt ſe.* Quod ſi genitus præter naturam ſimilem, quam habet cum genitore, referat etiam figura & lineamentis genitorem; id conſequitur generationem: eſſet enim generatio, etiamſi id non eſſet. Præterea mutatio illa ad terminum ſimilem in natura producenti, etiam in illo priori, antequam intelligatur habere rationem imaginis, eſt vera generatio: *quia eſt origo viuentis, &c. in ſimilitudinem naturæ.* Aduertit id *S. Thom. q. 35. a. 2.* vbi ait, Spiritum Sanctum non eſſe imaginem, quia ex vi productionis nō procedit ſimilis in natura: ergo ratio imaginis eſt aliquid conſequens. Confirmatur. Quia ſi contendas, omnino requiri hāc rationem imaginis ad generationem, in filijs creatis ſufficit ratio imaginis, quæ oritur ex ſimilitudine tantum naturæ: quare ſi filius non referat patrem, ſed alium; non proinde tollitur, quin ſit filius illius, à quo accepit naturam. Cum ergo Spiritui Sancto communicetur eadem natura, erit in illo etiam ea ratio imaginis, quæ ſufficiat ad veram rationē generationis. Deniq; ſi productum habeat ſolum rationem imaginis, ſed non ſit ſimile in natura producenti, non poteſt dici genitum, nec habet rationem filij, vt patet in verbo noſtræ mentis. Eſt igitur oſtēdendum, ex vi intellectionis Diuinæ Verbum procedere non ſolum vt imaginem, ſed etiam ſimile in natura, vt probetur, intellectionem Diuinam habere veram rationem generationis.

Septimo. Alij ex recentioribus doctiſſimi aſſerunt, proceſſionem Filij eſſe generationem; Quia intelligere actuale, inquiunt, eſt Eſſentia Dei, non identice tantum (ſic enim etiam velle eſt Eſſentia Dei) ſed formaliſſime. Vnde fit, vt communicatio intellectionis formalis, ſit communicatio Eſſentiæ, & Naturæ formalis. Cum ergo Verbum ſit terminus intellectionis formalis, non Spiritus Sanctus; Verbum proprie eſt Filius, non Spiritus Sanctus. Antecedens probatur, & explicatur ſic. Eſſe intellectiuum eſt de Eſſentia Dei, quod nemo negat: hoc

autem eſse intellectiuum in Deo non poteſt intelligi de potentia & habitudine tantum ad intelligendum; quia cum Deus ſit actus puriſsimus, excludit omnem potentialitatem; quæ tamen admitti deberet in illo, ſi in illo daretur ratio intellectionis radicalis ſiue potentialis, quæ tanquam per actum vltimum compleatur actuali intellectione: ergo, cum dicimus, eſse intellectiuum eſse de Eſsentia Dei, & illam conſtituere, intelligi hoc debet de ipſamet actuali intellectione. Hanc ſententiam Authores iſti tribuunt *S. Thomæ:* ſæpe enim aſserit, *intelligere eſſe ipſum eſſe Dei.* Et *q. 27. a. 2. Idcirco ait proceſſionem Verbi eſſe generationẽ, quia per illam communicatur intelligere, quod eſt ipſum eſſe Dei.* Quæ ratio nihil concludit, niſi velit eſse idem formaliter, non tantũ identice: alioquin etiam proceſsio Spiritus Sancti eſset generatio, quia per illam communicatur velle, quod identice eſt idẽ cum Deo. Hæc tamen ſententia non placet pluribus. Quia loqui poſsumus de intellectione, ſapientia, &c. vel vt ſunt in Deo, vel vt concipiuntur à nobis; ſi primo modo, omnia Attributa ſunt paria: quia non tantũ actus intelligendi, ſapiẽtia, &c. ſed quicquid eſt abſolutum, vt eſt actus volendi, iuſtitia, &c. eſt ſimpliciter infinitum in genere entis. Ratio eſt, quia quicquid eſt huiuſmodi, eſt increatum, & à ſe, ac proinde non habet, vnde limitetur. Quare ſicut ſapientia in Deo, ita eſt ſapientia, vt ſit etiam iuſtitia, alioquin non eſſet abſolute infinita in genere entis, cum non comprehenderet omnia; ita iuſtitia ob eandem rationem comprehendit ſapientiam, nec minus eſt ſapientia, quam ſit iuſtitia. Hinc fit, vt omnia Attributa Dei non ſolum ſint ipſa Eſſentia Dei, ſed ſint etiam de Eſſentia Dei; neque potiores in hac re partes ſibi vendicat intelligere, quam velle, ſapientia, quam bonitas, aut iuſtitia. Quod oſtendit *S. Thom. p. p. q. 3.* ex ſimplicitate & infinitate Eſſentiæ Diuinæ. Quod ergo aliquando docuit *S. Thom.* de intellectione, eſſe ſcilicet Eſſentiam Dei, & de Eſſentia Dei, idem dicit de voluntate & eius actu: nam *q. 13. a. 1. Sicut, inquit, intelligere, ita & velle eſt ipſum eſſe Dei.* Et *q. 20. a. 3. ad 2.* dicit actum voluntatis eſſe ipſam Eſſentiam Diuinam, & *q. 21. a. 1. ad 4.* dicit de iuſtitia, quæ pertinet ad voluntatem, eſſe Eſſentiã Dei, & de Eſſentia Dei. Si vero loquamur de intellectu, & intellectione, de voluntate, & actu volendi, non vt ſunt in ſe, ſed vt concipiuntur à nobis; ſicut Diuinus intellectus ratione diſtinguitur ab Eſſentia, ita,

& intelligere ratione diſtinguitur ab Eſſentia, & ab intellectu. Et ſicut prius ratione eſt *eſſe*, quam *eſſe intellectiuum*; ita prius ratione eſt eſſe intellectiuum, quam eſſe intelligentem. Huius rei ratio eſt infinitas Diuini Eſſe. Sicut enim Eſſe Diuinum, cum ſit vnum & ſimpliciſſimum, perfecte tamen efficit quicquid in rebus creatis efficitur à multis rebus realiter inter ſe diſtinctis; ſic idem vnum Ens & ſimpliciſſimum ob ſuam infinitatem eſt fundamentum, vt in illo intellectus diſtinguat varias perfectiones, quandoquidem æquiualet perfectionibus omnibus creatis; & eo ordine, quem cernit in rebus creatis; & apprēhendat quædam vt principia & origines cæterorum. V.g. Licet in Deo idem ſit velle & intelligere, eſſe intellectiuum & eſſe intelligentem; quia tamen in nobis velle & intelligere diſtinguūtur realiter, ideo intellectus ratione diſtinguit hæc duo in Deo: & quia in nobis prius eſt eſſe intellectiuum, quam eſſe intelligentem; idcirco etiam in Deo prius concipitur eſſe intellectiuum, quam eſſe intelligentem. Ita loquuntur perpetuo Patres: diſtinguunt enim Eſſentiam Dei à ſapientia, ab intellectione, & ab alijs perfectionibus, quæ ſunt circa Eſsentiam; ratione nimirum, vt diximus. *Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 7. Baſil. lib. 1. contra Eunomium, & alij plures.* Multas rationes contra hanc ſententiam congerunt alij: nobis videtur hæc ſufficere, cum breuitati conſulamus.

Ad Argumentum conſtat ex dictis. Si enim ſermo ſit de re, vt eſt in ſe, tam actus intelligendi, quam volendi ſunt ipſa Eſſentia Dei, & de Eſsentia Dei: ſi vero loquamur de his, vt concipiuntur à nobis, vterque actus ratione diſtinguitur à Dei Eſſentia; ac proinde par eſt vtriuſque ratio, quocunque modo ſumantur.

Ad *S. Thomā.* Reſpondeo. Non dicit, proceſſionem Filij eſse generationem, & proceſſionem Spiritus Sancti non eſse, quia intelligere eſt Eſse Dei; tunc enim conſequens eſset, velle non eſse ipſum Eſse Dei; ſed ait: Cum ad generationem requiratur ſimilitudo in natura cum producente, intelligere Dei eſse ipſum Eſse Dei; ac proinde ex hoc capite, Verbum habere poſse rationem Filij, nō eſse accidens, vt eſt in nobis; quia tamen etiā Amor eſt ipſum Eſse Dei, aliquid aliud obſeruat prę̄terea reperiri in proceſſione Filij, ratione cuius ſit generatio, & illa Spiritus Sancti non ſit: quod nos attulimus in Theoria.

Contra rationem illam, quam affert vbiq; S. Thom. & nos ſequimur in Theoria, hæc ferme obijci ſolent. Videtur enim oſtendi poſſe, proceſſionem Spiritus Sancti eſſe generationem, his argumentis.

Notatio ſeptima. Primum deducitur ex Scripturis. Nam Scripturæ vocant Chriſtum Dominum *primogenitum, ad Rom.*8. ergo & Spiritus Sanctus poteſt eſse genitus, ſed poſterius origine, quam Filius. Immo *Joan.*1. non vocatur Chriſtus abſolute vnigenitus, ſed *quaſi vnigenitus: Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Adde, Salomonem *Prouerb.*4. vocari *vnigenitum matris,* licet mater alios haberet filios, quia diligebatur, ac ſi eſset vnigenitus; ergo eodem ſenſu dici poterit Chriſtus *vnigenitus;* quandò ſic appellatur in Scripturis. Reſpondeo. Ad Rom.8. Filium Dei vocari primogenitum reſpectu fratrum adoptiuorum, qui ſunt cæteri electi. *Vt ſit ipſe Primogenitus,* ait Apoſtolus, *in multis fratribus.* Notat *S.Baſil.lib.*4. *contra Eunomium,* in Scripturis pro eodem ſumi *primogenitum,* & *vnigenitum,* cum eſt ſermo de Filio Dei. Sic *Luc.*2. vocatur *primogenitus Mariæ Virginis,* id eſt, Vnigenitus. Ad ſecundũ. Reſpondeo. Illud (*quaſi*) ex Chryſoſtomo non addi ad ſimilitudinem, ſed ad veritatem: qua ratione dicere ſolemus, incedit quaſi Rex, id eſt, vt decet Regem. Ad illud *Prouerb.*4. licet Salomon vocetur *vnigenitus matris,* id eſt, dilectus, ac ſi eſset vnigenitus; hæc tamen expoſitio conuenire non poteſt Verbo; nam in *Symbolo Apoſtolorum,* & *Athanaſii* Verbum Dei dicitur Filius vnicus. Idem habet *Concilium Nycænum, Toletanum* 11. & *Florentinum.* Quare recte *S. Auguſt.lib.*15. *de Trinit.cap.*27. ſic argumentatur; Filius eſt vnigenitus: ergo Spiritus Sanctus non eſt genitus.

Argumentum ſecundum oſtendit, eandem eſse rationem intellectus & voluntatis, & eodem modo de vtraque philoſophãdum: quare ſi Spiritus Sanctus non eſt Filius, nec Verbum dici poſse Filium: & ſi poteſt Verbum, poſse etiam Spiritum Sanctum. Argumentum eſt huiuſmodi. Loqui poſsumus de actionibus intellectus & voluntatis, vel ſecundum propriam rationẽ vtriuſque, vel, vt ſunt in Deo. Si loquamur de intellectu & voluntate priori modo, par eſt vtriuſque ratio: nam primo generatio requirit in genito ſimilitudinem naturalẽ, ſimilitudo

autem,

autem, quæ eſt in actione intellectus, eſt tantum intentionalis; vnde fit, vt nec verbum noſtrum, nec Angelorum vocetur Filius: ſecundo, in generatione requiritur ſimilitudo geniti cum generante; at ſimilitudo verbi eſt cum obiecto; ergo verbum, ſi ſumatur in communi, non poteſt habere rationem filij. Econtra vero ſi verbum mentis poteſt dici filius, poterit dici etiam amor; nam primo etiam amor eſt ſimilis operanti, quia omne agens hoc ſpectat agendo, vt producat ſibi ſimile, quod conuenit tam intellectui, quam voluntati: ſecundo, ſicut cognitio dicit eſsentialem ordinem ad obiectum, ita & amor: ergo ſicut cognitio dicit ordinem ad obiectum, quia eſt ſimilitudo illius; ita & amor, cum dicat ordinem ad obiectum, erit ſimilitudo illius. Confirmatur, quia ſicut intellectio producitur ab intellectu informato per ſpeciem, ita & amor producitur à voluntate determinata per iudicium practicum, quod eſt ſimilitudo quædam obiecti; ergo par ratio amoris, & verbi.

Ad Primum. Reſpondimus in Theoria, ſimilitudinem hanc in intellectione creata eſse tantum intentionalem, quæ non ſufficit ad rationem generationis; idcirco neque verbum noſtrum, neque Angelorum eſse filium; in intellectione autem Diuina eſse ſimilitudinem naturalem, quæ ſatis eſt ad generationem.

Ad Secundum. Si actio intellectus eſt ſimilis obiecto, erit etiā ſimilis intellectui producenti; quia intellectus debet prius eſse informatus ſpecie obiecti, quam producat intellectionem, vt diximus in Theoria. Adde, in productione Diuini Verbi, obiectum quod cognoſcitur, non eſse aliud à Deo, ſed eſse ipſum Deum: quare ex hoc etiam capite erit ſimile producenti; quandoquidem idem eſt producens & obiectū, ex cuius cognitione producitur. Ad primam difficultatem de volūtate, Nego, amorem eſse ſimilem producenti.

Ad illud Axioma: *Omne agens producit ſibi ſimile.* Reſpōdeo. Si ſumatur in vniuerſum, eſse falſum: quod conſtat primo in agentibus per actionem immanentem, per quam actionē agens non id ſpectat, vt producat ſibi ſimile, ſed vt perficiat ſeipſum actionibus immanentibus, quæ remanent in ipſo: huiuſmodi actiones ſunt intelligere & velle: quare ſi per intellectum producitur aliquid ſimile, id non eſt ex eo, quod omne agens producat ſibi ſimile; ſed quia hæc eſt natura intellectionis, vt ſit

ſimili-

ſimilitudo rei, quæ intelligitur. Secundo, In actione etiã tranſeunte non ſemper eſt verum illud Axioma: nam motus elemẽtorum eſt actio tranſiens; & tamen per illum elementa nõ contendunt producere ſibi ſimile, nec producunt. Verum eſt ergo illud Axioma in ea tantum actione tranſeunte, in qua agens contendit communicare ſuam naturam: & hæc actio vocatur generatio, ſed agens debet eſſe vniuocum: nam ſi ſit æquiuocum, difficile poteſt explicari, quomodo contendat producere ſibi ſimile. Verius ergo multo eſt illud aliud Axioma: *Omne agens contendit producere effectum ſibi proportionatum.*

Ad Secundum. Concedo Antecedens, & nego Conſequentiam; quia non quicquid dicit eſsentialem ordinem ad aliud, eſt ſimile illi, vt conſtat in multis relatiuis, quæ dicunt eſsentialẽ ordinem ad inuicem, licet non ſint ſemper ſibi ſimilia. Quare poteſt amor dicere eſsentialem ordinem ad obiectum, licet nõ ſit ſimilis illi. Intellectio autem habet ſimilitudinem cũ obiecto, non ex eo quod dicat eſsentialem ordinem ad illud; ſed quia natura ſua eſt ſimilitudo obiecti.

Ad Confirmationem. Nego, iudicium practicum eſse ſimilitudinem obiecti; niſi forte, quatenus eſt cognitio obiecti. Præterea hoc iudicium ſupponit amor, non includit; ſicut etiã ſupponit cognitionem obiecti, non tamen includit.

Argumentum tertium. Si conferatur Verbum & Amor, vt ſunt in Deo, par eſt etiam vtriuſque ratio: nam ſicut in Deo Verbum procedit eiuſdem naturæ cũ intelligente, ita & Amor procedit eiuſdem naturæ cum amante. Et ſicut Verbum procedit hoc modo ratione productionis ſuæ; ita etiam Amor procedit hoc modo ratione productionis ſuæ: quicquid enim habet tam Verbum Diuinum, quam Amor, acceperunt per productionem ſuam; ergo ſicut Verbum eſt Filius, ita & Amor. Admiſſo Antecedenti, nego Conſequentiam: & ratio eſt, quia ad rationem Filij præter illa duo requiritur tertium: vt ſcilicet procedat eiuſdem naturæ cũ producente, nõ quomodocunque, ſed ratione productionis ſuæ, formaliter ſumptæ, quomodo procedit Verbum. At Spiritus Sanctus procedit quidem ſimilis ratione productionis ſuæ; non tamen formaliter ſumptæ, ſed materialiter tantum, ſicut explicatur in Theoria.

Ad explicationem huius difficultatis conferamus hæc tria, Verbum, Spiritum Sanctum, & creaturas: ſed ponamus, quod opi-

opinantur multi, Creationem actiue ſumptam, eſſe actionem Diuinam in Deo manentem. Hoc poſito, ſi ſpectemus principium, hæc tria ſunt paria: nam vbique is, qui producit, Deus eſt; actiones, quibus producit, ſunt Diuinæ, & manent in ipſo Deo, intelligere, & velle, & etiam creare, ex iſtorum ſententia. At ſi ſpectemus terminos, non vna eſt omnium ratio. Nam Verbum procedit ſimile producenti ex duplici capite. Primo, quia producitur in ipſo Deo, vbi quicquid eſt, habet Naturam Diuinam. Secundo ratione productionis ſuæ, formaliter ſumptæ, quia producitur per actionem intellectus, & eſt terminus illius; at intellectio eſt ſimilitudo rei intellectæ, & in rebus creatis eſt ſimilitudo tantum intentionalis; in Deo eſt ſimilitudo etiam naturalis, quæ ſatis eſt ad rationem generationis. At Spiritus Sanctus procedit ſimilis producenti ex vnico tantū capite; quia videlicet producitur in Deo, in quo quicquid eſt, habet Naturam Diuinam; ſed ratione productionis ſuæ, ſi formaliter ſumatur, non procedit ſimilis; quia amor non eſt ſimilitudo rei amatæ, ſed impulſus in illam, & ideo nō eſt Filius, vt diximus. Creaturæ ex nullo capite habent ſimilitudinē in eadem natura cum Deo: nam producuntur extra Deum, non in ipſo Deo; ideo non ſunt Deo ſimiles in eadem natura, vt eſt Spiritus Sanctus; & creatio non eſt ſimilitudo creantis: ideo neque ratione productionis procedunt ſimiles Deo, ſicut procedit Verbum ſimile producenti ratione productionis, vt explicatum eſt. Atque hæc de hac difficillima Quæſtione dicta, ſint ſatis.

An actus Notionales ſint voluntarij.

S.Thom.p.p.q.41.a.2.& ibidē omnes eius diſcipuli: Scotus 1.d.6. q.1. Greg. 1. d.6.q.1.a.3. Capr. eadem diſtinct.q.1. Ferrar.4 contra Gentes, cap.11. Henric. Quodlib.5 q.4. & in Summa a.58.q.2. Vaſq. Diſp. 160. Suarez, lib.6. de Trinit.cap.3. & 4. *Notatio octaua.*

Certum eſt primo, actus Notionales non eſſe liberos, ſed ab intrinſeco neceſſarios: ratio eſt, quia id eſt liberum, quod eſt in facultate voluntatis, & ita eſt ab illa, vt poſſet non eſſe. At actus Notionales ita ſunt in Deo, vt repugnet, eos non eſſe; ergo non ſunt actus liberi, ſed naturales, cum eorum neceſſitas non ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco naſcatur. Ariani aſſerebant, eſſe liberos, ſicut ſunt productiones rerum creatarum;

quia Filium, & Spiritum Sanctum inter creaturas numerabāt.

Certum eſt ſecundo (quod pertinet ad modum loquendi) magis proprie dici, productionem Spiritus Sancti eſſe voluntariam, quam productionem Filij: ratio eſt, quia voluntarium proprie eſt, quod elicitur à voluntate, aut certe imperatur ab illa; hoc eſt, quod à voluntate proficiſcitur tanquam à principio proximo vel remoto: at productio Spiritus Sancti proximè & immediate elicitur à voluntate, cum Spiritus Sanctus procedat proxime per actum voluntatis; ergo eſt proxime voluntaria: Productio vero Filij non elicitur proxime à voluntate, ſed ab intellectu; neque imperatur à voluntate; quia in Patre, nec ratione quidem, præcedit actus voluntatis generationem Filij, vt mox dicemus; ergo non poteſt dici voluntaria, niſi voluntate concomitante, vt docet *S.Thom.* quia nimirum ſibi Pater complacet de productione Filij, ſicut etiam complacet ſibiipſi de ſua Deitate.

His poſitis, notanda ſunt duo. Primum, Quid in duobus Cōcilijs habeatur de hac re. Secundum, Quid ſit controuerſum inter Scholaſticos. Quod pertinet ad Primum, In Concilio Sirmienſi Can.28. dicitur: *Patrem neque coacte, neque naturali neceſſitate, ſed mox, vt voluit, genuiße Filium.* Refertur ab *Hilar. in lib. de Synodis.* Sed conſtat, hoc Concilium non fuiſſe legitime congregatum, ſed Arianum, vt notat Baronius, Bellarminus, & alij. In *Concilio* autem *Toletano* 11. in Confeſſione Fidei ſic habetur. *Filius Dei, natura eſt Filius, non adoptione: quem Deus Pater neque voluntarie, neque neceſſitate genuiſſe credendus eſt; quia neque vlla in Deum neceſſitas cadit, neque voluntas ſapientiam præuenit, ſed natura.* Hic aperte docet Concilium, Filium à Patre fuiſſe genitum naturaliter, non coacte, nec volūtarie. Sed quid intelligit per vocem illam (*voluntarie?*) Quidam, idem quod libere. Alij ſumunt pro voluntate, licet non libera, quæ tamen generationem præceſſerit: hoc enim ſignificare videntur illa verba: *Neque voluntas ſapientiam præuenit:* quam voluntatē negat Concilium præceſſiſſe generationem Filij. Quare id, quod habet Concilium Laodicenſe relatum ab *Hilario in lib. de Synodis, Patrem conſilio & voluntate genuiße Filium,* intelligi debet de voluntate, ſed concomitante, & vt dicunt, *complacentiæ* in generatione Filij. Generat enim Filium non coactus; immo & vult, & approbat, & ſummopere ſibi in ea generatione complacet. Hæc ex Concilijs.

Quod

Quod pertinet ad Secundum, dubium eſt inter Scholaſticos, Num voluntas illa, qua Pater vult generationem Filij, ſit prior ratione generatione ipſa, an vero poſterior: nam ſecundũ rem, certum eſt, in Trinitate nihil eſse prius, aut poſterius, vt dicitur in Symbolo: quare ſine detrimento, inquit Valentia, potuiſset omitti hæc Quæſtio; quia non agitur in ea de aliqua re Diuina, ſed de ordine, quem ſeruat intellectus noſter in concipiendo; quid nimirum concipiat prius, Patrem generantem, an volentem generare. Idem non raro quæritur in alijs Quæſtionibus huius materiæ, licet videantur eſse quæſtiones de re. *Scotus ergo in* 1. *d.* 1. *& Caiet. p.p.* dicunt, voluntatem illam, priorem eſse generatione ſecundum rationem. At *S. Thom. de Potentia q.* 2. *a.* 3. *ad* 2. vult eſse poſteriorem ratione. Nam loquens de generatione Filij, ait: *Reſpectu illius non eſt voluntas præcedens, neque tempore, neque intellectu, ſed ſola voluntas concomitans.* Idem conſtat ex exemplo, quod affert, *p.p.q.* 37. *a.* 2. ait enim, Patrem velle generationem Filij eo modo, quo quilibet homo vult ſe eſse hominem: at conſtat, hanc voluntatem in homine eſse poſteriorem ipſo homine; ergo. Fundamenta prioris ſententiæ ſunt hæc.

Primum. Eſsentialia in Deo ſunt priora Notionalibus, ex *S. Thom. q.* 33. *a.* 3. *ad* 1. ſed voluntas illa, qua Pater vult generationem Filij, & ſibi in ea cõplacet, eſt Eſsentialis; ergo prior.

Ad hoc argumentum varia eſt ſolutio. Canarienſis reſpondet vno modo, Zumel & Molina alio. Conſule ipſos. Reſpõdeo breuiter ad Maiorem. Eſsentialia in Deo cõſiderari poſse dupliciter. Primo abſtrahendo à Perſonis, & conferendo tantum Eſsentialia cum Perſonalibus in Deo, vt faciunt qui conferunt ſpecies cum generibus; & tunc priora ratione ſunt Eſſentialia, quam Notionalia. Ratio eſt, quia de eſsentia Perſonalium ſunt Eſſentialia, non è conuerſo: at quod eſt de eſſentia alterius & conſtituit, eſt prius ratione quam ſit conſtitutum; ergo. Secundo. Eſſentialia & Perſonalia conſiderari poſſunt, vt ſunt in hac vel illa Perſona, in Patre, vel Filio; & tunc Perſonalia ſunt priora ratione Eſſentialibus. Ratio eſt; quia nihil eſſe poteſt in Patre antequã Pater intelligatur eſſe; ſed Pater, vt Pater, conſtituitur per aliquod Perſonale, nimirum per Paternitatem; ergo in Patre, vt Pater eſt, priora ſunt Perſonalia, quam Eſſentialia. Hinc ſequitur, Verbi generationẽ dici poſſe

volitam à Deo, & à Patre. A Deo voluntate Eſſentiali, & quodammodo antecedēte; quia ſic priora ſunt Eſſentialia, quā Perſonalia: à Patre autem voluntate concomitante, &, ſecundum modum concipiendi noſtrum, conſequente.

Dices. In ipſo Patre priorem eſſe actum Eſſentialem, quam ſit Notionalis. Reſpondeo, non ita eſſe; quia in Patre intelligere, & velle eo ipſo quod ſunt coniuncta Paternitati, ſunt Notionalia, non Eſſentialia. Quare actus vel concipiuntur vt diſtincti à Paternitate, & ſic non ſunt Patris; vel vt ſunt coniuncti Paternitati, & ſic non ſunt actus Eſſentiales, ſed Notionales: nam vt diximus, Actus Eſſentialis non differt à Notionali, vt actus ab actu, ſed actus Eſſentialis coniunctus Paternitati eſt Notionalis.

Secundum argumentum pro hac ſententia. Pater prius ratione quam generet, eſt Deus, & perfecte beatus; ergo prius ratione quam generet, habet actum intellectus & voluntatis Eſſentialem: in his enim actibus Eſſentialibus proprie conſiſtit beatitudo: Sed voluntas illa, qua vult Pater generationem, & alias omnes perfectiones Diuinas, eſt voluntas Eſſentialis, & communis Perſonis omnibus (omnes enim Perſonæ volunt neceſſario perfectionem cuiuslibet Diuinæ Perſonæ) ergo hæc voluntas præcedit ratione generationem Filij.

Reſpondetur. Patrem in nullo priori ſigno rationis intelligi poſſe beatum, & non generantem. Ratio eſt, quia actus ille cognitionis, quo Pater redditur beatus, non poteſt reddere illum beatum, antequam ſit in illo: at ſi ſit in Patre, generatio eſt; nam cognitio Eſſentialis coniuncta Paternitati eſt generatio. Quare in Patre, vt ratione præintelligitur generationi, concipitur tantum Natura Diuina, vt natura eſt, cum ſuis potentijs intellectus & voluntatis ad modum actus primi, à quo denominatur Deus: cum primum vero concipimus in illo actum ſecundum cognitionis, concipimus in illo generationem, quia cognitio in Patre generatio eſt, quæ reddit illum ſimul beatum, & generantem.

Tertium Argumentum. Hæc voluntas eſt communis omnibus Perſonis; ergo communicatur Filio à Patre per generationem; quicquid enim commune cum omnibus Perſonis habet Filius, id accipit à Patre per generationem; ergo hæc voluntas neceſſario intelligi debet in Patre ante generationem;

alioquin

alioquin quomodo poſset per generationẽ cõmunicari Filio?

Reſpondetur. Primo. Argumentum non concludere; quia Filius accipit à Patre per generationem etiam actum ſpirandi; & tamen actus ſpirandi in Patre non præcedit generationem. Secundo, negatur vltima Conſequentia; & ratio eſt, quia generatio Patris eſt naturalis quædam communicatio non reſpiciens modum concipiendi noſtrum. In hac autem naturali cõmunicatione communicat Pater Filio quicquid illi non repugnat. Quare cum in re hæc volũtas, de qua loquimur, ſit ſimul cum Natura Diuina, cum voluntate & cum actu cognitionis Eſſentialis, qui in Patre habet rationem generationis, illam Pater per generationem cõmunicat Filio. Tertio Reſpondetur. Hunc actum eſse idem adæquate cum Natura & voluntate Diuina. Et prout intelligitur actus Diuinæ voluntatis ſecundum ſe, non conſiderando illam, vt modificatam Paternitate, præcedit ratione noſtra generationem. Et ideo Pater communicans Filio naturam & voluntatem Diuinam ſecundum ſe ſumptam, & non vt modificatam Paternitate, optime intelligitur communicare ſimul Filio prædictum actum voluntatis, quo Filius ſibi complacet de generatione Patris.

De formali termino actionum Notionalium.

De hac re agit *S.Thom.* 1.*d.*5 *q.*3.*Scotus* 1.*d.*5.*q.*2 *Gabr.* 1.*d.*5. *q.*3.*a* 1.*Greg.* 1 *d.*5.*q* 1.*a.*2. *Dur.* 1.*d.*5.*q* 2.*Capr.eadem diſt.q.*1. *a.*1.*Caiet.q* 41.*a* 3.*Vaſquez Diſp.*162.*c.* 3.*& alij.* *Notatio Nana.*

Scotus & Caiet. locis citatis affirmant, terminum formalem actionum Notionalium eſse Eſsentiam.

Probatur hæc ſententia. Primo. Quia *Ariſt.*2.*Phi.t.*14. dicit, generationem eſse viam ad naturam, id eſt, ad formam: at Eſsentia in Diuinis eſt, quæ habet locum formæ. Reſpondeo. Generationem in rebus creatis proprie eſse viam ad naturam integram, & in omnibus alijs generationibus, excepta generatione hominis, dici poteſt eſse ad formam: in humana vero eſſe ſolum ad naturam integram, quæ per illã reſultat; ad formam vero non eſse viam, qua productio eſt, quia anima non producitur, ſed creatur: dici tamen poteſt via ad illam, quatenus eſt coniunctio & vnitio quædam, vt ita dicam, illius cum corpore, vt mox dicam.

Probatur ſecundo. Actiones iſtæ Notionales ſunt actiones vniuocæ; ergo formalis illarum terminus eſt Natura Diuina. Probatur Conſequentia, quia in actione vniuoca formalis terminus eſt ille, in quo productum eſt ſimile producenti, vt conſtat inductione: at Filius eſt Patri ſimilis in Eſsentia, non in Relatione; ergo. Reſpondeo, & nego primam Conſequentiam. Ad probationem dico, non eſse neceſse vt id, in quo productũ eſt ſimile producenti, ſit formalis terminus actionis vniuocæ, vt productio eſt; ſed ſufficit ſi ſit terminus formalis illius, quatenus communicatio eſt, vel alio ſimili modo, ſi quis ſit alius. Conſtat hoc in generatione hominis, quæ eſt vniuoca; & tamẽ in ea non producitur forma, ſed creatur a Deo, & virtute agentis naturalis vnitur tantum materiæ.

Probatur tertio. Terminus formalis productionis eſt forma producti, licet hæc per illam actionem, neque producatur, neque comproducatur, ſed ſolum communicetur; ergo Natura Diuina erit terminus formalis proceſſionum, licet non producatur, ſed tantum communicetur. Probatur Antecedens in generatione & reſurrectione hominis: quarum duarum actionum formalis terminus eſt anima, licet non producatur per illas actiones, ſed ſolum vniatur vel communicetur corpori. Reſpondeo. Antecedens eſt falſum, ſi intelligatur de productione, vt productio eſt, terminus enim productionis, vt productio eſt, aut produci debet, aut comproduci: vnde ſequitur, Eſsentiam Diuinam, quæ neque producitur, neque comproducitur, non eſse formalem terminum actionum Notionalium, vt productiones ſunt. Ad probationem Reſpondeo, formalem terminum generationis humanæ, vt productio eſt, eſse modum illum vnionis inter animam & corpus, qui per generationem producitur; animam vero non eſse terminum formalem generationis huius, niſi quatenus vnitio quædam eſt animæ cũ corpore, & communicatio quædam illius: vniendo enim animam rationalem cum corpore, communicat illam corpori, unde inſurgit tota natura compoſita ex anima & corpore, quæ eſt terminus totalis generationis. Et idem dicendum eſt ad illud de reſurrectione. Ex his conſtat, Relationem Diuinam, cum ſit formalis terminus productionis, terminari per ſe ad Relationem oppoſitam.

Dices. In rebus creatis relatio terminatur ad abſolutum,

quod eſt fundamentum relationis, non ad relationem ipſam; ergo idem dicendum in Deo. Nego Conſequentiam. Ratio eſt, quia in Deo Relationes iſtæ ſunt ſubſiſtentes, & præſtant id, quod in rebus creatis præſtant fundamenta relationum: vnde fit, vt ſicut creatæ terminantur ad fundamenta relationum, ſic Diuinæ terminentur ad ipſas Relationes; præſertim cum in Deo nihil ſit abſolutum diſtinctum realiter à Relationibus, ad quod poſſit Relatio terminari, quæ ſemper requirit terminum diſtinctum realiter, ad quem terminetur.

An ſint in Deo Relationes aliquæ reales.

S. Thom. cum ſuis q. 28. a. 1. Caietan. Torr. Bann. Molina. Alber. Diſp. 8. q. 37 Capr. 1. d. 3. per totam. Fer. 4 contra Gentes c. 14. Suarez. lib. 5. de Trinit. cap. 1. Valentia q. 2. de Trinit. puncto. 1. *Notatio decima.*

Non videtur. Primo. Quia *Boetius lib. 1. de Trinit. cap 6.* dicit, in Deo nō eſſe ad aliud. Reſpondeo. Vult dicere, in Deo non inſurgere Relationes reales ad res diuerſæ naturæ, neque per mutationem aliarum rerum, vt explicat *cap. 7.* Relationes vero ad intra admittit, & de illis diſputat *cap. 12.* Iſtæ autem proprie ex Boetij ſententia non ſunt ad aliud, ideſt, ad rem, quæ habeat diuerſam naturam; ſed ſunt ad alium, id eſt, ad aliā Perſonam, habētem eandem Naturam & Eſſentiam Diuinam.

Secundo. Deus eſt re uera, & realiter Dominus: & tamē relatio dominij in Deo reſpectu creaturarum non eſt realis; ergo poterit eſſe realiter Pater, licet Paternitas non ſit realis. Reſpondeo, Deum dici realiter Dominum, non quia relatio dominij in Deo realis ſit; ſed quia creaturæ habent realem ſubiectionem erga Deum, & realiter ſubijciuntur illi; quod ſatis eſt vt Deus dicatur realiter Dominus, id eſt, ſi in altero extremorum ſit relatio realis. At ſi Paternitas non eſt realis, nec Filiatio ob eandem rationem erit realis; cum Pater & Filius ſint eiuſdem ordinis: atque ita, ſi in nullo ex his terminis eſſet Relatio realis, nullo modo Pater eſſet re uera & realiter Pater. *Capr. 1. d. 33* ait Relationes Diuinas eſſe quidem reales ratione reſpectus (in) vt ſunt idem cum Eſſentia; non tamen ratione reſpectus (ad) vt vnam Perſonam ad aliam referunt: ſumpſit autem occaſionem ita opinandi ex verbis quibuſdam. S. Thomę q. 28. a. 1. quæ tamen nihil faciunt pro hac ſententia, vt oſtendunt

dunt multi. Fallitur ergo Capreolus; quia ſi Relationes Diuinæ, vt Relationes ſunt, id eſt, vt referunt, non ſunt reales; nihil eſſet in Deo reale præter abſolutum; quare, cum omnia abſoluta ſint communia tribus Perſonis, nihil reale haberent Diuinæ Perſonæ proprium, per quod poſſent diſtingui; ac proinde nec realiter diſtinguerentur, quod eſt hæreticum. Confirmatur. Quia relationes creatæ ſecundum eſſe (ad) ſunt reales; alioquin relatio non eſſet vnum ex Prædicamentis realibus; ergo multo magis Relatio Diuina, etiam ſecundum eſſe (ad) erit realis.

Contra. Omne ens reale in accidentibus reſpicit ſubiectum: at relatio, vt relatio, id eſt ſecundum eſſe (ad) abſtrahit à ſubiecto, & reſpicit tantum terminum; ergo ſecundum eſſe (ad) non eſt realis. Nego Minorem. Quia relatio ſecundum vltimam rationem ſuam eſt forma relatiui, vt Paternitas Patris; ergo intrinſece ſecundum vltimam ſuam rationem reſpicit nō tantum terminum, ſed etiam ſubiectum, ſi re uera ſubiectum referat, & non tantùm per operationem intellectus ad terminum. Quare licet mente poſſimus concipere reſpectum ad terminum ſine reſpectu ad ſubiectum, & eſſe (ad) ſine eſſe (in) in re tamen eſſe (ad) ſi re vera referat ſubiectum, non poteſt non includere ordinem ad ſubiectum, quod refert.

An quatuor tantum ſint Relationes reales in Deo.

Notatio Vndecima.

S.Thomas. p.p.q.28.a.4.cũ ſuis. Aegidius d.25.q.2.Valentia q.2.de Trinit. puncto 1.Suar. lib 6.de Trin. cap.2.

Non videtur. Argumentum primum. Si ſunt quatuor Relationes propter duas reales productiones; ergo etiam quatuor res; quod nullo modo admitti poteſt. Nego Conſequentiam, vt notauit *S.Thom.q.32.a.2.* recte enim dicimus, in Deo eſſe quatuor Relationes reales, non tamen quatuor res: quia licet Paternitas, & Spiratio actiua non ſint ex natura rei diſtinctæ inter ſe; habent tamen terminos diſtinctos: & quia relationes ſignificant ordinem ad terminos, quos includunt, ſaltem connotatiue; ideo poſſunt, & debent dici plures propter ſolam diſtinctionem terminorũ, licet inter ſe diſtinctæ nō ſint: atque ita recte dicere poſſumus, eſſe in Deo quatuor Relationes reales, & duas productiones actiuas, licet non niſi ratione differãt

inter

inter ſe. At verò nomen (*rei*) non includit in ſuo conceptu ordinem ad aliud: quare ſi debent dici plures res, neceſse eſt vt ex ſe, & ex natura rei, non per ordinem ad aliud diſtinguantur; quod cum non habeant prædictæ Relationes, non poſsunt dici plures res, ſed vna tantum res reſpectiua, duplicem tamen habens reſpectum ad terminos realiter diſtinctos. Lege *Suar. lib. 5. cap.* 7 Illæ autem tres relationes diſtinguentes Perſonas, dicuntur tres res; non quia ſunt tres relationes tantum, ſed quia ſunt tres relationes realiter diſtinctæ inter ſe; quod non habet Paternitas & Spiratio actiua in Patre.

Contra. Multiplicato inferiori, multiplicatur ſuperius; ergo, ſi ſunt plures Relationes, ſunt plures res. Reſpondeo. Antecedens eſse verum, quando multiplicatio in inferiori, & in ſuperiori fit ſecundum eandem rationem: quod non fit hic; nam hic multiplicantur relationes tantum ratione terminorũ: ſi vero multiplicentur res, multiplicari debent, non per ordinem ad terminos, ſed in ſe. Cum ergo varietur (vt loquuntur) appellatio; ideo admiſso Antecedenti, negatur Conſequentia.

Secundum Argumentum. Omnis Relatio realis in Deo cõſtituit Perſonam; ergo ſi quatuor Relationes reales, quatuor etiam Perſonæ. Nego Antecedens. Nam Relatio Spirationis actiuæ neque conſtituit, neque conſtituere poteſt Perſonam; quia de ratione Perſonæ eſt incommunicabilitas, & Relatio Spirationis communis eſt Patri & Filio. Cuius rei ratio eſt, quia incommunicabilitas omnis in Diuinis oritur ex oppoſitione directa, aut ſaltem indirecta. Cum ergo Relatio Spirationis actiuæ opponatur ſolum Spirationi paſſiuæ, ſolum Spiritui Sancto communicari non poteſt; poteſt autem Patri & Filio, quia cum illis non habet oppoſitionem. At aliæ tres Relationes omnes opponuntur inter ſe, ideo incommunicabiles ſunt: Filiatio opponitur Paternitati, Spiratio paſſiua ſeu proceſſio directè opponitur Spirationi actiuæ, indirecte vero Paternitati & Filiationi, quia conſtituunt Perſonas ſpirantes.

An Relatio diſtinguatur ab Eſſentia realiter, vel ex natura rei.

Notatio duodecima.

S. Thom. q. 28. a. 3. cum ſuis. Caietan. Tor. Ban. Zumel, Molina. Bonauent. 1. d. 33. a. 2. Ibid. Capr. q. 1. Scotus 1. d. 2. q. 4 Ibidem Nomi-

Nominales. *Gabr.& Okam. Durand.1.d.33.q.1. Marſil.1 q.6. a.2. Henric.Quodlib.5.q.6. Valentia q.13.puncto 1.Vaſq.Diſp.120 Suarez lib.4. de Trinit.cap.4.*

Scotus 1.d.2.q.7 vult diſtingui ex natura rei, ſeu formaliter ab Eſsentia.

Probatur primo. Quia de Eſsentia & Relationibus prædicantur Propoſitiones contradicentes: dicimus enim, Eſsentia communicatur, Relatio vero non communicatur; ergo, ſaltem formaliter, debent differre; alioquin de eadem plane re veræ eſsent duæ Propoſitiones contradicentes. Reſpondeo. Hanc difficultatem & huic ſimiles oriri ex Myſterio ipſo, quod prædicamus, & eſt incomprehenſibile: nam in hoc Myſterio eſt ſumma Vnitas ſimul cum Trinitate perfecta; ita tamen, vt neque Trinitas obſit Vnitati, neque Vnitas Trinitati. Itaque in Deo ſunt vere tres Relationes diſtinctæ, quia in Deo eſt perfecta Trinitas: ſed quia Trinitas non obeſt Vnitati, hæ tres Relationes ſunt idem cum Eſsentia non modo re, ſed etiam formaliter. Itaque ad argumentum, admitto Antecedens, & nego Conſequentiam. Et ratio eſt. Quia licet Eſsentia & Relatio ſint vna res, & vna omnino formalitas; æquiualet tamē illa vna formalitas, quæ eſt ſimul abſoluta & reſpectiua, duabus rebus, & formalitatibus diſtinctis; ideo præſtat ea, quæ præſtarent duę res, & duæ formalitates diſtinctæ. Quare, vt eſt abſoluta, habet rationem Eſsentiæ, vt reſpectiua, rationem Relationis; vt abſoluta, conſtituit Deum; vt reſpectiua, Perſonam Diuinam: neque ad hoc requiritur, vt actu facta ſit diſtinctio à noſtro intellectu; ſed ſatis eſt ſi poſſit fieri, vt notat hic Canarienſ. hoc eſt, ſufficit diſtinctio virtualis, vel fundamentum diſtinctionis: nam vere ante omnem diſtinctionē à noſtro intellectu Deitas eſt in Filio, & non Paternitas; illa communicatur, & iſta non communicatur. Diſtinguitur ergo Relatio ab Eſsentia re, & ex natura rei, non abſolute, ſed virtualiter. Ad probationem dico, Propoſitiones illas non eſse contradicentes; quia dicuntur quidem de eadem re, ſed non ſub eadem ratione, vt explicatur in Theoria.

Secundo. Si Relatio non differt ex natura rei ab Eſsentia; ergo nō magis differt Relatio ab illa, quam ſapiētia; ergo ſicut nō poteſt communicari Eſsentia quin communicetur ſapiētia, ita non poteſt à Patre communicari Eſsentia, niſi communicetur

tur Paternitas; at hoc eſt falſum, vt conſtat; ergò. Confirmatur. Quia ſi tantum ratione differt Eſsentia à Relatione; ergo non magis differt à Relatione, quam à ſe ipſa: quod dici non debet. Reſpondeo, concedendo primam Conſequentiam. Ad ſecundam autem Conſequentiam dico, Relationes non magis diſtingui ab Eſsentia, quam Attributa: ſed Relationes non ſunt idẽ adæquate cum Eſsentia, vt ſunt Attributa: ideo Eſsentia communicari non poteſt ſine Attributis; poteſt tamen communicari ſine Relationibus. Non eſt autem idem adæquate Relatio cum Eſsentia: quia Relatio habet oppoſitum terminum, cum quo non poteſt eſse idem: at Eſsentia, cum ſit ſimpliciter infinita, & nulli opponatur termino relatiuo, poteſt eſse idem cũ vtroque termino relatiue oppoſito. Exempli cauſa. Eſsentia, cum non opponatur Paternitati, neque Filiationi, poteſt eſse idem cum vtraque: at Paternitas, quia opponitur Filiationi, nõ poteſt eſse idem cum Filiatione, nec reperiri in eadem Perſona cum illa. Hinc apparet, Paternitatem non eſse idem adæquate cum Eſsentia, ac proinde poſse reperiri in aliqua Perſona Eſsentiam, in qua tamen non ſit Paternitas. Addit *Ferrar. 2. contra Gentes cap. 19.* magis diſtingui Relationes ab Eſsentia, quam Attributa: non actualiter quidem, cum tantum ratione diſtinguantur, ſed fundamentaliter: quomodo poſsunt ea, quæ ſola ratione diſtinguuntur, magis vel minus diſtingui. Eſt enim maius fundamentum diſtinguẽdi Relationẽ ab Eſsentia, quam Attributa abſoluta: nam ad hæc diſtinguenda fundamentum eſt illa plenitudo Diuinæ Naturæ, quæ æquiualet infinitis perfectionibus creatis: at fundamentum diſtinguendi Relationes, præter plenitudinem illam Diuinæ Naturæ, eſt etiã realis oppoſitio, & diſtinctio ipſarum inter ſe. Ad Confirmationem Reſpondeo, Eſsentiam differre à ſeipſa ratione ratiocinantis, & à Relatione, ratione ratiocinata.

Tertio. Relationes ex communiori ſententia non ſunt de Eſsentia Diuinæ Naturæ; ergo diſtinguuntur formaliter, ſiue ex natura rei ab illa. Tranſeat Antecedens, ſed nego Conſequẽtiam. Quia, vt diximus, in hoc Myſterio Trinitas non obeſt Vnitati: at obeſset, ſi tres Diuinæ Relationes diſtinguerentur formaliter à Diuina Natura: quia Deus non eſset ſimpliciſſimus, ſed compoſitus ſaltem Metaphyſice. Quare dicendum eſt, vnicum illud ens, quod eſt ſimul abſolutum & reſpectiuũ,

Oo habere

habere vnicam formalitatem comprehendentem tam Eſſentialia, quam Perſonalia, licet Perſonalia non ſint de Eſſentia Diuinæ Naturæ. Quod ſi capi difficile poteſt, expectandum, inquit *Auguſtinus lib. 7. de Trinit. donec dies illuceſcat in cordibus noſtris.*

Quarto. Pater æternus, vel intelligit Eſſentiam & Perſonam tanquam duas rationes formales, vel tanquam vnam rationem: ſi primum: ergo ex natura rei Perſona diſtinguitur ab Eſſentia: Si ſecundum; ergo intelligit, Perſonam poſſe communicari perinde ac Eſſentiam, quod eſt falſum. Reſpondeo. Patrem videre Diuinam Eſſentiam, vt eſt; ideo videt non diſtingui à Relationibus; ſed videt, eandem rem ſimpliciſſimam communicabilem eſſe quoad Eſſentiam, non quoad proprietates Perſonales; vel, quod idem eſt, eandem rem eſſe abſolutam, & ſub hac ratione eſſe communicabilem; & reſpectiuam, & ſub hac ratione non poſſe communicari.

Quinto. Implicat, per idem à parte rei aliquid conuenire, & differre ab eodem: at ſi Relationes non differant ab Eſſentia, cum per hanc Pater conueniat cum Filio, & differat per Relationem Paternitatis; per idem conueniret, & differret. Nego Maiorem. Nam per eandem rem poteſt aliquid conuenire, & differre ab alio, ſed non ſub eadem omnino ratione; & ita fit hic: nam per hoc idem ens, vt eſt reſpectiuum, differunt inter ſe Perſonæ Diuinæ; per idem, vt eſt abſolutum, conueniunt. Quare, quando res eſt actu vna, & virtute multiplex, vt accidit hic; tunc poteſt eſſe principium conueniendi, quatenus eſt vna perfectio, & principium differendi, quatenus eſt altera.

Sexto. Eſſentia & Relationes diuerſo modo deſcribuntur à Patribus. Nam *Auguſt. 7. de Trinit. cap. 4. ait, Aliud eſſe Deū, & aliud eſſe Patrem.* Idem habet *S. Baſil. lib. 2. contra Eunom.* at, quæ differunt definitione, differunt formaliter, & ex natura rei; ergo. Confirmatur. Quia *Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 9.* dicit, Relationes eſſe modos exiſtendi Diuinæ Naturæ; ergo ex natura rei ab illa differunt.

Reſpondeo. Quādo Patres loquuntur hoc modo, loquuntur de Eſſentia, & Relationibus, vt mente diſtinguuntur à nobis: hoc enim modo dicimus, Eſſentiam eſſe ad ſe, & Paternitatem eſſe ad aliud; quod eſt dicere, conceptum, quem nos formamus de Eſſentia, eſſe alium à conceptu, quem formamus

de-

de Relatione: ſed ſi loquamur de re, vt eſt in ſeipſa, non vt à nobis concipitur; hoc modo ſumpta, eſt vnum ens, vt diximus, & vna formalitas in re ſimul abſoluta & reſpectiua. Quare ſi poſſet definiri Deus, definitio explicaret Eſſentiam, vt eſt in tribus Perſonis. Dices. Licet eſſe in tribus Perſonis ſit eſſentiale & intrinſecum Diuinæ Naturæ, ipſæ tamen Perſonæ non ſunt de Eſſentia: ergo diſtinguuntur formaliter, & definitione. Ad hanc difficultatem reſpondimus in ſolutione tertij argumenti. Ad Confirmationem. Concedo Antecedens, & nego Conſequentiam. Differt enim Relatio virtualiter tantum ab Eſſentia, vt diximus: licet enim ſit idem omnino cum Eſſentia re, & formaliter; præſtat tamen id, quod præſtat modus realiter, vel ex natura rei diſtinctus in natura creata.

Quomodo diſtinguantur inter ſe Relationes, quæ non habent oppoſitionem, vt Paternitas, & ſpiratio actiua in Patre.

D. Thomas. p. p. q. 32. a. 2. & 3. ibidem eius diſcipuli. Capr. 1. d. 13. q. 1. Marſilius q. 30. a. 4. Dubio 2. Scot. Quodlib. 5. a. 2. Durand. 1. d. 13. Vaſq. Diſp. 138. *Notatio decima tertia.*

Durandus in 1. d. 13. q. 2. Probat diſtingui re multis rationibus. Afferemus quæ videntur habere aliquam vim. Prima ducitur ex terminis; quia habent terminos realiter diſtinctos: nam Paternitas terminatur ad Filium, Spiratio actiua ad Spiritum Sanctum: hi duo diſtinguuntur realiter; ergo & Relationes: immo habent terminos diſparatos: filiatio enim & Spiratio ſunt Relationes diſparatæ; ergo & termini earum. Confirmatur. Nam alioquin Filius per eandem Relationem referretur ad Patrem producentem, & ad Spiritum Sanctum productum. Nego Conſequentiam. Nam ex eo quod termini duarum relationum ſint realiter diſtincti, aut relationes ipſæ ſint diſparatæ, non concluditur in rebus creatis realis diſtinctio relationũ, ſed formalis tantum. Conſtat hoc, quia duæ relationes in eodẽ ſuppoſito, vna ad producentem, & altera ad productum, ſunt ad terminos realiter diſtinctos: & tamen ſolum formaliter diſtinguuntur. Et in eodem ſubiecto albo, relatio ſimilitudinis ad ſubiectum album, & diſſimilitudinis ad ſubiectum nigrum, ſunt relationes diſparatæ; & tamen formaliter tantum, non

realiter diſtinguuntur: idem ergo deberet cõcludi in Deo: ſed Deus ob ſimplicitatem ſuam non eſt capax diſtinctionis formalis; ideo quæ in rebus creatis, formaliter, in ipſo, ſola ratione diſtinguuntur cum ſola virtuali diſtinctione formali. Ad Confirmationem. Reſpondeo, Filium referri ad Patrem per Filiationem, & ad Spiritum Sanctum per Spirationem actiuam: ſed aſſero, has duas Relationes inter ſe non differre niſi ratione, vel ex natura rei, non abſolute, ſed virtualiter tantum.

Secunda ducitur ex actionibus. Generare & Spirare realiter diſtinguuntur; ergo Paternitas & Spiratio actiua, iſtarũ actionum principia, realiter inter ſe diſtinguuntur. Probatur Antecedens. Nam Generari & Spirari realiter diſtinguuntur; ergo Generare & Spirare. Cõfirmatur. Vt ſe habet Generare ad Generari, ita Spirare ad Spirari; ergo à commutata proportione, vt ſe habet Generari ad Spirari, ita Generare ad Spirare; ſed Generari & Spirari realiter diſtinguuntur; ergo & Generare & Spirare. Nego Antecedens. Ad probationem. Admitto Antecedens, & nego Conſequentiam. Quia ſicut ab vna potentia actiua poſſunt eſſe multæ paſſiones, ſic à productione Dei realiter vna duæ paſſiones, & duo termini diſtincti, id eſt, duæ Perſonæ: actio enim, quæ eſt in Deo, habet ſe ſicut potentia operatiua. Quare in creatione rerum, vnica actione immanenti, hoc eſt, vnica voluntate multa creauit Deus realiter diſtincta inter ſe. Ad Confirmationem. Nego primam Conſequentiam. Nam inter Filiationem & Proceſſionem paſſiuam eſt oppoſitio indirecta; quæ tamen nulla eſt inter Paternitatem & Spirationem actiuam: & ita, licet Filiatio & Proceſſio diſtinguantur: non diſtinguuntur tamen Spiratio actiua & Paternitas. Et quidem, ſi forma illa argumentandi valeret, concluderet etiam, dari quatuor Perſonas, hoc modo. Sicut ſe habet Pater ad Filium, ita ſe habet Spirator ad Spiritum Sanctum; ergo à commutata proportione, ſicut ſe habent Filius & Spiritus Sãctus, ita ſe habent Pater & Spirator: ſed Filius & Spiritus Sanctus ſunt Perſonæ diſtinctæ; ergo etiã Pater & Spirator. Cõmutata ergo illa proportio locum habet, quando res ſunt eiuſdem rationis, quæ commutantur: quod non eſt hic, neque ab Euclide probatur niſi in quantitate.

Tertia ducitur ex ſubiectis. Quia Spiratio actiua eſt in Patre & Filio, qui realiter diſtinguuntur, quod non habent cæ-

teræ Relationes Perſonales, quæ ſingulæ ſunt in ſingulis Perſonis; ergo ſignum eſt, realiter differre ab illis. Reſpondeo. Hoc argumentum eſse idem cum illo, quod fiebat de Eſsentia & Relationibus: Eſſentia communicatur, Relatio non cõmunicatur; ergo differunt realiter, aut formaliter: Nego Conſequentiam. Sicut enim in Patre & Filio licet realiter diſtinguantur, poteſt eſse vna numero Natura, & vna numero Voluntas; ita poterit eſse vna numero Spiratio actiua, quæ quodammodo fundatur in illa. Dixi (quodammodo) quia nõ bene dicimus, Diuinas Relationes eſse in eo, in quo ſunt, tanquã in ſubiecto, cũ per ſe ſubſiſtãt, ſed dicũtur eſse in eo per modũ idẽtitatis. Quod ſi inſtes. Spiratio actiua ſicut poteſt eſse in duabus Perſonis, ita poterit eſse in tribus, ac proinde poterit eſse etiã in Spiritu Sancto; Reſpondeo, Non poſse, propter oppoſitionẽ, quam haberet in illa tertia Perſona, quam oppoſitionem non habet in alijs duabus: ſicut ergo non poteſt in vna & eadem Perſona eſse Paternitas & Filiatio: ita nec Spiratio actiua & paſſiua.

Quarta ducitur ex oppoſitione. Nam ſi non diſtinguuntur realiter, maxime, quia non opponuntur inter ſe; at eadem ratione Paternitas non diſtinguetur à proceſſione, quia non habet oppoſitionem cum illa. Reſpondeo. Quomodo diſtinguatur proceſſio Spiritus Sancti à Paternitate & Filiatione, dicetur infra, vbi de Spiritu Sancto. Nunc breuiter reſpondeo, Spiritũ Sanctum, & proceſſionem paſſiuam diſtingui realiter à Patre & Filio: directe quidem, ratione Spirationis actiuæ, cui proceſſio directe opponitur: indirecte vero ratione Paternitatis & Filiationis; quia ab his, & non à Spiratione actiua conſtituuntur Pater & Filius, à quibus ſpiratur Spiritus Sanctus.

An diſtinguantur ſaltem ex natura rei.

Probatur diſtingui ex natura rei, vt ſentit Scotus. Primo Paternitas & Spiratio ſunt duæ Relationes reales; ergo duæ res: ergo ad minus diſtinguũtur ex natura rei. Ad hoc Argumentum dictum eſt ſupra *q.2. de Relationibus*. *Notatio decima quarta.*

Secundo. Iſta Propoſitio Paternitas eſt Spiratio, non eſt vera, vt docet *S. Thom. q.31. a.2.* At eſſet vera, ſi non diſtingueretur Paternitas à Spiratione ex natura rei: ſicut vera eſt iſta

Iuſtitia Dei, eſt Miſericordia: quia Iuſtitia à Miſericordia diſtinguitur tantum ratione.

Gab. 1. d. 17. defendit, Propoſitionem illam eſſe veram. Idem contendit noſter Molina in *q. 32. a. 3. Diſp. 2.* ſed dandum eſt aliquid S. Thomæ.

Reſpondeo ergo, vtramque Propoſitionem allatam eſſe veram in ſenſu identico, & falſam in ſenſu formali. Cur ergo S. Thomas admittit, primam Propoſitionē eſſe veram, ſecundam eſſe falſam? Quia Propoſitiones illæ in quibus vnū Attributum prædicatur de alio, recte accipi poſſunt tam in ſenſu formali, in quo ſunt falſæ, quam in identico, in quo ſunt veræ. At Propoſitiones illæ, in quibus vna relatio in abſtracto prædicatur de alia, non poſſunt ex S. Tho. ſententia accipi niſi in ſenſu formali, in quo ſenſu ſunt falſæ. Non poſſe autem accipi niſi in ſenſu formali, deducit S. Tho. ex eo, quod cum intrinſece reſpiciant, & ſint ad diuerſos terminos, nomina ſignificantia has relationes, non ſignificant illas, niſi vt ratione diſtinctas inter ſe. Adde, terminos illos eſſe realiter diſtinctos: quare ſicut vnus terminus non poteſt prædicari de alio, ita nec vna relatio de alia, ne terminos ipſos videamur confundere, qui in conceptu ipſarum relationum quodammodo comprehenduntur.

Tertio. Hæ relationes à parte rei habent diſtinctum eſse (ad) quia reſpiciunt diſtinctos terminos formales, nempe Filium & Spiritum Sanctum: ergo. Reſpondeo, negando Conſequentiam. Quia licet Filius & Spiritus Sanctus diſtinguātur inter ſe; duo tamen illi reſpectus (ad) qui ſunt in Patre ad has duas Perſonas, non diſtinguuntur niſi ratione, vel formaliter, ſi loquamur de diſtinctione virtuali. Licet enim, vt diximus ad primum Durandi, in rebus creatis hæc diuerſitas terminorum poſſet inferre diſtinctionem formalem; in Deo tamen non infert niſi diſtinctionem rationis, qui ob ſuam ſimplicitatem incapax eſt diſtinctionis formalis, niſi virtualiter tantum: præſtāt enim duo illi reſpectus diſtincti ſolum ratione, quod præſtant in rebus creatis diſtincta formaliter.

An Relationes ſint de eſſentia Deitatis.

Notatio decima quinta. *D. Thomas p. p. q. 33. a. 3. ad 1. Henricus Quodlib. 5. q. 6. Ægidius* 1. *d. 4. a. 2. Argentina ibidē. Torres p. p. q. 28. a. 2. & q. 59. Ferrar. 2.*

contra

contra Gentes c.9. Vaſquez Diſput. 121. Suarez lib.4. cap. 7.

Videntur eſſe. Primo. In Deo nihil eſt accidentale; ergo Relationes ſunt de Eſſentia Dei. Reſpondeo. Relationes non eſſe accidentia in Deo, neque vero eſſe Eſſentiales Naturæ Diuinæ, ſed proprietates quaſdam Subſtantiales ratione diuerſas ab Eſſentia, & intrinſece ſimul cum Eſsentia pertinentes ad cõſtitutionem Perſonæ: ſicut in humanis, licet ſubſiſtere non ſit eſsentiale naturæ; non propterea tamen accidens eſt, ſed eſt modus quidam Subſtantialis complens rationem perſonæ, licet plus differat à natura, quam Relatio in Diuinis.

Secundo. Deus eſt Eſsentialiter trinus; ergo Relationes, ſecundum quas eſt trinus, ſunt de Eſsentia Dei. Nego Antecedens. Nam Deus eſt quidem Eſsentialiter vnus, ſed eſt trinus non Eſsentialiter, ſed Perſonaliter tantum: nam ſi eſset Eſsentialiter trinus, *Pater*, cum ſit perfectus Deus, eſset trinus. Quare Eſsentia ipſa exigit trinam Relationem, ſecundum quam Deus, qui in Eſsentia vnus eſt, trinus ſit Perſonaliter. At ſi Relationes eſsent de Eſsentia Naturæ Diuinæ, vix poſset explicari, quomodo Deus non eſset trinus in Eſsentia, & quomodo Eſsentia eſset indiuidua, & non diſcreta. Dices. Iſta Propoſitio, *Deus eſt trinus*, vel *Trinitas*, eſt per ſe; ergo Relationes, ratione quarum eſt trinus, ſunt de Eſsentia Deitatis. Nego Cõſequentiam. Eſt Propoſitio *per ſe* ſecundo modo; quia ſubiectũ eſt de eſsentia prædicati, non prædicatum de eſsentia ſubiecti, vt in hac Propoſitione, *Animal eſt homo*.

Tertio. Relatio eſt ipſa Dei Eſsentia; ergo eſt de Eſsentia. Ad hoc argumentum reſponſum eſt in Theoria.

Quarto. Si quis perfecte definiret Eſsentiam Dei, neceſsario includeret in definitione Relationes; ergo ſunt de Eſsẽtia Dei. Negatur Antecedens. Quia ſi definiri poſset Deus, cum Relationes non ſint de Eſsentia Diuinæ Naturæ; non includerentur in eius definitione. Quare ſi aliqui Patres interdum dicere videntur, eſse Eſsentiales, intelligendi ſunt ſano modo. Tum quia ob ſummam identitatem, quam habent cum Eſsentia, non diſtinguuntur ab illa ex natura rei; ideo non poſset vnum definiri, quin includeretur aliud identice: Tum quia Relationes ſunt conſtitutiuæ Diuinarum Perſonarum, in quibus Eſsentialiter eſt Deus.

An

An ſit Eſſentiale Diuinæ Naturæ eſſe in tribus Perſonis.

Notatio decimaſexta.

Non videtur. Primo. Si de Eſsētia Dei eſt eſse in tribus Perſonis; ergo etiam tres Perſonæ ſunt de Eſsentia Dei. Confirmatur. Quia cum Eſsentia Dei ſit in tribus Perſonis, ſaltem per identitatem, idem erit, eſse in illis, & eſse illas: quare ſi Eſsentiæ Eſsentiale eſt eſse in tribus Perſonis, erit etiam Eſsentiale eſse tres Perſonas. Reſpondeo. Non ſequi. Quia eſse in tribus Perſonis eſse de Eſsentia Deitatis, nihil aliud eſt, quam Eſsentiam Dei communicabilem eſse tribus Perſonis, & intrinſece poſtulare, vt ſit in illis, quod non eſt intrinſece & eſsentialiter includere Perſonas: ſicut eſse poſse in ſubiecto, eſsētiale eſt accidenti; nō tamen ſequitur: ergo ſubiectū eſt de eſsentia accidētis. Ad Cōfirmationem. Reſpondeo. Neque illud ſequi. Quia cum Eſsentia dicitur eſse in tribus Perſonis, diſtinguitur illud eſse, quod habet in ſe, ab eo, quod conferunt Perſonæ; & illud eſt Eſsentiale, non iſtud. At quando Eſsentia dicitur eſse Perſona, includitur illud eſse, quod habet à Perſonis, quod non eſt Eſsentiale, ſed Perſonale.

Secundo. Quicquid eſt Eſsentiale, debet conuenire ſingulis Perſonis: at eſse in tribus Perſonis, non poteſt conuenire ſingulis Perſonis; ergo. Quidam Reſpondent hoc modo. Aliquid poſse dici de Eſsentia Dei dupliciter. Primo. Quia ſit aliquid abſolutum, quod Deo conuenit ſine vllo ordine ad Perſonas, vt ſunt Attributa. Secundo. Quia ſit aliqua perfectio, quæ intrinſece connotet Perſonas; huiuſmodi eſt, Eſsentiam debere limitari pluribus Relationibus: aut quia includat præciſionem à Perſonis; huiuſmodi eſt, Eſsentiam eſse communicabilem tribus Perſonis: quod habere non poteſt, niſi vt, virtualiter ſaltē, diſtinguitur à Perſonis; nam Perſona eſt incommunicabilis. Quæ ergo ſunt de Eſsentia Diuinæ Naturæ priori modo, conueniunt ſingulis Perſonis; non tamen quæ ſunt de Eſsentia poſteriori modo: inter quæ eſt, Eſsentiam eſse in pluribus Perſonis. Idem aliqua ratione videmus accidere etiam in creaturis. Nam Generi alicui v.g. Animali, quædam conueniunt ſine vllo ordine ad Differentias: vt, eſse ſenſibile; & hoc conuenit omnibus Speciebus, quæ habent pro Genere Animal. Quædam vero conueniunt illi in ordine ad Differētias; vt poſse contrahi pluribus Differentijs: & hoc Speciebus non conuenit, licet de

earum eſsentia ſit Animal. Alij breuius reſpondent. Quod eſt Eſsentiale Diuinæ Naturæ conuenire ſingulis Perſonis, nō abſolute; alioquin cum Diuina Natura ſit communicabilis, etiam Perſona, in qua reperitur Natura, eſſet communicabilis; ſed debet conuenire Perſonis, quatenus tantum habent Diuinam Naturam. Hoc eſt ſingulis Perſonis conuenit habere Naturam, quæ eſſentialiter eſſe poteſt in multis Perſonis. Quod veriſſimum eſt. Naturæ enim Diuinæ, quæ reperitur exempli cauſa, in Spiritu Sancto, Eſſentiale eſt, eſſe in pluribus Perſonis, nimirum in Patre, etiam, & Filio. Immo ratione Diuinæ Naturæ etiam Perſona ipſa Spiritus Sancti, quæ incommunicabilis eſt, dicitur eſſe in Patre, & Filio per circumínceſſionē, vt diximus in Theoria, agentes de Immanentia Perſonarum.

An Natura Diuina ſit de Eſſentia Relationum.

D.Thomas p.p.q.33.a.3.ad 1. *Altiſiodorēſis* 1. *d.*33. *q.* 1. *cōcl.*4. *Henric.Quodlib.*5. *q* 6. *Torres, & Zumel q.*28. *a.*2. *Vaſq. Diſp.*121. *c.*2. *Suarez l* 4. *c.*7. & 8. *Notatio decima ſeptima.*

Non videtur. Primo. Quia Eſsentia eſt quid abſolutū; ergo nō poteſt eſse de Eſsentia Relationū; alioquin relatio eſset abſoluta, ac proinde ſimul reſpectiua & non reſpectiua. Ad hoc argumentum reſponſum eſt in Theoria. Ad maiorem tamen explicationem, nego Conſequentiam. Quia ſicut eſt ſingulare in hoc Myſterio, Eſsentiam vnicam & ſingularem eſse communem tribus Perſonis; ita etiam cum ſit abſoluta, eſse Eſsentialē tribus Relationibus. Nec ſequitur, Relationem eſse, & nō eſse ad aliud, ſed ſimpliciter eſse ad aliud; quia hoc illi conuenit ſecundum propriam rationem, qua Relatio eſt, licet non ratione Eſsentiæ, ſibi & cæteris Relationibus communis. Quod docetur exemplo relationis creatæ. Hæc enim includit rationem accidentis communem; quæ licet non ſit abſoluta; non eſt tamen ad aliud. Neque tamen dici poteſt relatio eſse ad aliud & non eſse ad aliud, ſed abſolute dicitur eſse ad aliud; quia hoc illi conuenit ſecundum propriam rationem relationis, licet non ſecundum rationem accidentis in communi.

Secundo. Dicitur in Cap *firmiter*, Trinitatem eſse ſecundum communem Eſsentiam indiuiduam, & ſecundum Perſonales proprietates diſcretam; ergo hæ Relationes ſecundū ſe totas

propriæ ſunt Perſonarum; ergo qua Relationes ſunt, non includunt aliquid commune omnibus, hoc eſt, Eſsentiam. Reſpondeo, admitto Antecedens, & diſtinguo Conſequentiam. Nam ſi ſenſus ſit. In ſingulis Perſonis eſse aliquid, quod totum ſit proprium illarum, hoc eſt, quod totum ſecūdum rationem, quam dicit, ſimul ſumptum, non conueniat alteri; verum eſt: nam Pater (exempli cauſa) dicit Eſsentiam & Paternitatem, quod totum ſimul ſumptum nulli alteri Perſonæ conuenit; & Relatio ipſa Paternitatis, præter Eſsentiam, includit reſpectū ad Filium; quæ duo ſi ſimul ſumantur, nulli alteri Relationi Diuinæ conueniunt: & hoc ſolum voluit Concilium Lateranenſe in Cap. *firmiter*. Si autem ſenſus ſit. In ſingulis Perſonis eſse debere aliquid, quod totum ita ſit proprium illarum, vt ſecundum nullam ſui rationem cōueniat alteri, eſt falſum; quia nihil in Deo concipi poteſt præciſum a ratione entis à ſe, quæ eſt proprijſſima ratio Deitatis communis omnibus, quæ in Deo ſunt.

Tertio. Relatio concipitur vt conſtituens Perſonam, & vt quid adueniens Eſsentiæ, & illam determinans: ſed quod conſtituit, debet aliquid minus includere quam conſtitutum: & quod determinat, non debet includere illud ipſum, quod determinat; ergo Relatio non includit Eſſentiam; alioquin tantum includeret Relatio quantum Perſona: ſicut enim Perſona dicit Relationem & Eſſentiam; ita etiam Relatio, ſi Relatio includat eſſentiam; & cum determinet Eſſentiam, ſi includat Eſſentiam, idem determinaret ſeipſum. Concedo Maiorem. Ad Minorem reſpondeo. Illud eſſe verum in conſtitutione & determinatione rei compoſitæ, non rei ſimplicis, cuiuſmodi eſt Perſona Diuina. Nam in conſtitutione rei ſimplicis idem conſideratum per modum formæ, intelligitur eſſe conſtitutiuum ſui ipſius in concreto per modum totius. Sic dicimus, *Perſonalitas conſtituit Perſonam*, & quod determinat, includit in ſe illud ipſum, quod determinat. Alioquin conſtitutum & determinatum non eſſet aliquid ſimplex, ſed compoſitum, ex eo, quod determinatur & conſtituitur, & ex determinante, & conſtituēte, quod vere aliquid contineret, quod non erat in determinato & conſtituto. Non tamen dici debet abſolute, idem conſtituere ſe ipſum & determinare; quia idem, eodem modo ſumptum, non conſtituit & determinat ſe ipſum, ſed ſumptum di-

uerſo modo: conſtituit, ſumptum per modum formæ, vt dicebamus; conſtituitur, ſumptum in concreto per modum totius. Et quod determinat, ſemper intelligitur ſuperaddere rationē aliquam, quæ non intelligebatur eſſe in eo, quod determinatur, vt determinatur. Sic Relatio dicitur determinare Eſſentiā; quia illi addit reſpectum ad terminum, quem non dicebat Eſſentia, vt Eſſentia. Exemplo ſit Summum Genus. In Prædicamento Subſtantiæ modus per ſe exiſtendi, qui cum ente conſtituit ſubſtantiam, includit rationem entis; & tamen dicitur quodammodo determinare rationem entis; non quod illam rationem entis non includat (ſubſtātia enim includit rationem entis) ſed quia dicit aliquam rationem, id eſt, eſſendi per ſe, quam non dicebat ratio entis, vt ratio entis.

An Diuinæ Relationes dicant perfectionem, vt ratione diſtinguuntur ab Eſſentia.

D. Thomas p.p.q.28.a.2.ad 3. Herueus 1.d.2.q.4 Scotus 1.d.8. q.4.& 3.d.1.q.1.& Quodlib 5.a.1.& 2. Gabr.1.d.7.q.3.a.3. & d.9.q.1. Durand.in 3.d.1 q.8. Capr.d.7.q 1.a.2. Maior. 1.d.33. q.1. Caietan q.28.a.2. Ibidem Torres, & Zumel, Molina q.42 a.6. Diſput.2. Valentia q.2. Puncto 1.& q.4. puncto 1. Vaſq. Diſp. 122. Suarez lib.3. de Trinit c 9. *Notatio decima octaua.*

Non videtur Primo. Quia relatio creata nullam dicit perfectionem, ſaltem eſt dubium an dicat perfectionem: ergo idem, de Diuina. Reſpondimus *q 1. de Relationibus*, Relationes etiam creatas, ſecundum vtrumque reſpectum eſſe reales, & conſequenter dicere perfectionem, licet extrinſecam: quia tamen relatio non differt realiter à fundamento; hinc fit, vt defectus huius perfectionis non appareat, quouſque remanet fundamentum. Deinde licet admitteretur Antecedens, negatur tamen Cōſequentia Quia Relationes Diuinæ ſunt multo præſtantiores creatis: ſubſiſtunt, conſtituunt Perſonas, diſtinguūt illas realiter in ſe, complent rationem potentiæ, & Diuinarum proceſſionum. Quare licet relatio creata, non eſſet perfectio, eſſet tamen Relatio Diuina.

Secundo. Si Relatio Diuina dicit perfectionem; ergo ſicut ſunt tres Relationes, ita etiam, tres perfectiones, & tres perfecti: quod admitti non debet, ſicut non admittemus eſſe tres

Pp 2 æter-

æternos, & tres immenſos. Reſpondeo. Abſolute dici debet vnam eſſe tantum perfectionem in Deo, & vnum perfectum, propter vnicam Eſſentiam Diuinam in omnibus Perſonis. Cum addito tamen, recte dicere poſſumus, in Deo eſſe tres perfectiones Relatiuas, & tres perfectos Relatiue.

Tertio. Si relatio dicit perfectionem, vel dicit finitam, vel infinitam. Reſpondimus in Theoria, dicere perfectionem infinitam tantum in ſuo genere, ſi ſumatur ſecundum illam rationem, quam intelligitur ſuperaddere Eſſentiæ.

Quarto. Sequeretur eſſe aliquam perfectionem in vna Perſona, quæ non eſſet in alia. Reſpondimus in Theoria, eſſe in vna Perſona perfectionem aliquam Relatiuam, quæ formaliter non eſt in alia; non tamen eſſe Perſonas inæquales: quia hæc perfectio, quæ eſt formaliter in Patre, eſt etiam in Filio. Quidam dicunt, identice. Quia in Filio eſt Eſſentia, quæ eſt eadem omnino entitas cum Paternitate, ſicut eſt cum Filiatione; ac proinde Paternitas identice eſt in Filio. Alij, æquiualenter. Quia in Filio eſt Eſſentia, quæ continet in ſe omnem omnino perfectionem, & formaliſſime identificat ſibi omnes Relationes. Alij, eminenter. Quia Eſſentia, præciſis Relationibus per intellectum, continet illas eminenter. Hi omnes modi idem dicunt in re, licet voce differant. Sed contra vltimum modum de eminentia obijcitur. Nihil poteſt contineri eminenter in alio niſi tanquam in cauſa, aut tanquam in ente perfectiori: at Eſſentia non poteſt eſſe cauſa Relationum, & tam Eſſentia, quam Relatio ſunt ens Diuinum; ergo neutro modo contineri poſſunt eminenter in Eſſentia. Reſpondeo. Hoc eſſe verum in ijs, quæ eſſentialiter & realiter differunt, in quibus ſemper quod continetur eminenter, vel eſt effectus alterius, vel aliquid re ipſa imperfectius. Inter Eſsentiam autem & Relationes, non reperitur talis eminentia, ſed dicitur eſsentia continere eminenter Relationes. Tum quia ipſa eſt infinita ſimpliciter, Relationes vero tantum in genere ſuo; at quod eſt infinitum ſimpliciter, debet continere quicquid eſt infinitum in genere. Tum quia, licet Eſsentia non ſit proprie cauſa Relationum; eſt tamen origo & fundamentum illarum. Ideo dicunt aliqui, Relationes non eſse proprie eminenter, ſed quaſi eminenter in Eſsentia.

Quinto. Duæ Species non poſsunt eſse æqualis perfectio-

ctionis, ex 8. Metaph. ergo Paternitas, vel eſt perfectior, vel imperfectior Filiatione. Reſpondeo. Primo, rem eſſe dubiam, an duæ Species creatæ eſſe poſſint eiuſdem perfectionis: quæ enim inæqualitas perfectionis eſſe poterit inter relationem ſimilitudinis cum albo, & diſſimilitudinis cũ nigro? Secundo reſpondeo. Quicquid ſit in rebus finitis, hoc tamen in rebus infinitis non habet locum: nam inæqualitas eſſe non poteſt niſi inter ea, quæ comparari poſſunt ſecundum exceſſum & defectum, quod certe in infinitis locum non habet. Licet ergo Paternitas & Filiatio ſint perfectiones relatiuæ, veluti ſpecie diuerſæ; neutra tamen poteſt eſſe perfectior altera ob infinitatem vtriuſque. Contra. Licet vtraque ſit infinita, poteſt exceſſus eſſe in perfectione ipſa: Vt ſi daretur infinitum argentum, & infinitum aurum, perfectius eſſet ſecundum infinitum, priori infinito. Reſpondeo. Relationem perfectiorem peti debere ex perfectiori fundamento, vel termino. At in Trinitate omnium Relationum eſt idem fundamentum Diuina Eſſentia, & terminus, æqualis omnino perfectionis, Diuina ſcilicet Perſona. Cur ergo ſit vna perfectior alia? Ratione autem ſolius oppoſitionis, non debent dici æquales vel inæquales, ſed diuerſæ. Ratio eſt. Quia quæ dici poſſunt æqualia vel inæqualia, neceſſe eſt vt habeant quantitatem eiuſdem rationis: at Relationes iſtæ ſunt diuerſarum rationum, ideo potius dici debẽt diuerſæ, quam inæquales. Contra. Conueniunt in ratione relationum; ergo in hac comparari poſſunt. Reſpondeo. Si aliquo modo in hac ratione comparentur, nulla eſt ratio cur ex formali diuerſitate relatiua, quam habent, dici poſſint æquales vel inæquales, niſi forte voce tantum; cum ratione fundamenti & termini ſint æquales omnino, vt dictum eſt.

An poſſimus in Deo vti nomine Perſonæ.

Sic omnes Scholaſtici Veteres & Recentiores contra Vallam. lege Valentiam p.p. q. 3. de Trinit. Puncto 3. Vaſq. in q. 29. D. Thom. ad art. 3. *Notatio dictionis.*

Non videtur. Primo. Marius Victorinus tantus vir, nunquã vti voluit nomine Perſonæ. Auctor etiam libri *de Duabus Naturis*, fatetur, improprie de Deo dici; ergo. Reſpondeo. Ita eſſe; quia ſpectarunt originem nominis, ratione cuius tribui

non

non poteſt Deo niſi improprie, vt diximus in Theoria.

Secundo. *Perſona* apud Latinos qualitatẽ ſignificat proprie, vt docet *Valla lib.6. Elegantiarum,cap.34.* ergo non poteſt tribui Deo, Reſpondeo ad Antecedens. Nomen hoc ſumi poſſe oratorie, vt ita loquar, Grammatice,& Theologice. Oratorie ſignificat proprie qualitatem & conditionem alicuius hominis: ſic dicimus, *perſonam gerere pauperis*, aut *diuitis*. Grammatice, quod non aduertit Valla, ſignificat non qualitatem, ſed rem omnem ab alijs diſtinctam, quæ demonſtrari poſſit his pronominibus (hæc) iſta (illa) & eſſe ſuppoſitum verbi: ideo diſtinguunt ipſi tres perſonas, primam, ſecundam, & tertiam. Hoc ſenſu *Faber Stapulenſis Vir doctiſſimus in Commentarijs in 4.l. de Trinitate Riccard. de S.Victore, cap.4.* exiſtimat nomen *perſonæ* translatum fuiſſe ad Trinitatem, quod ibi ſunt tres quædam res, quæ diſtincte & ſigillatim demonſtrari poſſint,& variorum verborum ſuppoſitũ eſſe. Dicimus enim Pater generat, ſed nõ dicimus Filius generat:& Filius naſcitur,ſed nõ dicimus, Spiritus Sãctus naſcitur. Sed nos neutro modo,neque Oratorie, neque Grammatice ponimus Perſonas in Deo, ſed Theologice; apud Theologos autem Perſona non eſt qualitas, nec res quæuis, ſed rationalis tantum naturæ indiuidua ſubſtantia.

An perſona ſignificet aliquid poſitiuum, & reale.

Notatio vigeſima. *Ales.1.p.q.56.memb.2.Bona.1.d.25.a.1.q.1. Gab.d.25.a 2. Capr.d.25.q.1.a.1. Marſilius 1.q 26.a.2. Scotus 1.d.23. & Dur. ibid. Vaſq.Diſp.127. Suar.l.7.c.8.*

Hæc quæſtio fuſe tractatur in Metaphyſica: nunc paucis abſoluetur.

Scotus 1.q.23.q.1.& Gabr.ibid. vult eſſe aliquid negatiuum, non poſitiuum, Probatur. Primo. Nam ſi poſitiuum, aut accidens, aut ſubſtantia; non accidens, quia in Deo non eſt accidens: neque ſubſtantia, quia Subſtantia in Diuinis ſingulariter dicitur; at perſona dicitur pluraliter; ergo Perſona non ſignificat Subſtantiam. Probatur ſignificare negationem; quia Perſona definitur à *Riccar. lib 4 de Trinit. cap.22.* rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia, ergo formaliter dicit negationẽ communicabilitatis. Reſpondeo, & diſtinguo Maiorem; nam Subſtantia ſi ſumatur pro Eſſentia, non multiplicatur in Deo,

ſed

ſed ſi ſumatur pro ſubſiſtētia incōmunicabili, vt ſumitur in præſenti, multiplicatur ſicut Perſona. Ad illud de incōmunicabilitate. Reſpōdeo. Incōmunicabilitas poteſt ſumi dupliciter. Primo, pro negatione cōmunicabilitatis, quæ cōſequitur naturam vltimo determinatam, & per ſe exiſtentem; & hæc negatio non eſt de ratione perſonæ, ſed quid conſequens, per quam tamen negationem nos interdum explicamus rationem perſonę. Secundo, pro fundamento huius negationis, nimirum pro termino vltimo naturæ intellectualis, quem ſequitur negatio cōmunicabilitatis; & hoc modo ſumpta incommunicabilitas eſt formale ſignificatum perſonæ, & eſt quid poſitiuum. Quomodo ſumitur in definitione perſonæ? Reſpondeo. Vtroque modo ſumi poteſt; ſed ſi ſumatur primo modo, definitio eſt deſcriptiua tantum; at ſi ſumatur ſecundo modo pro fundamento illius negationis, tunc definitio erit Eſſentialis.

Secundo. Perſona eſt quid commune omnibus Perſonis; ergo ſi rem ſignificat, omnes diuinæ Perſonæ conuenient in aliqua re, ſiue natura generica, vel ſpecifica, quod eſt abſurdum in Deo. Reſpondeo. Idem argumentum fieri poſſe de Relationibus, quæ conueniunt in ratione Relationis. Reſpondeo ergo, Perſonam in communi non ſignificare in Deo Naturam aliquam communem, ſicut ſignificat genus & ſpecies, ſed ſolū rationem quandam Perſonæ, per intellectum communem omnibus, hoc eſt modū eſſendi per ſe in natura intellectuali: Species ergo & Genus dicunt aliquam naturam communem multis: At perſona non dicit naturam aliquam, ſed modum quendam naturæ intellectualis. Sic fere *S.Thom.q.30.a.4.* Vide *Valentiam in p.p.q.30. Puncto 3.*

Henricus, vult Perſonam eſſe aliquid poſitiuum, ſed rationis, non reale, *in Quodlib.5.q.6. & Durand.1.d.23.q.1.*

Probatur. Primo. Quia Perſona definitur à *Boetio in lib. de Duabus Naturis*, Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia; ſed indiuiduum formaliter dicit ſecūdam intentionem; ergo & perſona. Reſpondeo. Indiuiduum poſſe ſumi dupliciter. Primo pro eo quod ſubijcitur ſpeciei in ea Propoſitione, in qua ſpecies prædicatur de indiuiduo, & tunc eſt nomen ſecundæ intentionis; & ſic non ſumitur in definitione Perſonæ. Secundo, poteſt ſumi pro ſingulari reali, quod eſt à parte rei, & eſt incommunicabile; & ſic eſt nomen primæ intentionis: & hoc modo accipi

cipi debet in definitione Perſonæ.

Secundo. Suppoſitum ex *S.Thom.q.29.a.2.* Eſt nomen ſecũdæ intentionis; ergo & Perſona, quæ nihil eſt aliud, quam ſuppoſitum naturæ intellectualis. Reſpondeo. S.Thomas nõ vult dicere, ſuppoſitum eſse nomen ſecundæ intentionis; eſt enim ob eaſdem rationes aliquid reale & primæ intentionis; nam in Deo ante omnem operationem intellectus ſunt tria ſuppoſita, ſicut tres ſunt perſonæ; ſed vult dicere, hoc nomen deſumptũ fuiſse magna ex parte à ſubſtando, hoc eſt, ab eo, quod in Propoſitionibus ſubijceretur: ſed aliud eſt id, quod nomen ſignificat, aliud id, vnde ratio nominis deſumpta eſt: fieri enim poteſt vt ratio nominis deſumpta ſit à re non reali; & tamen nomen ipſum ſignificet rem realem. Sicut nomen lapidis ſubſtantiam ſignificat; & tamen hoc nomen impoſitum eſt ab accidente, ex eo nimirum, quod pedem læderet. Quæres. Quomodo differat Perſona à Suppoſito. Reſpondeo. Differre quidditatiue & eſsentialiter. Ratio eſt, quia perſonalitas eſt ſubſiſtentia ſpiritualis, ſuppoſitalitas materialis: at ſpirituale & materiale intrinſece & eſsentialiter differunt inter ſe.

Quid ſignificet formaliter perſona.

Notatio vigeſima prima

Tractãt de hac re ijdem Authores ijſdem ferme locis. *S.Thomas p.p.q.29.a.4.& ibidẽ eius diſcipuli.Scotus* 1.*d.*27.*q* 1.*& d.*27. *q.*1. *Durand.d.*23.*q.*1.*Ales* 1 *p.q* 56.*mem.*2.*Bona.* 1.*d.* 25. *a.*1. *q.*1. *Gabr.d.*21.*a.*2.*Capr. d.*25.*q.* 1.*a.*1.*Marſilius* 1.*q.*26.*a.*2. *Vaſq. Diſp.*127. *Suarez l.*7.*c.*8.

Perſona formaliter ſignificat ſubſiſtens incommunicabile in natura intellectuali. Et *perſonalitas* dicit ſubſiſtentiam incommunicabilem in natura intellectuali, abſtrahens ab abſoluto & reſpectiuo. Verum quia in rebus creatis hæc ſubſiſtentia incommunicabilis eſt modus abſolutus; in Perſonis vero Diuinis ſunt Relationes, ab his enim conſtituuntur tres Perſonæ incommunicabiles, hoc eſt tria ſubſiſtentia incommunicabilia. Hinc fit vt perſona quaſi materialiter dicat in perſonis creatis modum illum abſolutum, & Relationem in Perſonis Diuinis. Probatur id optime à Scoto. Quia ſi Diuinæ Perſonæ conſtituerentur abſolutis, adhuc ſignificarentur nomine *Perſonæ*, ſicut modo ſignificantur; ergo ſignum eſt, nunc *Perſonam* nõ

ſigni-

ſignificare formaliter relationē, ſed quodāmodo materialiter, quatenus conſtituit Perſonā, nō enim ſunt Relationes Diuinæ accidentia, ſed pręſtant quod apud nos hypoſtaſis, vt dicemus infra de conſtitutione Perſonarum.

An detur in Deo Subſiſtentia aliqua communis, & Eſſentialis.

D. Thomas p.p.q.29.a.2.& in qq.Diſp q.9.a.5. ad 13. Scotus 3. d.1.q.2. Durand.1.d.26.q.1. Argentina ibidem q.1. Ægidius 1. d.23.q.2. a 3. Ales 3.p.q.1.mem.3. Bona.3.d.1.a.1.q.3. Riccardus 1.d 26.a.1.q.1. Caiet.q.29.a.4. Valentia q.13. puncto 3. Molina q 29.a.2. Diſp.3. Zumel.q.30 a.1. Vaſquez Diſp 125. Suarez lib.4.c 11. Et copioſius 3.p.Diſp.11. Sect.3. *Notatio vigeſimaſecunda.*

Non videtur Primo, quia illi Subſiſtentię conueniret definitio Perſonæ, eſset enim *intellectualis Naturæ indiuidua ſubſtantia*; ergo in Trinitate quatuor Perſonę. Reſpondet Caietanus, Naturam Diuinam cum illa Subſiſtentia Eſsentiali dici poſse ſemi perſonam, non tamen perſonam. Non probo. Dico ergo, vt habetur in Theoria, ad rationem ſuppoſiti & Perſonę omnino requiri incōmunicabilitatem: itaque perſona componitur ex natura intellectuali, & Subſiſtentia, non quauis, ſed ea quam neceſſario ſequitur negatio communicabilitatis, huiuſmodi eſt omnis Subſiſtentia creata, & tres Relatiuę in Diuinis, cum ergo Natura Diuina cum illa Subſiſtentia Eſsentiali communicetur, non poteſt eſse Suppoſitum aut Perſona.

Secūdo. Sicut eſt perfectio ſimpliciter per ſe ſubſiſtere, ita & incōmunicabiliter ſubſiſtere; ergo Eſsētia Diuina pręciſis etiā per intellectū Relationibus nō ſolū ſubſiſtet, ſed etiā incōmunicabiliter ſubſiſtet, & erit Perſona. Nego poſteriorē partē Antecedētis, Perſona enim includit duo: primū per ſe exiſtere: ſecundū incōmunicabiliter per ſe exiſtere, ideſt, includit eam rationē per ſe exiſtēdi, quam neceſsario cōſequatur eſse incōmunicabile. Id ergo quod in Perſona dicit perfectionem, eſt ratio illa exiſtendi per ſe, ratione cuius Perſona complet Subſtantiā, & reddit illam omnino aptam ad operandum. Eſſe autem incommunicabile non dicit perfectionem, quod vel ex eo colligi poteſt, quia Subſiſtentia creata eſt incommunicabilis ratione limitationis, quia ſcilicet eſt limitata, Subſiſtentiæ vero Rela-

tiuæ in Deo ſunt incommunicabiles ratione oppoſitionis, quia habent oppoſitum. Quare ſi hæc ratio ſubſiſtendi per ſe reperiatur alicubi ſeparata ab incommunicabilitate, vt nos contendimus eſſe in Natura Diuina præciſis per intellectum Relationibus, erit quidem id quod exiſtit per ſe, completum in ratione ſubſtantiæ, & ſufficiens ad operandum, non tamen habebit rationem Perſonæ.

Obijcitur Tertio. Natura ſemel terminata non poteſt vlterius terminari; ergo ſi Natura Diuina eſt terminata per Subſiſtentiam abſolutam, non poteſt vlterius terminari Relatiuis. Diſtinguo Antecedens. Id, quod eſt vltimo terminatum non poteſt vlterius terminari, ſecus ſi vltimo terminatum non ſit: nam exiſtentia dicitur terminus Eſſentiæ, & tamen vlterius terminatur per ſubſiſtentiam. Eodem modo ſubſiſtentia Eſſentialis & communicabilis Dei poterit per ſubſiſtentias Relatiuas, & incommunicabiles, vlterius quodammodo terminari. Sed Contra. Subſiſtentia eſt terminus naturæ per modum ſuſtentantis, ideſt, ita naturam terminat, vt faciat illam per ſe eſſe ſine alio ſuſtentante; ergo natura ſemel terminata per Subſiſtentiam non poteſt per aliam ſubſiſtentiam terminari: quia quod per ſe eſt, non indiget nouo termino ſubſiſtentiæ quo ſuſtentetur & reddatur per ſe exiſtens. Reſpondeo ad Antecedēs. Naturam Diuinam non habere à Relationibus proprie, vt per ſe exiſtat, ſed vt incommunicabiliter exiſtat, neque ſuſtentatur ab illis, & in hoc differunt Subſiſtentiæ Relatiuæ in Deo, à Subſiſtentijs creatis, vt diximus in Theoria, quia iſtæ naturam ſuſtentant. Adueniunt enim illi, & non includunt illam in ſua Eſſentia. At Relationes Diuinæ non ſuſtentant proprie Naturam Diuinam, ſed modificant ſolum Subſiſtentiam Abſolutam, & eius communicabilitatem. Quare natura creata eſt in ſuppoſito ob ſui imperfectionem, vt ſuſtentetur ab illo, ſicut natura humana à ſuppoſito Verbi: At Natura Diuina eſt in pluribus ſuppoſitis, non ob imperfectionem vt ſuſtentetur, ſed ob ſui perfectionem, quia cum ſit infinita, poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis, & non vno tantum contineri ſuppoſito, & conſequenter non poteſt habere eſſe incommunicabiliter, niſi per aliquid aliud, à quo tamen non ſuſtentetur, nec pendeat.

Obijcitur Quarto. Locus *S.Thomæ 3.p.q.3.a.3.ad* 1. vbi ait; ſi in Deo eſt aliquid ſubſiſtens, ſequitur quod ſit Perſona; ergo

ſi in Deo eſt hæc Subſiſtentia communis, erit Perſona. Reſpondeo, S. Thom. ibi loqui ex hypoteſi quadam impoſſibili, ſi nimirum à parte rei Natura Diuina exiſteret ſine Relationibus; qua poſita hypoteſi dicit tunc Naturam Diuinam futuram Subſiſtentem; & addit conſequenter futuram Perſonam: nam ſi non eſſent poſſibiles Relationes, neque plura ſuppoſita Diuina, ſolum eſſet in Deo vnica Subſiſtentia Abſoluta, quam conſequeretur negatio communicabilitatis; & ita haberet rationem perfectæ Perſonalitatis.

Quæres an concedi debeant in Deo abſolute loquendo, quatuor Subſiſtentiæ, ſicut a ſimili admittuntur quatuor Relationes Reales? Reſpondeo, nullo pacto debent admitti. Quia cũ Subſiſtentia Abſoluta ſit omnino idem à parte rei cum Relatiuis, & illis Eſſentialis, & intrinſeca, à quibus nec per ſe ipſam intrinſece diſtinguitur, nec extrinſece ratione diſtincti termini, vel alio modo niſi per intellectum; non eſt dicenda quarta Subſiſtentia: ſicut propter eandem rationem Eſſentia non dicitur quarta res, præter tres Diuinas Perſonas.

An in Deo ſint tres Subſiſtentiæ Relatiuæ.

Ales. 3. *p. q.* 1. *mem.* 3. *Bona.* 3. *d.* 1. *a.* 1. *q.* 3. *Riccard.* 1. *d.* 26. *a.* 1. *q.* 1. *Scotus* 3. *d.* 1. *q.* 2. *Durand.* 1. *d.* 26. *q.* 1. *Argentina* 1. *d.* 26. *q.* 1. *Notatio vigeſimatertia.*

Non videtur. Primo. Quia *ſubſiſtere* eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; in qualibet enim re eſt melior ipſa, quam non ipſa; quia cuilibet eſt melius eſse per ſe, quam alteri inexiſtere: ſed perfectiones ſimpliciter ſimplices non multiplicantur in Deo; ergo Subſiſtentia in Diuinis vna tantum eſt Eſsentialis Deo, ac tribus Perſonis Diuinis communis. Confirmatur. Quia ſi per impoſſibile Diuina Natura non haberet Subſiſtentiam communem, & à ſe, non poſset ſubſiſtere per Relationes; ergo ſignum eſt, nunc, nullo modo ſubſiſtere per Relationes. Reſpondeo. Subſiſtere, eſse quidem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſubſiſtere tamen incommunicabiliter, non eſse perfectionem ſimpliciter ſimplicem: & hoc ſubſiſtere multiplicatur in Diuinis: Subſiſtentia vero Abſoluta, quæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, non multiplicatur; ſed vna & eadem eſt cõmunis omnibus Perſonis, ſicut Eſsentia. Ad Confirmationem. Reſpondeo, Eſsentiam Diuinam ſubſiſtere per propriam Subſiſtentiã

Eſsentialem, ſed communnicabiliter; & ſubſiſtere per relationes, ſed incommunicabiliter. Poſita autem illa hypoteſi, ſubſiſteret Eſsentia Diuina ſolis Relationibus; & ita omnino dicendum eſt: alioquin non eſsent Relationes Subſiſtentiæ propriè Relatiuæ, vt vocantur a Concilijs; quia non tribuerent ſubſiſtere: dant ergo ſubſiſtere, ſed ratione tantum diſtinctũ à Subſiſtentia Eſsentiali; ideo non poſsunt dici quatuor Subſiſtẽtiæ, vt diximus ad finem præcedentis Quæſtionis.

An ſint in Deo tres Exiſtentiæ Relatiuæ.

Notatio vigeſima quarta.

Scotus 1.d.11.q.2. & Quodl.4.a.3. Capr.3.d.1.q.1.a.3. Caiet. p.p.q.28.a.2. Bannes q 29 a.3.& q.40.a.4. Dubio 2. Zumel q 28. a.2.q.4. Fonſeca 5.Met.c.8 q.5.ſect 4. Vaſq. Diſp. 126. Suarez 3.p.Diſp.11.ſect.2.

Dubium eſt, An ſint in Deo tres Exiſtentiæ Relatiuæ, quæ realiter inter ſe diſtinguantur, ſicut diſtinguuntur Subſiſtẽtiæ Relatiuæ, & quæ ſola ratione ab Exiſtentia Eſsentiali differãt. Negat dari *Capr. ex Antiquis Scholaſticis in 3.d.1.q.1.a.3. ex Recẽtioribus Vaſq. Diſp. 126.* Probatur primo authoritate *S. Auguſtini, qui l.7.de Trin.c 4.* ait, *quod eſt*, ideſt eſſe *in Deo ad ſe dici*, ideſt abſolutũ eſſe: ergo non eſt in Deo eſse, ſiue exiſtere reſpectiuũ. Reſpondeo. Auguſtinum dupliciter exponi ab Authoribus noſtræ ſententiæ. Quidam dicunt, Auguſtinum eo loco hoc tantum velle, Exiſtere ſumptum in communi, non dici ad aliud: quod verum eſt. Alij dicunt, Auguſtinum ibi hoc tantum contendere, Eſse, ſiue exiſtere, abſolute poſitum, cum eſt ſermo de Deo, non ſumi pro Eſsentia, ſiue Exiſtentia Relatiua, ſed pro Abſoluta, quæ vna eſt tantum in Deo, ſicut eſt vna Eſsentia: nec poſse dici, eſse in Deo plura Eſse, ſiue plures Exiſtentias, niſi addatur aliquid aliud: quod ſi addatur, recte dici, eſse in Deo tria Eſse, ſed Relatiua, ſiue tres Exiſtentias, ſed Relatiuas vel Perſonales: ſicut à pari dicimus, Trinitatem eſse vnam rem tantum, & vnum ens, nõ plura; ſed cum addito, recte dicemus, eſse tres res, & tria entia Relatiua. Quomodo loquitur etiam Riccardus citatus in Theoria.

Secundo Probatur idem authoritate *Damaſceni lib. 1. de Fide c.11.* vbi *Perſonalis:* inquit, *perfectio eſt modus exiſtentiæ:* at modus exiſtentiæ non eſt exiſtentia; ergo. Reſpondeo, à Damaſceno

ſceno vocari tres Perſonalitates tres modos Exiſtentiæ, hoc eſt, tres Modales Exiſtentias reſpectu Exiſtentiæ Abſolutæ, quam modificant.

Tertio probatur authoritate *S. Thomæ. Nam p. p. q. 28. a. 2.* ait, Eſsentiam & Relationes habere idem eſse. Sed vult dicere, Eſse Perſonale non diſtingui ex natura rei ab Eſse Eſsentiali. Et *3. p. q. 17. a. 2.* dicit, tres Perſonas non habere niſi vnũ Eſse: Sed intelligi debet, vt S. Auguſtinus de Eſse Abſoluto, & Eſsẽtiali, de quo eſt ſermo, quando ſine addito ponitur Eſse, vel Eſsentia, vt diximus ad locum Auguſtini. *Et 1. d. 33. q. 1. a. 1. ad 1.* aſserit eſſe relationis creatę non eſſe reſpectiuũ; ergo nec Eſſe Relationis Diuinæ erit reſpectiuũ. & ideo non erit in Deo triplex eſse reſpectiuum. Reſpondeo. S. Thomam eo loco per eſse relationis creatæ non intellexiſse exiſtentiam relationis; ſed inhærentiam: quam dicit non eſse reſpectiuam; quia ſub ratione inhærentię non reſpicit terminum, ſed ſubiectũ, in quo eſt. Cæterum, exiſtentiam relationis eſse reſpectiuam, negari non poteſt, cum certum ſit, totam eſsentiam relationis eſse ad aliud; & exiſtentiam nihil eſse aliud, quam eſsentiam eſse extra ſuas cauſas, ſiue, quod idem eſt, eſsentiam ſub ratione actualis entitatis. Quare repugnat, eſsentiam ipſam actualem relationis eſse ad aliud, & non eſse ad aliud exiſtentiam relationis; cum idem ſint eſsentia in actu, & exiſtentia. Pręter has authoritates ſunt alia duo argumenta, quę fere ſoluta ſunt in Theoria.

Primum. In perſona humana non diſtinguitur duplex exiſtentia, vna naturæ, & altera perſonæ; ſed eſt vna tantum, ſicut & natura: ſecus, exiſtentia eſſet modus exiſtentiæ; ergo nec in Perſonis Diuinis duplex diſtingui debet exiſtentia. Confirmatur. Quia ſi per impoſſibile non eſſent in Deo Relationes, per illud Eſſe ſuum Abſolutum haberet Deus Eſſe Naturæ & Eſſe Perſonæ; ergo idem habet etiam nunc. Reſpondeo, & nego Antecedens. Nam etiam in perſona humana diſtinguitur hæc duplex exiſtentia, naturæ, & perſonæ. Sicut enim ſuppoſitum eſt entitas diſtincta à natura, & extra ſuas cauſas; ita habet ſuam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia naturæ. Neque eſt abſurdum, exiſtentiam aliquam eſſe modum alterius exiſtentiæ, immo eſt neceſsarium. Ad Confirmationem Reſpondeo. In eo caſu, ſi nimirum in Deo non poſſet eſſe niſi vna tantum Perſona, Perſonalitas tunc eſset Eſsentia & Exiſtentia Dei, ſicut

nunc

nunc Exiſtentia eſt Eſsentia Dei. At nunc Relatio conſtitutiua Perſonarum eſt extra Eſsentiam Dei, & ideo propriam & peculiarem Exiſtentiam includit diſtinctam ratione ab Exiſtẽtia Abſoluta & Eſsentiali Dei.

Secundum Argumentum ducitur ab abſurdo, quod ſequitur ex hac ſententia. Nam ſi ſunt tres Exiſtentiæ Relatiuæ; ergo & tres æternitates: nam duratio rei eſt idem cum exiſtẽtia rei; ergo tres durationes, ergo tres æterni, cõtra Symbolum Athanaſij: *Non tres æterni, ſed vnus æternus.* Duplex eſt ſolutio. Prima eorum, qui putant, durationem non diſtingui ab exiſtẽtia. Hi dicunt Eſsentiam Dei, & eius Exiſtentiam menſurari æternitate: Relationes vero, & earum exiſtentias, vt includunt Eſſentiam, eadem menſurari æternitate; ſecundum vero propriã rationem, quam ſuperaddunt, menſurari non æternitate, ſed durationibus tribus infinitis & increatis: ideo non erunt tres æternitates, ſed vna tantum; erunt tamen tres durationes infinitæ & increatæ. Huius infinitæ durationis non fit mẽtio, cum agitur de ſpeciebus durationis; quia conuenit ſolis Diuinis Relationibus, & nulli alteri. Secunda ſolutio eſt eorum, qui admittunt, durationem diſtingui ab Exiſtentia. Dicunt igitur, Exiſtentias eſse tres, ſed æternitatem & durationem eſse vnam tantum. Ratio eſt. Quia in Diuinis multiplicantur quæ dicũt oppoſitionem, & ea tantum, quæ relatiua ſunt: at duratio, etiã Relationis, cum non ſit reſpectiua, non debet multiplicari quãuis multiplicata Relatione; ſed omnes Relationes & earũ Exiſtentiæ Relatiuæ menſurari debent eadem ęternitate, qua menſuratur Exiſtẽtia Abſoluta Dei. Explico rem hanc alia re ſimilĩ. Quęlibet perſona creata habet propriã pręſentiã in loco, quę propriam exiſtentiã conſequitur; & tamen in Diuinis certum eſt, omnes tres perſonas eſse in loco per vnam & eandem ſimpliciſſimam immenſitatem Diuinę Naturę illis communem, quod eſt dicere per eandem pręſentiam infinitam. *Non tres immenſi, ſed vnus immenſus* dicitur in Symbolo Athanaſij. Et de hoc nulla eſt inter Doctores controuerſia: ergo à pari, licet in rebus creatis diſtinctas exiſtentias conſequantur diſtinctę durationes, quibus res exiſtentes durant, & quaſi pręſentes fiunt ſpatio durationis, aut reali, aut imaginario; in Diuinis tamen tres Exiſtentiæ Perſonales durare intelliguntur per vnam ſimpliciſſimam ęternitatem Diuinę Naturę illis communem: Quicquid

quid enim ex ſe relatiuum non eſt, non multiplicatur in Deo. Quare, licet in humanis tot ſint durationes, quot exiſtentię; hoc tamen non eſt admittendum in Diuinis. An autem dici debeant in Deo quatuor Exiſtentiæ ſicut ſunt quatuor Relationes reales; Reſpondeo eodem modo, quo reſpondimus de Subſiſtentijs in ſuperiori Quæſtione.

An Diuinæ Perſonæ conſtituantur.

S.Thomas p.p.q.40.a.1. & 2. Magiſter 1.d.33. cum ſuis. Ariminenſis 1.d.26. & 27.q.1. Ferrar. 4. contra Gentes c.26. Caietan. q.40.a.2. Ibidem Zumel, Molina, Torres, Valentia q.14. Puncto 2. Vaſq. Diſp.158. c.1. & 2. Suarez.l.7.c.3. *Notatio vigeſima quinta.*

Non videtur. Primo. Si Perſona eſſet conſtituta, Pater dediſſet Filio id quod eſt commune, & ſibi reſeruaſſet id quod eſt proprium: Sed *Concilium Lateranenſe in cap. Damnamus*, dicit, Patrem totam Subſtantiam ſuam dediſſe Filio, non partem dediſſe, & partem reſeruaſſe; ergo ſignum eſt Patris Perſonam non eſse conſtitutam. Admiſsa Maiori, Reſpondeo ad Minorem, ſenſum Concilij eſse, Patrem dediſse Filio totam Eſsentiam, non partem tantum; hæc enim abſolute Subſtantia dicitur, cum eſt ſermo de Diuinis Perſonis, licet non dederit proprietatem Patris. Ad Conſequentiam Nego Cõſequentiam. Nam Pater cum ſit conſtitutus ex Eſsentia & Paternitate, totam Eſsentiam, quam Filio dedit ſub ratione Eſsentiæ Abſolutæ, ſibi etiam reſeruauit non ſolum ſub ratione Eſsentiæ, ſed etiam ſub ratione Paternitatis, ſub qua ratione non eſt communicabilis Filio.

Secundo. Perſona eſt ſimpliciſſima; ergo à nullo poteſt cõſtitui, ſed ſe ipſa eſt id quod eſt. Reſpondeo. Argumentum cõcludit, Perſonam non poſse conſtitui ab aliquo, quod differat ab ipſa realiter, aut ex natura rei; quia tunc non eſset ſimpliciſſima; ſed nos dicimus, conſtitui per rationem; quæ conſtitutio rationis non obſtat ſummæ ſimplicitati in re. Habet autem fundamentum intellectus ad hanc conſtitutionem; quia res illa, quæ eſt Perſona, licet ſit vna & ſimplex à parte rei; æquiualet tamen duabus rebus diſtinctis, abſoluto, & reſpectiuo: ex quibus concipit intellectus conſtitui Perſonam.

Tertio. Perſona eſt ita ſimplex, ſicut Eſsentia; ſed Eſsentia

à nullo

à nullo conſtituitur; ergo nec Perſona. Concedo Maiorem, ſi ſit ſermo de ſimplicitate, quæ eſt in re. Ad Minorem Reſpondeo. In re neque Eſsentiam conſtitui neque Perſonam, vt reſpondimus ad Argumentum præcedens. Sed ſi loquamur de conſtitutione rationis, non eſt par ratio Eſsentiæ & Perſonæ; nam intellectus noſter maius fundamentum habet, vt conſtituat Perſonam, quam Eſsentiam; quia in Perſona apprehendit aliquid commune, id eſt, Eſsentiam, & aliquid particulare, id eſt Relationem; quæ in ſola eſſentia non apprehendit.

Quarto. Vbi eſt conſtitutio, ibi eſt compoſitio; ſed in Deũ non cadit compoſitio; ergo nec conſtitutio. Ad Maiorem duplex eſt reſponſio. Prima concedit in Deo compoſitionem, ſed rationis, quæ nihil obeſt ſummæ ſimplicitati in re. Secunda admittit in Deo conſtitutionem, & negat compoſitionem. Ratio eſt: quia, inquit, maior diſtinctio requiritur inter componentia, quam inter conſtituentia. Nam inter extrema conſtitutionis, ſatis eſt quæuis diſtinctio; at inter extrema compoſitionis requiritur talis diſtinctio, vt neutrum extremorum includat alterum eſsentialiter, neque vtrumque tertium aliquod ſingulare: ratione primi, Paternitas cum Deitate non facit compoſitionem; quia Paternitas includit eſsentialiter Deitatem: ratione ſecundi, Paternitas & Spiratio actiua non faciũt compoſitionem; quia licet vna non includat alteram eſsentialiter; quia tamen vtraque includit eandem numero Naturam Diuinam, & ideo ſunt vnum & idem inter ſe, propterea non ſunt extrema compoſitionis. Exemplo ſint ſumma Genera, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, &c. quæ conſtitui dicuntur ex ratione entis communi, & propria ratione generum ſingulorum: non tamen dicuntur proprie componi; quia rationes propriæ ſingulorum Generum eſsentialiter includunt communem illam rationem entis. Sic relationis diuinæ includũt Deitatem.

An cõſtitutio Diuinæ Perſonæ dici debeat realis, an rationis.

Iidem Authores iiſdem locis, hoc diſputant.

Notatio vigeſima ſexta. Videtur eſse realis. Primo. Perſonæ Diuinæ abſolute dicũtur conſtitui ex Eſsentia & Proprietatibus; ergo conſtitutio eſt realis. Probatur Conſequentia. Quia nihil dicitur abſolute & ſim-

ſimpliciter habere id, quod habet ſolum per rationem. Admitto Antecedens. Et nego Cōſequentiam. Quia eo ipſo quod talis conſtitutio dicitur eſſe in Perſona Diuina, intelligitur eſſe tantum rationis: nam ad realem requiritur diſtinctio realis conſtituentium inter ſe, & à conſtituto, vel ſaltem *ex* natura rei: quæ diſtinctio non poteſt cadere in Diuinam Perſonam. Eodem modo, quia pluralitas dicit diſtinctionem, quæ inter Attributa Diuina nō poteſt eſſe realis; idem eſt dicere, in Deo eſſe plura Attributa, ac dicere, eſſe plura tantum ratione.

Secundo. Nemine cogitante Eſſentia eſt communis Perſonis, & proprietates, ex quibus cum Eſſentia fit conſtitutio, nō ſunt communes; ergo conſtitutio eſt realis. Confirmatur. Quia in rebus creatis conſtitutio ex ratione communi & particulari dicitur eſſe rationis, non realis; quia ratio communis habet eſſe commune ſolum ab intellectu: At Eſſentia Diuina à parte rei communis eſt pluribus Perſonis; ergo conſtitutio illa ex Eſſentia communi & Relatione propria, eſt realis ex his duobus entibus virtualiter diſtinctis. Nego Conſequentiam. Quia ad realem conſtitutionem præter illud requiritur etiam, vt quod eſt commune, diſtinguatur realiter ab eo, quod eſt proprium, aut ex natura rei: at Eſſentia non diſtinguitur realiter à proprietate, neque ex natura rei. Ad Confirmationem. Reſpondeo, cōſtitutionem illam eſſe rationis in rebus creatis ex duplici capite: & quia habet eſſe commune ſolum ab intellectu: & quia nō diſtinguitur realiter conſtituens à conſtituto: at conſtitutio Diuinæ Perſonæ eſt rationis non propter primum caput, ſed ſolū propter ſecundum.

Tertio. Proprietates Perſonales realiter diſtinguunt vnam Perſonam ab alia; ergo realiter conſtituunt. Probatur Conſequentia. Quia id primo diſtinguit rem ab alijs, quod illam conſtituit; ergo eodem modo conſtituit, quo diſtinguit: ſed proprietas diſtinguit realiter; ergo realiter conſtituit. Reſpondeo. Admitto Antecedens, & nego Conſequentiam. Quia ad hoc vt vna Perſona Diuina diſtinguatur ab alia per Proprietatem Relatiuam, ſufficit vt proprietatem illam realiter contineat, quæ ex ſe eſt alteri oppoſita, & per oppoſitionem diſtinguit: ad hoc autem vt dicatur realiter conſtitui ex Eſſentia & proprietate, requiritur præterea, vt inter hæc duo ſit realis diſtinctio: quæ non eſt hic. Ad probationem conſequentiæ. Id rem diſtin-

guit ab alia, quod illam conſtituit; Concedo, ſi res ſit proprie conſtituta: Ergo eodem modo diſtinguit, quo conſtituit; Nego Conſequentiam. Quia, vt dixi, ad hoc vt realiter diſtinguat, ſufficit vt talis proprietas realiter ſit in re, & diſtinguatur realiter à proprietatibus aliarum; at vt realiter conſtituat, requiritur præterea, vt ab ipſo conſtituto, & ab alio conſtituente realiter diſtinguatur, aut ex natura rei. Dices. Ergo fieri poteſt vt aliquid ſit prius diſtinctiuum, quam conſtitutiuum in actu. Reſpondeo. Ita eſſe in rebus ſimplicibus, quarum conſtitutio pendet ab intellectu: in his enim ad diſtinctiuum ſatis eſt, vt diſtinctiuum ſit in re ipſa, quam diſtinguit, quamuis rationem conſtituentis actu non ſtatim habeat à principio, ſed poſtea ab intellectu. Exemplo ſit Attributum Sapientiæ realis in Deo, quæ realiter diſtinguit Deum ab omni alia re creata, in qua non eſt talis ſapientia, & tamen non proprie conſtituit Eſſentiam, niſi vt poſtea concipitur ab intellectu tanquam aliquid adueniens Eſſentiæ. Ita proprietas realis vnius Perſonæ; realiter diſtinguit illam ab alia Perſona; ideo ſolum, quia eſt in illa; licet non prius actu conſtituat, quam per intellectum diſtinguatur ab Eſſentia, & concipiatur vt adueniens Eſſentiæ, & cum Eſſentia conſtituens Perſonam.

An Diuinæ Perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur Proprietatibus Abſolutis, an Reſpectiuis.

Notatio vigeſima ſeptima.

S. Thomas p.p.q 40.a.2. Durand. 1.d.26.q.1. Gabr. & Capr. ibidem q.1. Bona. 1.d.27.q.7. Scotus 1.d.26.q.1. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina q.40.a.2. Vaſquez Diſp. 158. c.3.4.5.6. & 7. Suarez lib.7.c.5. & 6.

Linconienſis, teſte Marſilio, 1.q. 30. a.1. & Ioan. de Ripis, vt refert *Scotus 1.d.26.q.1.* dicunt, conſtitui per Abſoluta. Rationes ſunt iſtæ. Prima. Ex *c.30. Prouerb.* vbi quæritur: *Quod eſt nomen eius, & quod nomen Filij eius, ſi noſti?* Eſt ſermo de Deo & Filio; ergo Perſonæ non conſtituuntur Relationibus; quia tunc nomina *Patris,* & *Filij* ſignificantia Relationem, eſſent propriiſſima. Reſpondent S. Thomas, & Scotus ad hanc authoritatem: quorum ſolutiones legere poteris apud ipſos. Reſpondeo ego, non eſſe ibi ſermonem de Filio Dei, ſed de Filio hominis: dicit enim Agur. Non habui ſcientiam de rebus cœleſtibus;

ſtibus; & rationem ſubdit: Quia nemo hominũ in cęlũ aſcendit: ſi quis enim fuit; quis ille fuit? ex qua gente? ex qua familia fuit? quod nomen eius, & quod nomen filij eius? dic mihi. Huc pertinent & alia omnia, quæ ſubdit. *Quis colligit ventum in pugillis ſuis?* ideſt, quis hominum? tanquam dicat: Nemo hominum aliquando in cœlum aſcendit, nemo hominum continuit ventos, nemo ſtabiliuit terminos terræ. Quare licet S. Thomas, & Scotus, qui locum illum intelligunt de Filio Dei, recte reſpondeant ad Authores contrariæ ſententiæ, re uera tamen ſenſus litteralis eo loco eſt de hominibus & filijs hominũ, non de Filio Dei.

Secundo. Probatur. Quia *S. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 6.* ait, Perſonam Diuinam dici ad ſe, non ad aliud; ergo ſentit conſtitui proprietate abſoluta, non relatiua. Reſpondeo. *Boetius l. de Trinit.* quem citat & refert etiam *S. Thom. p. p. q. 29. a* 4. affirmat, in Deo omne nomen ad Perſonas pertinens ſignificare Relationem: at nullum nomen magis pertinet ad Perſonas, quam nomen ipſum Perſonæ; ergo nomen Perſonæ formaliter ſignificat Relationem. Ad cõciliandos ergo hos duos Patres, dicimus, Perſonalitates Diuinas materialiter & in particulari eſſe ipſas Relationes Paternitatis, Filiationis, & Spirationis Paſſiuæ; quod voluit Boetius: Perſonalitates autẽ formaliter, etiam Diuinas, in communi dicimus non ſignificare formaliter Relationes, ſed Subſiſtentias, quibus Diuina Natura ſubſiſtit, & abſtrahunt ab abſoluto & reſpectiuo; & hoc voluit *S. Auguſt. loc. cit.* Ait enim, Perſonam Diuinam non dici ad aliud, ſed ad ſe, non ſicut abſolutum, ſed ſicut abſtrahens ab abſoluto & reſpectiuo. Conſtat autem, hoc eſſe verum: quia tam ij; qui dicunt, Diuinas Perſonas conſtitui abſolutis, quam qui dicunt cõſtitui reſpectiuis, conueniunt in eadem formali ratione perſonæ in communi, eſſe ſcilicet Subſiſtentiam, qua Diuina Natura ſubſiſtit; licet deinde diſcrepent in materiali. Nam aliqui dicunt, hanc rationem ſubſiſtendi tribui ab abſoluto ente, alij à reſpectiuo; ergo ſignum eſt, rationem formalem Perſonæ abſtrahere ab vtroque ente, abſoluto, & reſpectiuo.

Tertio. Probatur ex natura Relationis. Id enim, quod per Relationem refertur, & Relationem terminat, ſupponitur Relationi, & non conſtituitur per illam; eſt enim Relatio forma, qua aliquod abſolutum refertur ad aliud etiam abſolutum: ſed

id, quod in Diuinis per Relationem refertur, & Relationem terminat, Suppoſitum eſt, non Eſſentia, hæc enim ad aliud nō refertur; ergo Suppoſita Diuina quæ Relationibus præintelliguntur, abſolutis proprietatibus conſtituuntur. Reſpondeo. Maiorem eſſe veram, ſi intelligatur de Relatione accidentali rerum creatarum, non vero de Diuinis Relationibus; quæ ſubſtantiales cum ſint, & increatæ, id quod per ipſas refertur, poſſunt intrinſece conſtituere. Quare falſum eſt in vniuerſum, Relationem eſſe formam, qua aliquid abſolutum refertur ad aliud abſolutum, licet hoc ſit vniuerſaliter verum in Relationibus creatis; ſed eſt forma, qua aliquid refertur ad aliud, ſiue illud, quod per illam refertur præcedat Relationem, ſiue conſtituatur per illam.

Quarto. Perſona, quæ generat, præintelligitur generationi, quæ eſt velut actio illius, & Relationi Paternitatis, quæ actum generationis ſupponit, & in eo quaſi fundatur; ergo neque origine ipſa, neque Relatione, quæ inde quaſi reſultat, cōſtitui poteſt Perſona Patris, cum vtrique Pater præintelligatur conſtitutus, ſed proprietate Perſonali abſoluta. Reſponſio cōſtabit ex ſequenti Quæſtione.

Sub qua ratione Relatio conſtituat Perſonas.

Notatio vigeſima octaua. Sunt multi modi dicendi. Quos omnes habes & relatos, & diſcuſſos à *Vaſq. Diſp. 179. per ſeptem Capita, & à Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 7.*

Bonauentura 1. d. 26. q. 3. vult, conſtitui & diſtingui Originibus, licet per Relationes melius explicetur & cognoſcatur Perſonarum diſtinctio. Alij dicunt, ex æquo conſtitui & diſtingui Relationibus, & Originibus.

Probatur. Primo. Quia Patres aliquando dicunt, Patrem diſtingui à Filio Paternitate; aliquando Generatione. Vnus ſit inſtar omnium *Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 11. Et Magiſter 1. d. 26.* vbi ait, Proprietates Perſonales eſſe Generationem, Natiuitatem, &c. quæ, inquit, alijs vocabulis Paternitas & Filiatio nuncupantur. Reſpondeo. In Diuinis litteris, & in Cōcilijs Perſonas fere ſemper exprimi nominibus Relatiuis *Patris, & Filij. & Spiritus Sancti*; quæ nomina formaliter non Origines ſignificant, ſed Relationes; ergo ſignum eſt, potius Re-

latio-

lationibus conſtitui, quam Originibus. Quod ſi quando aliqui ex Patribus promiſcue vtuntur Relationibus, & Originibus. Id faciunt. Primo, quia Perſonæ Diuinæ licet non conſtituantur Originibus; diſtinguuntur tamen primo per Relationes, ſecundario vero etiam per Origines: ſicut homo, licet conſtituatur tantum per rationale, diſtinguitur tamen à brutis primo per rationale, ſecundario vero etiam per riſibile. Secundo. Id faciunt, vt per Origines a poſteriori oſtendant nobis conſtitutionem, & præcipuam diſtinctionem Perſonarum, quæ eſt per Relationes. Sic Fulgentius *de Fide ad Petrum cap.* 2. Quia *aliud eſt*, inquit, *genuiße, quam natum eße, manifeſtum eſt quod alius eſt Pater, alius eſt Filius*, &c. Tertio. Quia a Sanctis Patribus vſurpantur interdum Origines pro Relationibus: & ratio eſt, quia origines etiam ipſæ Relationes includunt, vt oſtendimus Notabili Secundo; & præter Relationes nihil aliud includunt, quod non ſit commune omnibus Perſonis, vt diximus, & quod poſſit ipſas diſtinguere. Adde, Patres magis laborare in oſtendenda Perſonarum diſtinctione, quæ etiam ex Originibus ſecundario colligitur, quam in explicando, quo proprie conſtituantur Perſonæ; ideo non tam formaliter interdum loquutos: quamuis raro reperiatur apud ipſos, Perſonas conſtitui Originibus, ſed tantum diſtingui.

Secundo eodem fere modo videtur loqui Sanctus Thomas. Nam *p.p. quæſt.*40. *art.*4. dicit, Paternitatem, vt Relatio eſt, ſupponere Generationem; ergo Pater conſtituitur per Generationem, non per Paternitatem. Reſpondeo. Relationes Diuinas non habere fundamenta, vt diximus in Theoria, ſed ipſas Primo conſtituere fundamentum Relationum, ideſt, Perſonas, quod non faciunt creatæ relationes. Secundo, referre Perſonas conſtitutas inter ſe, vt faciunt etiam creatæ relationes. Paternitas ergo, vt refert Patrem ad Filium, eſt ſecundum rationem poſterior ſeipſa, vt conſtituit Perſonam Patris. Ex hac ſolutione ſoluuntur alia omnia, quæ obijciuntur in hac Quæſtione.

Tertio. Origo præintelligitur Relationi: ideo enim eſt Pater, & refertur ad Filium, quia genuit; non econtra; ergo iam per Originem intelligitur conſtitutus Pater: idem dicendum de Filio, & Spiritu Sancto. Huic argumento, quod eſt fundamentum contrariæ Sententiæ, abunde reſponſum eſt in Theoria.

ria. Alia duo, quæ ſequuntur, ſoluuntur fere eodem modo.

Quarto. Si Perſona Patris conſtituitur Relatione, & non Origine, Perſona Patris, ac proinde Relatio ad Filium præintelligitur Generationi; quia ſi generat, iam eſt Suppoſitum, actiones enim ſunt Suppoſitorum: & cum Relatiua vel Relationes oppoſitæ ſint omnino ſimul cognitione; ſequetur Filiũ & Filiationem ſimul cum Relatione *Paternitatis* præintelligi etiam Generationi; quod omnino falſum eſt: nam cum Generatio ſit productio Filij, qui accipit eſse per generationem; repugnat omnino, Filium aut Filiationem præintelligi Generationi; ergo potius Origine dicendum eſt conſtitui Perſonas Diuinas, quam Relatione. Reſpondeo. Recte concluderet, ſi Relationes oppoſitæ in Diuinis ſolum à nobis conciperentur per ordinem ad relationes creatas, quæ ſunt omnino ſimul etiam cognitione: quia tamen concipiuntur etiam per ordinem ad fundamenta Relationum, in quibus eſt ordo prioris & poſterioris, non concipiuntur vt omnino ſimul; ſed relatio producentis concipitur prior productione & termino producto; ſicut fundamentum paternitatis in humanis prius eſt natura & cognitione, quam generatio & filius.

Quinto. Patrem eſse Patrem nihil eſt aliud, quam habere Filium: ſi ergo Pater præintelligitur Generationi, prius ratione quam generet, erit *Pater*; atque adeo prius ratione, quam generet habebit filium: quod eſt abſurdum. Quorſum enim poſtea intelligitur generare? Rerſpondetur. In rebus creatis, *Patrem* eſse *Patrem* nihil aliud eſse, quam habere Filium: at in Diuinis vbi *Paternitate* conſtituitur ipſum principium Generationis, eſse *Patrem*, non ſolum dicit habere Filium, ſed etiam eſse principium generandi Filium, vt dictũ eſt in Theoria. Finge duas eſse *R*elationes diſtinctas, A & B. & ab A conſtitui ſolum *Perſonam Patris*; à B referri ſolum *Patrem* ad Filium; tunc optime intelligeres, quomodo *R*elatio A. præſupponatur Generationi & Filio, & quomodo relatio B intelligatur eſse poſt actum Generationis. Concipe nunc, vnicam *R*elationem *Paternitatis* in Deo præſtare hoc ipſum ob ſuam infinitatem, quod præſtarent hæ duæ *R*elationes, & facile capies, quomodo, vt reſpondet relationi B. ſit ſimul omnino cum Filiatione & Filio; vt vero reſpondet Relationi A. præcedat ratione Generationem, & Filium.

De

De Nomine Principij, & Patris.

D. Thomas 1. *d* 29 *q.*1.*a.*2. *& p.p q.*33.*a.*1. *Capr.* 1.*d.*29.*q.*1. *a.*2. *& in eadem d. Bonau. a.*1.*q.*1. *Scotus q.* 1. *Durand. q.* 1. *Gabr. q.*1.*a.*2. *Marſilius* 1.*q.*31.*a.*3. *Dub.*4. *Diſcipuli S. Thom. in q.*33. *a.*1. *Valentia q.*7. *Puncto* 1. *Vaſq. Diſp.* 139. *Suarez lib.* 8. *de Trinit. cap.*3. *Notatio vigeſima nona.*

Hoc nomen Principij cum Deo tribuitur, dupliciter ſumitur. Primo Eſſentialiter reſpectu creaturarum, quarum principium eſt Deus; & tunc eſt proprietas Dei, non Patris, & eſt communis tribus Perſonis: peculiari tamen ratione per attributionem dicitur Filius principium, hoc ſenſu, quod omnia per ipſum facta ſint, & fuerit veluti præcipuus Architectus rerum omnium. Secundo modo nomen principij ſumitur Perſonaliter, ideſt, quatenus ſignificat principium & originem alicuius Perſonæ Trinitatis; & ſic conuenit Patri & Filio, quia etiam Filius eſt principium Spiritus Sancti. Cæterum per attributionem dici ſolet de ſolo Patre; quia potiſſimum, ac maxime eſt principium: nam Filius eſt principium vnius Perſonæ, & Pater duarum: quam ob cauſam, *S. Auguſt. lib.* 3. *de Trinit. c.*20. vocat Patrem *principium totius Trinitatis*, ideſt, omnium Perſonarũ, quæ procedunt in Trinitate.

PATRIS nomen tribuitur Deo in ordine ad creaturas. Sic dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis*. Tribuitur etiam Patri in ordine ad Filium. Primo modo dicitur Eſſentialiter, ſecũdo Notionaliter. Dubitatur ergo, an nomen Patris prius dicatur Eſſentialiter, quam Notionaliter. Reſpondeo. Illud (prius) ſignificare poteſt, vel prius tempore, vel prius natura, vel prius perfectione. Si loquamur de prioritate temporis, prius dicitur Notionaliter, quam Eſſentialiter; quia illud Deo conuenit ab æterno, hoc in tempore. Idem & multo magis dicendum eſt de prioritate naturæ, vt conſtat. Adde, quod ea, quæ ſunt neceſſaria, ſunt priora in Deo, quam ea, quæ non ſunt neceſſaria: at, Deum eſſe Patrem ad intra reſpectu Filij, eſt neceſſarium; eſſe vero Patrem reſpectu creaturarum ad extra, non eſt neceſſarium, ſed liberum. Si vero loquamur de prioritate perfectionis, idem dicendum; cum ab illa Paternitate *omnis paternitas in cælo & in terra nominetur*, vt dicitur ad *Epheſ.*3. Et ratio eſt, quia ibi communicatur eadem numero natura per Generationem,

quod

quod eſt proprie Patrem eſſe: hoc autem in creatione nulla ratione fit. Dices. Abſoluta ſunt priora Relatiuis in Deo: ſed eſſe Patrem reſpectu creaturarum conuenit Deo ratione abſolutorum, eſſe vero Patrem reſpectu Filij ratione Relationis; ergo. Reſpondeo. Eſſentialia Abſoluta priora eſſe Relatiuis, non vero Eſsentialia, quæ dicunt relationem ad extra, vt eſse Patrem creaturarum, dominum, &c. Quod ſi dicas. Scientiam in Deo eſse Eſsentialem, & habere reſpectum ad creaturas; & tamen eſse priorem Relatione ad Filium, cum hic per cognitionem Dei comprehenſiuam producatur; Reſpondetur Eſsentialia Reſpectiua eſse in duplici differentia. Quædã ſunt, quæ fundantur in actione immanente, vt eſt ſcientia; & hæc an ſint priora vel poſteriora Relationibus Diuinis, ſiue Notionalibus, diximus Notatione ſeptima. Alia ſunt, quæ fundantur in actione tranſeunte, vt eſse Dominum, Creatorem, &c. de quibus nos hic loquuti ſumus; & hæc ſunt poſteriora, Relationibus Diuinis.

De Nomine Ingeniti.

Notatio trigeſima.

S. Thomas p.p.q.33.a.4. Bona.1.d.28.q.1.Scotus in 1.d.28.q.2. a.1. Capr.& Dur.1.d.28. diſcipuli S.Thomæ, q.33.a.4. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina, Valentia q.6. Punct.4.Vaſq.Diſp.140. c.3.Suarez lib.8. de Trinit.cap.2.

Contra Ingeniti nomen obijcitur Primo. Patres non videntur recipere hoc nomen. *S. Athanaſius Orat.2. contra Arian.* & *in Oratione de Decretis Nicænæ Synodi* Arianis obijcit, quod in Eccleſiam nomen Ingeniti inauditum inuexerint, mutuo acceptum ab Ethnicis Philoſophis; ergo non eſt vſurpandũ. *S. etiam Ambroſ. lib de Incarnat. Verbi cap.8. & 9.* temere, ait, ab Arianis hoc nomen Patri tributum, cum in Sacris Litteris non reperiatur. Reſpondeo. Arianos noluiſse appellare primam Perſonã Trinitatis Patrem, & ſecundam Filium, ſed loco iſtorum nominum vſos fuiſse ſemper voce Ingeniti, & Geniti, vt teſtatur *Epiphan. contra hæreſ. 73.* contendebant enim, eſse ingenitũ proprium eſse Dei: quare cum ſolus Pater eſset ingenitus, ſolũ etiam Patrem eſse Deum. De hac igitur Quæſtione Græci Patres ab initio reſponderunt Arianis; Ingenitum apud Philoſophos accipi tribus modis. Primo pro eo, quod nec eſt factum, nec fieri poteſt, vt numerum parem eſse imparem. Secundo

pro

pro eo quod factum non eſt,ſed fieri poteſt; ſic Ingenitus dicitur homo qui nondum eſt, ſed eſse poteſt. Tertio, pro eo quod eſt, ſed factum tamen non eſt;& hoc modo dici ingenitum non tantum Patrem ,ſed Filium etiam, & Spiritum Sanctum. Sic Reſpondet. *Athanaſius loc. cit.* & *Cyrillus l. 1. Theſ. c. 1.* Cæterũ cum huic ſolutioni non acquieſcerent Ariani, prouecta diſputatione, reſponderunt ijdem Patres alio modo. Aliud eſſe τὸ ἀγέννητον per duplex ν. aliud τὸ ἀγένητον per ſimplex; per duplex, idem ſignificare quod non natum. & hoc modo eſſe proprium Patris: Pater enim non eſt natus,& Filius eſt natus:per ſimplex autem ν. idem ſignificare quod non factum; & hoc modo eſſe proprietatem non vnius Perſonæ, ſed Dei, communem tribus Perſonis. Sic Reſpondent *Athan. in 1. & 2. Orat. de Trinit. Epiphan. cõ. hæreſ. 64. Cyrill. l. 1. Theſauri c. 11. & l. 2. de Trinit. Damaſc. l. 1. de Fide c. 9.* Scholaſtici qua ratione reſpondeant huic Dubitationi,habes in Theoria. Ad Ambroſium. Reſpondeo. Argumentatur ad hominem: Vos Ariani non vultis recipere nomen (Homouſion) quia non eſt in Scripturis; ergo eadem ratione recipi non debet nomen (Ingeniti) quia non eſt in Scripturis.

Obijcitur Secundo. Si eſſe ingenitum eſt proprium Patris; ergo per hoc diſtinguitur à Filio: ſed eſſe ingenitũ formaliter eſt negatio,non relatio;ergo Pater & Filius non diſtinguentur inter ſe per Relationem, ſed per Subſtantiam,& Eſſentiam. Concedo, formaliter dicere negationem; nego tamen diſtingui realiter inter ſe Patrem, & Filium per Subſtantiam: quia illa negatio non eſt Subſtantia Dei,neque oritur ex Subſtantia, ſed ex Relatione Paternitatis, quæ à nullo producitur,&in qua fundatur; deſeruit ergo hæc negatio ad dignoſcendam perfectionem primæ Perſonæ, quæ à nulla alia procedit.

An eſſe Ingenitum dicat negationem, an priuationem.

Quæſtio leuis eſt. Certum eſt, non dicere priuationem alicuius formæ, quam deberet habere Pater, & non habet; hoc enim aperte repugnaret perfectioni patris. Dicit ergo negationem, prout docet S. *Baſil. l. con. Eunom. Hæc eſt,*inquit,*ingeniti ſignificatio, non habere aliunde principium, vt ſit.* Dicitur tamen ab aliquibus priuatio, prout priuatio ſignificat negationem formæ, cuius eſt capax Suppoſitum eiuſdem generis cũ illo, quod *Notatio trigeſima prima.*

priuatum dicitur. Sic Talpa dicitur priuata viſu, non quod ipſa ſit capax viſus, ſed quod alia animalia oculos habeant: ſic Pater dicitur priuatus proceſſione: non quod ipſe poſſit procedere, & nõ procedat; ſed quia proceſſio reperitur in alijs duabus Perſonis, quæ ſunt eiuſdem generis, ideſt, quarum vtrauis eſt Deus. Hæc autem priuatio, cum non ſit formæ debitæ illi ſubiecto, non arguit imperfectionem in illo: & ſic eſſe ingenitũ nullam dicit imperfectionem in Patre, immo pertinet ad eius dignitatem.

Notatio trigeſimaſecunda. De nomine Filij duo ſunt, quæ facere poſſunt difficultatẽ. Primum. Qua ratione poſſit dici Filius, vbi non eſt commixtio ſexus. Ad hanc difficultatem reſponſum eſt lib. 1.

Secundum. Cur productio ſecundæ Perſonæ ſit generatio, productio Spiritus Sancti non ſit: de qua copioſe diximus, vbi de proceſſionibus. De Nomine Verbi dubium eſt.

An verbum dicatur Perſonaliter tantum.

D. Thomas p.p.q. 34.a 3. & ibidem omnes eius diſcipuli. Et 1. ſent d.27.q.2.a. 1. Dur.1.d.27.q.3. Capr. ibid. q.2. Ferrar.4. con. Gent.c.13. Scotus in 1.d.27.q.2. Gabr. d. 27. q. 3. a.2. Bonauentura 1.d.27.q.1. Valentia q.8. Puncto 1. Vaſq. Diſp. 141. Suarez lib. 1. de Trinit.c.3.

Dubium eſt. Primo. An *Verbum* in Diuinis dicatur tantum Notionaliter. Verbum eſſe nomen Eſſentiale commune toti Trinitati. Sentit *Durandus d.27.q.3. a. 2. Capr.* autem *ibid. & Ferrar.4 contra Gent.cap.13.* dicunt eſſe Eſsẽtiale, & Notionale.

Probatur. Primo. Dicere eſt commune toti Trinitati; ergo etiam Verbum. Conſeqentia eſt certa; quia Verbum eſt terminus dictionis. Probatur Antecedens, ex *Anſelmo in Monolo. Pater,* inquit, *dicit, Filius dicit &c.* Reſpondet S. Thomas, Anſelmum vſurpaſse verbum (dicere) pro (intelligere) quod eſt commune toti Trinitati; dicere autem ſolius eſt Patris.

Secundo. Amor non eſt nomen Perſonale, vel ſaltem non eſt tantum Perſonale, ſed etiam Eſſentiale conueniens omnibus Perſonis; ſic dicitur: *Deus charitas eſt* ergo etiam Verbum erit perſonale & Eſsentiale; quia ita ſe habet amor ad volunta-

tem,

tem, vt verbum ad intellectum. Reſpondeo, & nego Conſequentiam. Ratio eſt, quia amor eſt nomen æquiuocum, & interdum ſignificat actionem amandi, & ſic eſt nomen Eſsentiale; interdum id, quod procedit per actionem, & eſt nomen Notionale. At Verbum in Deo nunquam vſurpatur pro actione intelligendi, ſiue Scripturas conſulas, ſiue Concilia; ſed pro eo tantum, quod producitur per actionem intelligendi; at hoc eſt Filius; & ideo dicitur tantum Notionaliter. Contra. Etiam intellectio dicitur produci à Filio & Spiritu Sancto; ergo hoc erit ſatis ad rationem Verbi. Nego Conſequentiam. Aliud eſt enim ſignificare aliquid, quod vere procedat, aliud ſignificare aliquid per modum procedentis, licet vere non procedat. Verbũ ſignificat id, quod vere procedit ab intellectu, & diſtinguitur realiter à dicente, quod conuenit ſoli Filio: at intelligere, & velle ſignificant actiones per modum procedentis à potentia, non tamen vere procedunt, quia ſunt ipſamet Eſsentia Diuina; neque diſtinguuntur re à Filio & Spiritu Sancto, à quibus ſignificantur procedere.

Tertio. In Angelis & hominibus actio intelligendi ratione tantum diſtinguitur à verbo; ergo idem erit etiam in Deo. Probatur Antecedens: dicitur enim Intellectio, vt tendit in obiectum; dicitur Verbum, vt repræſentat nobis res intellectas, ſed intelligere eſt cõmune toti Trinitati ergo etiam Verbum.

Nego primam Conſequentiam. Alio enim modo ſumitur in nobis verbum, & in Deo; in nobis Intellectio & Verbum diſtinguuntur ratione, vt dicitur in argumento; at in Deo Verbũ vſurpatur ſemper pro eo, quod producitur ab intellectu, & eſt idem etiam cum intellectione, paſſiue ſumpta: Scholaſtici dicunt, eſt idem cum Intelligi, ſicut intellectio actiue ſumpta eſt idem cum intelligente. Improprie quidem poſset etiam ipſa intellectio dici Verbum, ſicut in nobis. Verum quia in his rebus ſequi debemus vſum Eccleſiæ, & hæc nõ tribuit in Deo hoc nomen intellectioni; ideo neque nos tribuere debemus.

An Verbum procedat ex cognitione Diuinarum Perſonarum.

D. Thomas p. p. q. 34 a. 1. ad 3. & ibidem omnes diſcipuli, S. Thomæ, Caiet, Torres, Bannes, Zumel, Molina, Scotus 2. d. 1. q. 1. a. 2. & *Notatio trigeſima tertia.*

 Quodl.

Quodl.14. & 1.d.27.q.3 Ferr.4.cõt.Gent.c.13.Valeu.p.p.q.8.Pũcto 2. Vaſq. Diſp.142. & 143. Suar lib.9 c.4. & 5.

Scotus 2.d.1.q.1. & Quodl.14. vult, Verbum per ſe procedere ex cognitione ſolius Eſsentiæ; ex cognitione vero Perſonarum ſolum concomitanter; Hanc opinionem ſequitur *Vaſq. Diſp.143.* Alij ex Recentioribus idem, ſed alio modo, ex cognitione intuitiua ſolius Patris, & ex cognitione abſtractiua Filij & Spiritus Sancti. Rationes ſunt iſtæ: quarum aliquæ probant de omnibus Perſonis in communi, aliæ vero ſeorſim de ſingulis.

Prima. Si dicamus, Verbum procedere ex cognitione intuitiua ſolius Patris, & abſtractiua Filij & Spiritus Sancti, nullam res habet difficultatem: quia in illo priori, in quo intelligimus Patrem cognoſcere ſe, nondum concipimus eſse Filium & Spiritum Sanctum; ergo ſic debet dici. Reſpondeo. Frequenter quæ faciliora ſunt, falſa ſunt: ſic accidit in iſtorum ſententia. Nam, quod nos concipiamus Deum in aliquo priori ſigno rationis cognoſcentem vnum, & non alterum, nullam ponit imperfectionem in Deo, neque in modo cognoſcendi ipſius; ſed hoc arguit tantum imperfectionem noſtram, qui aſsequi non poſsumus modum, quo Dei intellectus cognoſcit. Cæterum aſserere, Deum cognoſcere rem alio modo, quam ſit, aut ſine perfectione aliqua ipſi rei debita; hoc vere eſt ponere imperfectionem, & deceptionem in Deo ipſo, & in ipſius cognitione. Hoc aſserunt, qui aſserunt, à Patre cognoſci Filium & Spiritũ Sanctum abſtractiue tantum. Ratio eſt, quia Filius, & Spiritus Sanctus ſunt veriſſimus Deus: at de Eſſentia Dei eſt exiſtere; ergo ſi cognoſcantur ſine exiſtentia, vt res cognoſcitur in cognitione abſtractiua, non cognoſcuntur, vt cognoſci debent, ſed cognoſcuntur ſine perfectione ipſis Eſſentiali; ac proinde in cognitione Dei Patris eſſet error & imperfectio.

Secunda. Cognitio Perſonarum ſupponit Perſonas; ergo nõ poteſt eſſe productiua Perſonarum. Quidam breuiter ſic reſpõdent. In illo priori ſigno rationis, cognitionem Patris ſupponere Perſonas in eſſe tantum obiectiuo, non tamen in eſſe reali. Hanc ſolutionem alij ſic explicant. Dicunt enim, cognitionem illam Patris habere duas rationes, cognitionis, & productionis: vt cognitio eſt, ſupponit Perſonas, quia cognitio ſupponit obiectum: vt vero eſt productiua, ſupponitur à Perſonis; quia cognitio, vt productiua, habet rationem principij reſpectu eorũ,

quæ

quæ producuntur; & ideo ſecundum modum concipiendi noſtrum eſt prior re producta. Hæc de Perſonis in cõmuni; nunc de ſingulis.

Tertia. Quando concipimus, *Patrem* in illo priori ſigno ſe ipſum cognoſcere, re vera concipimus Filium & Spiritum Sanctum nondum eſſe; ergo Verbum non producitur ex cognitione Perſonarum, vel certe non producitur ex cognitione ipſarũ intuitiua. Hoc argumentum ſolutum eſt in Theoria. Negatur enim Conſequentia. Ratio eſt. Quia ad cognitionem intuitiuã non eſt neceſſe, vt in quocunque priori ſigno rationis concipitur cognitio exiſtens, concipiatur etiam obiectum exiſtens; ſed ſatis eſt, ſi à parte rei, ſemper, cum ipſa exiſtit, habeat etiã obiectum exiſtens: quod veriſſimum eſt in Diuinis Perſonis: nullũ enim inſtans fuit, nec naturæ quidem, in quo fuerit cognitio Patris, & non fuerint etiam *Perſonæ* cognitæ. Ratio eſt; quia cum Perſonæ ſint coæternæ, non poteſt vna eſſe prior altera; nec per vnicum quidem inſtans durationis. Differentia ergo inter ipſas eſt de inſtanti originis; quia ſcilicet, licet ſint omnes in eodem inſtanti durationis; hæc tamen eſt ab illa; Filius à Patre, non Pater à Filio. Cum ergo inſtans originis non tollat eſſe ſimul à parte rei; licet ſit Filius à Patre, nunquam tamen eſt Pater, ſeu cognitio *Patris*, quin ſimul cum illo ſit Filius. Addo, ad cognitionem intuitiuam neque hoc eſſe neceſſarium: vt diximus in Theoria: hæc enim cognitio eſt quidem de re exiſtente, non tamen ſupponit, rem exiſtere dum cognoſcitur. Nam Deus ab æterno habuit ſcientiam viſionis rerum futurarum, quæ eſt intuitiua, & tamen res ab æterno non exiſtebant; ſed ad hoc ſatis fuit vt eas viderit exiſtentes in propria differentia temporis, in quo erant futuræ. Vnde fit, vt noſter modus intelligendi, quo prius concipimus, Patrem cognoſcere, quam productum eſſe Verbum, aut prius eſſe productum Verbum, quam Spiritum Sanctum, non tollat quin cognitio illa ſit intuitiua.

Quarta. Eſſentia Diuina eſt præcipuum obiectum intellectionis Diuinæ, Perſonæ vero pertinent ad ſecundarium obiectum; ergo prius ratione *Pater* Eſſentiam intelligit quam Perſonas: Nunc ſic. Cognitio illa Diuinæ Eſſentiæ in illo priori eſt infinita, & intellectus cognoſcens eſt fœcundus; ergo habet in illo priori rationem dictionis; ergo Verbum ex ſolius Eſſen-

tiæ cognitione procedit. Reſpondeo. Tranſeat Antecedens, & nego Conſequentiam. Nam à Patre Eſsentia Diuina nõ poteſt niſi comprehenſiue & intuitiue videri. At hoc modo non poteſt videri ſine Perſonis; quia Eſsentialiter eſt in tribus Perſonis. Neque vero dicitur Eſsentia præcipuum, ſeu primarium obiectum, quia prius videatur; ſed quia eſt obiectum omnium præſtantiſſimum, continens in ſe alia omnia, aut formaliter, aut eminenter.

Quinta. Si Verbum produceretur ex cognitione ſui, ſequeretur, produci à ſeipſo, quod eſt abſurdum. Confirmatur. Quia tunc Verbum bis diceretur. Ad hoc etiam argumentum dictũ eſt in Theoria. Nego Conſequentiam. Nam ex eo quod Verbum proceſserit ex cognitione ſui ipſius, quatenus erat obiectiue in cognitione Patris, nõ recte infertur, produxiſse ſe ipſum; ſed productum eſse à Patre ex cognitione ſui. Quod vel ex eo probari poteſt. Quia in illo ſigno rationis, in quo Pater ex cognitione Eſsentię, & trium Perſonarum producit Verbum, noſtro modo intelligendi nondum exiſtunt Verbum, & Spiritus Sanctus; ergo non poſsunt eſse principium productiuum illius cognitionis. Sicut etiam, ex eo quod producitur Verbum ex cognitione creaturarum, non ſequitur produci à creaturis; ſed produci à ſolo Patre, ex cognitione tamen creaturarum. Ad Confirmationem. Dico, nullum eſse abſurdum, vt Verbum bis dicatur: vno modo tanquam productum, quod eſt proprie dici: altero modo tanquam ſignificatum, & repræſentatum ab ipſo Verbo. Et hoc habet cõmune cum omnibus: omnia enim repræſentantur in Verbo; licet repræſentari non ſit dici, niſi improprie.

Sexta. Spiritus Sanctus procedit à Filio; ergo non poteſt cognoſci, niſi prius ſit productus Filius. Nego Conſequentiã. Et ad Probationem dico. Poſse hæc omnia ſimul conferri. Primo cognitionem Spiritus Sancti cum cognitione Verbi; & ſic, ſecundum modum concipiendi noſtrum, prius cognoſcitur Verbum, quam Spiritus Sanctus. Secundo poteſt conferri productio Verbi cum productione Spiritus Sãcti, & tunc etiam prior eſt ſecundum modum concipiendi noſtrũ productio Verbi, quam Spiritus Sancti; quia Spiritus Sanctus eſt à Verbo, nõ contra. Tertio, poteſt conferri cognitio Spiritus Sancti cum productione Verbi: & tunc non modo cognitio Spiritus Sãcti,

ſed

ſed cognitio etiam creaturarum, noſtro modo intelligendi, prior eſt productione Verbi: nam Verbum producitur ex cognitione illarum; vt dicemus. Itaque ad modum concipiendi noſtrum Pater in illo primo ſigno cognoſcit Spiritum Sanctũ, qui ad modum intelligendi noſtrum exiſtet in tertio inſtanti: nam in ſecundo concipimus produci Verbum & exiſtere; & in tertio, à Patre ſimul & Filio produci Spiritum Sanctum.

An Verbum procedat ex cognitione creaturarum poſſibiliũ.

Notatio trigeſima quarta.

Authores ſunt ijdem, & eodem loco, qui in ſuperiori Notatione. Lege Vaſquez Diſp. 143. *& Suarez lib.* 9. *c.* 6. *&* 7.

Scotus loc. cit. in ſuperiori Dubio, omnino negat procedere ex cognitione creaturarum, quod probatur multifariam. Ex eo, quod Verbum eſt ſimpliciter neceſſarium. Ex eo quod eſt abſolutum, non reſpectiuum. Ex eo quod creaturæ non requiruntur ad comprehenſionem Dei. Denique ex eo, quod idem dicendum eſſet de Spiritu Sancto. Sed explicemus ſingula.

Prima ratio. Origo Verbi debet eſse æque neceſſaria ac Verbum ipſum: ſed creaturæ poſſibiles licet ſint neceſſariæ, ſunt tamen minus neceſſariæ, quam Verbum; ergo Verbum non procedit per ſe ex cognitione creaturarum. Nego Minorem. Ratio eſt. Quia nihil poteſt eſſe magis neceſſarium, quam quod omnino eſt neceſſarium: at rem eſſe poſsibilem ex parte rei dicit non inuoluere contradictionem; ex parte autem Dei dicit. Deum habere virtutem productiuam illius, cum non inuoluat contradictionem: vtrumque autem eſt omnino neceſſarium; ac proinde æque neceſsarium, ac Verbum ipſum.

Secunda. Cognitio poſſibilium non requiritur formaliter ad comprehenſionem Dei; ergo Verbum nõ procedit formaliter ex cognitione poſſibilium. Probatur Antecedens. Quia ſcientia Dei non eſt, neque dicitur comprehenſiua, quia verſetur ſimul circa Eſſentiam, & creaturas poſſibiles; ſed quia verſatur ſolum circa Eſsentiam Diuinam: ergo ad cõprehenſionem nõ requiritur actualis cognitio poſſibilium. Nego Antecedens. Quia res non poteſt comprehendi, niſi cognoſcantur quæ continentur in ipſa formaliter, & eminẽter: at creaturæ continentur eminenter in Eſsentia; ergo niſi cognoſcantur, non cognoſcitur Eſsentia comprehenſiue.

Ter-

Tertia. Si Verbum per ſe procederet ex cognitione poſſibilium, diceret reſpectum realem ad illas: ſed non dicit; ergo. Nego Maiorem. Quia Verbum non dicit realem reſpectũ niſi ad Patrem, à quo producitur; ad res autem repræſentatas, & cognitas dicit tantum reſpectum rationis. Et quidem ſi argumentum probaret aliquid, probaret nec ex cognitione quidem Eſſentiæ produci Verbum per ſe; quia non dicit realem relationem ad Eſſentiam. Dices. Ergo dicet ſaltem relationem tranſcendentalem, & ſecũdum dici ad illas. Duplex ſolutio. Prima concedit Conſequentiam. Quia huiuſmodi relatio reperiri ſolet etiam in abſolutis rebus, & illis eſſe eſſentialis: idcirco aſserit, non poſse comprehenſiue, & quidditatiue cognoſci Verbum ſine creaturis poſſibilibus. Secunda negat Conſequentiam. Ratio eſt. quia in relatione tranſcendentali duo poſsunt conſiderari. Primum eſt, quod hæc non poſſit cognoſci ſine ſuo termino. Secundum, eſt fundamentum huius neceſſitatis; quod duplex eſt: interdum eſt dependentia illius à termino: interdum vero non eſt dependentia, ſed perfectio ipſius, ob quam poſtulat habere à ſe dependentem huiuſmodi terminum, licet ipſa non pendeat à termino. Relatio ergo tranſcendentalis, proprie loquendo, requirit primum fundamentũ, ideſt dependentiam, quam non habet Verbum à creaturis. Secundum vero fundamentum, eſt ratio relationis tranſcendentalis, & dependentiæ potius in termino, quam in re, quæ eſt ad terminum: ſic riſibilitas dicit relationem tranſcendentalem ad rationalitatem; non tamen hæc ad illam. Quare non videtur dicendum, Verbum dicere relationem trãſcendentalem ad creaturas, ſed creaturas ad ipſum.

Quarta. Fingamus mente, creaturas non eſse poſſibiles: adhuc, Verbum produceretur, & eſset perfectum; ergo ſignum eſt, non produci ex cognitione creaturarum. Reſpondet ad hoc argumentum *Caietan. p. p. q. 34. a. 1. & Suar. l. 9. de Trin. c. 6.* Conſule illos. Reſpondemus nos breuiter ad Antecedens. In eo caſu, Deum non futurũ omnipotentem, & per conſequens defuturam Deo perfectionem ipſi Eſsẽtialem: quod eſt idẽ ac ſi dicas nõ futurũ hunc Deum, qui nunc eſt, neque Verbũ, quod nunc eſt, ſed aliud, quod non eſset ita perfectum, vt iſtud eſt. At non tollitur omnipotentia Deo, ſed poſſibilitas creaturis. Reſpondeo. Ex vno aliud inferri: non ſunt poſſibiles creatu-

ræ;

ſtæ, ergo Deus non poteſt illas producere; ergo non eſt omnipotens. Dices, fingamus ex tot creaturis poſſibilibus vnã tantum non eſse poſſibilem, mutaretur ne Verbum? Reſpondeo. Non futurum idem Verbum quod nunc eſt. Ratio eſt euidens, quia tunc non eſset eadem cognitio Dei; ſed illa eſset minor iſta, quam nunc habet, ideo neque idem terminus cognitionis; at terminus eſt Verbum, ergo non eſset idem Verbum. Eſset tamen in hoc caſu Deus omnipotens, quia poſset efficere quicquid non implicat contradictionem, quæ eſt ratio omnipotentiæ. Eſset etiam infinite ſapiens, quia ſciret quicquid eſt ſcibile: quod enim implicat contradictionem, ſcibile non eſt, ſed illa omnipotentia, & ſcientia non eſset eadem cum illa, quam habet nunc, vt conſtat. Nec mirum inferri hæc ἀδύνατα, quia vno impoſſibili dato, multa ſequuntur.

Quinta. Si Verbum per ſe procederet ex cognitione creaturarum, etiam Spiritus Sanctus procederet ex amore earundem; non enim aſſignari poteſt diſparitas: ſed hoc dici non poteſt, quia proceſſio Spiritus Sancti eſt omnino neceſsaria, amor autem Dei circa creaturas eſt liber omnino, ergo non poteſt Spiritus Sanctus procedere ex amore creaturarum. Diſtinguo Maiorem Nam Primo amoris nomine poteſt intelligi complacentia quædam circa creaturas poſſibiles, & tunc concedo Sequelam: quia amor ille non eſt liber, ſed neceſsarius, ſicut cognitio poſſibilium. Secundo poteſt intelligi amoris nomine bene velle illi, quem amas: & tunc nego Sequelam. Ratio diſparitatis eſt. Quia hic amor, cum nihil ſit aliud quam velle bonum, ſi ſit efficax, dicit actualem cõmunicationem Diuinæ bonitatis, quæ neceſsaria eſse non poteſt: tum quia Deus extra ſe libere operatur: tum quia hæc actualis communicatio creaturæ non ponit formaliter aliquid perfectionis in Deo, ſed in ipſis creaturis. Econtra vero cognitio, quam habet Deus creaturarum ſecundum eſse poſſibile, nihil ponit actu in ipſis creaturis, ſed eſt perfectio Diuini intellectus, vt eſt infinite cognoſcitiuus, & perfectio Diuinæ Eſsentiæ, quæ ratione illius eminentiæ, qua continet omnia, eſt omnium repræſentatiua. Contra, cognitio creaturarum poſſibilium ſupra rationem cognitionis Eſsentiæ non addit niſi ſolam denominationem extrinſecam, vel reſpectum rationis, ſicut ſcientia futurorum contingentium, ergo nõ dicit perfectionem realem. Nego Antecedens. Et ratio eſt, quia

cognitio creaturarum poſſibiliũ, vt poſſibiles ſunt eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ergo dicit perfectionẽ realẽ Probatur Antecedens. Quia cognoſcere creaturas poſſibiles, in quolibet ſemper & abſolute melius eſt, quam non cognoſcere, ergo non dicit ſolum reſpectũ rationis, ſed perfectionem realem, qua Deus carere non poteſt, ſicut eſse cognoſcitiuum Eſsentiæ non dicet in Deo ſolum reſpectum rationis, ſed perfectionem realem.

An Verbum procedat per ſe ex cognitione creaturarum futurarum.

Notatio trigeſima quinta. Sunt qui velint, Verbũ per ſe procedere ex cognitione creaturarum futurarum, ſicut ex cognitione poſſibilium.

Probant. Primo. Verbum per ſe procedit ex cognitione comprehenſiua Dei: At hæc comprehendit omnia omnino ſcibilia ſecundum omnem modum eſsendi, ideſt, tam ſecundum eſſe poſsibile, quam ſecundum eſse actuale; ergo. Concedo Maiorem, & nego Minorem; nam ſcientia, qua ſe Pater comprehendit, eadem omnino fuiſſet, ſi ab æterno nihil creare ſtatuiſſet: at tunc non includeret futura; ergo nec modo includit. Ad comprehenſionem ergo cuiuſcunque cauſæ requiritur ſolum, vt cognoſcantur quæ ſunt in ea formaliter, & quæ eminenter ad modum actus primi: quæ duo cognoſcuntur à Deo per cognitionem Attributorum, & creaturarum poſſibilium, quæ ab ipſo produci poſſunt; & vtrumque ex his dicit perfectionem in Deo: at productio actualis nullam ponit in Deo perfectionem realem, ſed tantum in creaturis.

Secundo. Deus eſt cauſa libera, quæ comprehendi non poteſt, niſi cognoſcantur effectus ipſius liberi, cuiuſmodi ſunt creaturæ futuræ; ergo ſi Verbum producitur ex cõprehenſiua cognitione Patris, producitur etiam per ſe ex cognitione futurorum. Ad hanc difficultatem reſponſum eſt in Theoria.

Tertio. Quicquid habet Filius, habet communicatum à Patre per generationem: ſed Filius habet ſcientiam non ſolũ poſſibilium, ſed etiam futurorum; ergo hanc accepit per generationem; ergo productio ipſius & generatio per ſe fuit, non ex ſola cognitione poſſibilium, ſed etiam futurorum. Concedo. Quicquid habet Filius, accepiſse per generationem à Patre; ſed nego vltimam Conſequentiam, Ratio eſt. Quia per generatio-

nem

nem accepit Filius à Patre non modo quæ generationem præcedunt, vt ſunt cognitio Eſsentiæ,& creaturarum poſſibilium; ſed etiam ea, quæ noſtro modo intelligendi generationem cõſequuntur, cuiuſmodi ſunt; quod futura cognoſcat; quod creet; quod creata conſeruet, &c.

De Nomine Imaginis.

S.Thomas p.p.q.35.a.1. & 2. & ibid. omnes diſcipuli S.Thomæ. Bon.1.d.31.2.p.a.1.q 1.Capr.d 27.q.2.a.1.Henric.Quodl.4.q.2. Valentia q.9.Puncto 1.& 2.Vaſq. Diſp.145. Suarez lib. 9. de Trinit.cap.8. & 9. *Notatio trigeſima ſexta.*

Non videntur ad rationem imaginis requiri cõditiones, quę afferuntur in Theoria. Nam Primo non videtur requiri ad rationem imaginis origo, ideſt, vt procedat ab eo, cuius eſt imago. Quia imago Cæſaris, quæ refert Cæſarem, non procedit à Cæſare, ſed à Pictore; ergo ad rationem imaginis non requiritur, vt ſit ab eo, cuius eſt imago. Reſpondeo, duas eſſe ſpecies imaginis: altera eſt naturalis, altera artificialis: naturalis eſt duplex: prima eſt vera & realis; ſic filius eſſe dicitur imago genitoris, cum habeat eandem naturam realem, quam habet genitor, vel ſpecie, vt in rebus creatis, vel numero, vt in Diuinis. Et hanc imaginem conſtat procedere ab eo, cuius eſt imago: & de hac loquimur nos in præſenti, cum dicimus Filium eſſe imaginem Patris. Secunda dicitur imago intentionalis: huiuſmodi eſt verbum mentis in nobis, & in Angelis, de quo diximus ſupra; & hæc etiam imago procedit ab eo, cuius eſt imago; debet enim intellectus, antequam verbum producat, habere ſpeciem obiecti, à qua informetur, ad cuius deinde ſimilitudinem producat verbum. Altera ſpecies imaginis eſt imperfectior, & vocatur artificialis: huiuſmodi eſt imago Cæſaris, quæ refert Cæſarem, vt aſſertur in argumento. Et licet non ſit ſermo in præſenti de imagine artificiali, quæ videtur reſpicere obiectum; tamen hęc ipſa imago artificialis dici poteſt eſſe ab eo, cuius eſt imago: quia pictor, antequam pingat imaginem Cæſaris, debet mente concipere Cæſarem, quem deinde exprimat imagine, vt diximus de intellectu, & eius verbo.

Secundo. Non videtur requiri ad rationem imaginis, vt ex natura productionis, formaliter ſumptæ, procedat ſimilis; ſed

videtur ſufficere, ſi re ipſa producatur ſimilis, licet id nō habeat à natura productionis ſuæ. Probatur. Quia Patres Græci paſſim docent, Spiritum Sanctum eſſe imaginem Filij, vt conſtat ex *Baſil.l.5.cont. Eunom.ex Damaſc.l.1. de Fide c.18. ex confeſſione Fidei tradita Thaumaturgo;* & tamen Spiritus Sāctus non procedit, vt loquuntur Scholaſtici, ex vi productionis ſuæ, formaliter ſumptæ, ſimilis Filio; ergo hoc ad rationem imaginis non requiritur. Reſpondeo. Merito *S.Thomam p.p.q.32.a.2.* & cæteros Scholaſticos communiter requirere ad rationem imaginis hanc conditionem. Ratio eſt. Quia imago eſſe debet ad imitationem exemplaris, & ab illo aliquo modo procedere: quare neceſſe eſt, vt vel ex conſilio agentis, vel ex natura, & modo actionis producatur ad referendum exemplar. Cum ergo in imagine naturali non requiratur agentis conſilium, aut intentio; ſupereſt vt imitatio & ſimilitudo eſſe debeat ex ipſa natura actionis Et hoc eſt, quod dicunt Scholaſtici, eſſe ex vi productionis. Quare, cum hic loquamur de imagine naturali, & Spiritus Sanctus ex natura productionis ſuæ, formaliter ſumptæ, non procedat ſimilis Patri, nec Filio; recte dicimus, non eſſe, proprie loquendo, imaginem Patris, nec Filij. Ad Patres Græcos Reſpondet *S. Thomas loc.cit.* ſumpſiſſe imaginem largo modo pro perfecta ſimilitudine; eſt enim tam ſimilis Patri Spiritus Sanctus quam Filius. Eodem modo *S.Baſil.cont. Eunom.* non eſt veritus vocare aliquādo Spiritum Sanctum Verbum Filij. Cæterum ad rationem imaginis, proprie ſumptam, requiritur pręterea, vt hæc ipſa perfecta ſimilitudo oriatur à natura productionis, formaliter ſumptæ, vt dictū eſt. Legatur *Ferrarienſis 4. cont.Gen.c.11. Capr.1.d.27 q.2.Caiet. in q.35. & 37. primæ partis Sancti Thomæ.*

An Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab illo.

Notatio trigeſima ſeptima. *S.Thomas p.p.q.36.a.2. & ibid. omnes eius diſcipuli. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina, Ferrar.4 cōtra Gent c.24. Scotus 1.d.11, q.2.Henric.Quodl.5.q.9.Bona.1.d.11.q.1.Aureol.1.d.11.q.1.a.2. cuius argumēta refert Capr.1.d.11.q.2.a.2.Ægidius ead.diſt.c.2. & Quodl.1.q.6.Herueus ead.diſt.q.1 & quodl.9.q.9.Argētina d.11. q.2. Gabr.1.d.11.q.1.a.1. OKam ibid. Ariminen.ead. d.q.1. art.1. Marſil.*

Marſil. in 1. q. 15. Valentia q. 10. Puncto 3. Vaſq. Diſp. 147. Suar. l. 10. de Trinit. c. 2.

Probatur ergo, diſtinctum iri Spiritum Sãctum à Filio, licet à Filio non procederet, vt ſentit *Scotus, Herueus, & alij*. Primum Argumentum. Filius nunc diſtinguitur à Spiritu Sancto Filiatione: ſed, poſita illa hypotheſi, maneret adhuc in Filio Filiatio; ergo diſtingueretur à Spiritu Sancto. Minor eſt certa. Probatur Maior. Quia per eam formam diſtinguitur vnumquodque ab alio, per quam conſtituitur: ſed Filius conſtitueretur Filiatione; ergo Filiatione à quocumque alio diſtingueretur.

Duplex Solutio. Prima negat, Filiatione, ſi per ſe ſumatur, diſtingui nũc realiter Filium à Spiritu Sancto, ſed tantũ, vt eſt idem cum Spiratione actiua: at, poſita illa hypotheſi, non eſſet idem cum illa; quia tunc non eſſet in Filio Spiratio actiua: ideo tunc non diſtingueretur realiter Filius per Filiationem à Spiritu Sancto. Contra. Spiratio actiua etiam eſt idem cum Eſſentia; & tamen per Eſſentiam non diſtinguitur Filius à Spiritu Sancto; ergo ſi nunc diſtinguitur Filiatione; id non erit propterea, quod ſit idem cum Spiratione actiua, ſed quod illi hoc conueniat, vt Filiatio eſt. Reſpondeo. Eſſentiam eſſe idẽ cum Spiratione actiua, & etiam cum Proceſſione paſſiua tanquam quid commune vtrique: ideo per Eſſentiam non poſſe diſtingui Filium à Spiritu Sancto, hoc eſt ſpirantem à ſpirato: at Filiatio, vt eſt idem cum Spiratione actiua, quæ non conuenit Spiritui Sancto, immo eſt Relatio oppoſita Proceſſioni Spiritus Sancti, recte poteſt diſtinguere Filium à Spiritu Sancto. Ad probationem Maioris dico, Per idem rem conſtitui, & diſtingui à qualibet alia, ſed non eodem modo ab omnibus: itaque Filiatione diſtinguetur in eo caſu Filius à Patre realiter, & ratione tantum à Spiritu Sancto. Hæc reſponſio eſt ſatis probabilis.

Secunda. Solutio, quæ affertur in Theoria, concedit, nunc diſtingui realiter Filium à Spiritu Sancto filiatione, non modo vt eſt idem cum Spiratione actiua, ſed etiam ſi ſumatur per ſe, tunc autem non diſtinctum iri Filiatione; quia tunc non eſſet eadem Filiatio cum illa, quæ nunc eſt; nam hæc Filiatio conſtituit Filium aptum ad ſpirandum; & ideo aliquo modo opponitur Perſonæ ſpiratæ, ſaltem indirecte; illa vero non conſtitue-

ret

Videntur eſſe duo, vt ait *Durand.* 1.*d.*29.*q* 2. Probatur. Primo authoritate *S. Hilarij lib. 2. de Trinit. prope finē* vbi ait, *Spiritum Sanctum à Patre, & Filio authoribus eſſe.*

Secundò. *S. Thomas p.p.q* 36.*a.*4. ait, procedere Spiritū Sanctum à Patre & Filio, vt ſunt plures; ſed ab vtroque procedit, vt à principio; ergo, vt à pluribus principijs.

Tertiò. Quia licet principium (quo) Spiritus Sancti ſit vnū, ideſt, vna virtus ſpirandi; principium tamen (quod) eſt Suppoſitum, non virtus ſpiratiua: at hoc non eſt vnum, ſed duo; ergo duo principia (quod.)

Ad primum. Si authoris nomen ſubſtantiuè ſumatur, illa locutio eſt impropria: ſed Hilarius ſumpſit adiectiuè, authores, ideſt, habentes authoris nomen, & ſpirantes. Vſus eſt autem hoc modo loquendi, vt ſignificaret, Spiritum Sanctum, ratione ſui requirere vtramque Perſonam ad ſui productionem, non tātum ratione producentis, vt creaturæ. Sic exponit Hilarium. *S. Thomas p.p q.* 36. *a.*4 *ad primum.*

Ad ſecundum. Ipſe ſe explicat. S. Thomas, Spiritum Sanctū procedere à Patre & Filio, vt ſunt plures in ratione Perſonæ, non in ratione principij. Fieri enim poteſt, vt plures Perſonę, quia habent eandem virtutem ſpirandi, ſint vnum in ratione principij ſpiratiui, vt conſtat etiam in tribus Diuinis Perſonis, quæ ſunt vnum principium creaturarum propter vnam vim creatiuam in tribus illis Perſonis. Addo Sanctum Thomam, ea locutione ſignificare voluiſſe, ad productionem Spiritus Sancti duas illas Perſonas neceſſario debere concurrere; ita vt ſi ſolus Pater eſſet ſine Filio, non poſſet ab illo procedere Spiritus Sanctus cum ea proprietate, quam nunc habet, ideſt, vt tertia Perſona, ſicut exponitur in Theoria.

Ad tertium. Reſpondeo, principium (quo) Spiritus Sancti eſſe vnam illam virtutem ſpiratiuam in Patre & Filio. Principium vero (quod) eſse Suppoſitum ipſum Patris & Filij, non ſub ratione ſuppoſiti (ſic enim omnino eſſent duo) ſed, prout includunt vnicum illud principium (quo) ratione cuius Suppoſita ſunt principium (quod.) Et quia hoc principium (quo) non eſt duplex, ſed vnum, & idem in vtroque Suppoſito Patris & Filij; ideo Pater & Filius, licet ſint duo in ratione Suppoſiti, ſunt tamen vnū in ratione principij. Attulimus in Theoria exeplum vnius caloris in duobus ignibus, quo aliquo modo explicatur hæc veritas

Ga-

Gabriel vero, & Okam dicunt eſſe vnum principium (quod) quia conſtitutum illud ex Natura Diuina & Relatione Spirationis actiuæ, eſt tantum vnum; vna enim eſt tantum Eſſentia, & Relatio Spirationis actiuæ vna tantum, licet tam illa, quam iſta ſit in duabus Perſonis, & conſtituant vnum Spiratorem. Quare licet Pater & Filius ſint duo in ratione Suppoſiti; ſunt tamen vnum in ratione Spiratoris. Neque hinc ſequitur, dari quartam Perſonam; quia hoc quartum conſtitutum non differt realiter à Perſonis Patris & Filij, ſed eſt omnino idem cum illis: præterea eſt illorum vtrique commune, quod eſt contra rationem Perſonæ, quæ incommunicabilis eſſe debet. Defenditur hic modus *à Gregorio de Valentia, & à Molina ex Recētioribus.*

An Spiritus Sanctus procedat per ſe à Patre & Filio, tanquam à duobus.

D. Thomas p. p. q. 36. a. 4. ad 1. *& ibidem omnes eius diſcipuli. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, & Molina. Scotus* 1. *d.* 12. *q.* 1. *Capr. ibid. Marſil. q.* 15. *a.* 3 *Valent. q.* 10. *Puncto* 5. *Vaſq. Diſp.* 150. *Suarez lib.* 10. *de Trinit. cap* 6. *Notatio trigeſima nona.*

Scotus 1. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. putat procedere tantum per accidens, ſicut creaturæ à tribus; cum æque bene poſſent procedere ab vna, niſi virtus creatiua eadem eſſet in tribus Perſonis.

Probatur primo, Spiritum Sāctum non requirere per ſe duo Suppoſita, ex communi illo modo loquendi Græcorum Patrum, *Cyrill. lib* 11. *in Ioan. cap.* 1. *Athanaſii, & aliorum.* Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium. Cuius Propoſitionis hic videtur eſſe ſenſus. Spiritus Sanctus procedit à Patre non proxime & immediate, ſed medio Filio: ſicut dicimus, nepotem eſſe ab auo per filium. Hanc autem Propoſitionem admittunt etiam Latini, vt videre eſt apud S. *Thomam p p. q.* 36. *a.* 3. Reſpondeo. Spiritum Sanctum omnino eſſe & à Patre & à Filio proxime, & immediate, ſiue loquamur de virtute ſpirandi, ſiue de Suppoſitis. Si loquamur de virtute ſpirandi, hæc eſt vna & eadem in Patre & Filio: quam licet Pater cōmunicauerit per Generationē Filio, illam tamen non amiſit Pater, ſed retinuit: vnde fit, vt non poſſit produci Spiritus Sanctus ab hac virtute; niſi Pater, & Filius ſimul immediate producant. Sicut à pari, licet Pater cōmunicauerit Filio virtutem creandi; quia tamen

eandem omnino virtutem ipſe retinuit,& habet in ſe,quicquid immediate creat Filius, idem immediate creat & Pater. Hæc de virtute. Si vero loquamur de Suppoſito, ab omni illo Suppoſito proxime & immediate procedit Spiritus Sanctus, in quo reperitur voluntas adhuc fœcunda; ſed voluntas fœcunda reperitur non in ſolo Suppoſito Filij, ſed etiam Patris; ergo Spiritus Sanctus immediate producitur tam à Suppoſito Filij, quàm Patris. Sic Reſpondet *Sanctus Thomas p. p. quæſtio. 36. artic. 3. ad* 1. Et ad Græcos Patres dico, ex illa locutione ſolum colligi Spiritum Sanctum quaſi duobus modis procedere à Patre. Primò, immediate, vt dictum eſt. Secundò, quodammodo mediate, quatenus communicauit Filio eandem virtutem, per quam producit Spiritum Sanctum. Affert *Sanctus Thomas loco citato* exemplum Abelis. *Abel*, inquit, *proceſſit immediate ab Adam, in quantum Adam fuit Pater eius; & mediate, in quantum Eua fuit mater eius, quæ proceſſit ab Adam.* Hæc S. Thomas. Vtuntur autem Græci Patres illo modo loquendi, vt ſignificent, hanc virtutem ſpirandi, & Proceſſionem Spiritus Sancti reduci ad Patrem tanquam ad primum principiũ & fontem, vt habet *Dionyſius c.* 1, *de Diuinis Nominibus.*

Probatur ſecundo ex *Auguſt. lib.* 1. *de Trinit. c.* 14. vbi ait, Spiritum Sanctum eſſe à Patre & Filio, ſicut creaturæ ſunt à tribus Perſonis. Reſpondeo. S. Auguſtinus comparat creaturas cum Spiritu Sãcto in hoc tantũ, quod tam iſtę quam ille ſunt à pluribus Perſonis; nõ tamen negat, maiori neceſſitate, ex parte rei productæ, procedere Spiritum Sanctum à duobus, quam creaturas à tribus.

Probatur Tertio. De ratione amoris non eſt vt procedat à duobus: ſed Spiritus Sanctus procedit vt amor; ergo ratione ſui non requirit duos. Reſpõdeo. & concedo Maiorem, ſi ſit ſermo de amore in communi: at, ſi ſit ſermo de Amore Diuino & Notionali, qui nunc eſt, nego Maiorem: nam, vt Amor, ſupponit cognitionem, & vt Amor Notionalis, cognitionem Notionalem, per quam Filius producitur, & illi omnia, quæ Patris ſunt, etiam virtus ſpiratiua, communicatur: quare, vt amor Notionalis, exigit procedere à virtute ſpiratiua communicata, atque adeo exiſtente iam in duobus.

Probatur Quarto. Pater habet perfecte in ſe ſolo vim ſpirandi; ergo ſi ſolus eſſet, poſſet ſpirare; ergo licet Spiritus Sãctus

ſpiretur

ſpiretur etiam à Filio, ideſt ex accidenti, quia virtus illa ſpiratiua eſt iam in Filio. Confirmatur. Quia ſi aliter dicamus, ſequitur Patrem egere concurſu Filij ad ſpirandum; ac proinde per ſe ſolum non eſse principium ſufficiens. Reſpondeo negando Conſequentiam; poſse ſcilicet Patrem, ſi ſolus eſset, ſpirare eundem Spiritum Sanctum, qui nunc eſt. Quia licet in ſolo Patre ſit virtus ſpiratiua; deeſt tamen illi conditio ad ſpirandum, ſi intelligatur ſine Filio. Cum enim virtus ſpiratiua prius ratione communicari poſſit Filio per cognitionem Notionalem, quam exeat in actum ſecundum ſpirandi; requirit tanquam cōditionem ſine qua non ad ſpirandum, vt exiſtat prius in duobus Suppoſitis; quam conditionem non habet, vt intelligitur eſse in ſolo Patre. Si autem (quod eſse non poteſt) ſolus eſset Pater ſine Filio; intelligeretur quidem habere vim ſpiratiuam, ſed incommunicabilem; ac proinde non eandem, quam nunc habet; quare non poſset producere Spiritum Sanctum cum eadem caracteriſtica proprietate, quam nunc habet. Ad Confirmationē. Reſpondeo. Quod Pater non poſset ſpirare hunc eundem Spiritum Sanctum, qui nunc eſt, ſine Filio, non proueniret ex aliqua imperfectione aut Patris, aut virtutis Spiratiuæ, quia virtus Spiratiua in Filio non eſt alia, neque maior, ſed illa eadem, quę eſt in Patre. Prouenit ergo ex eo, quod virtus illa Spiratiua, quæ nunc eſt, requirit tanquam conditionem ad ſpirandum, vt exiſtat in duobus Suppoſitis: quod nō poteſt habere in vna Perſona tantum. Non proinde tamen dici debet Pater principiū inſufficiens ad ſpirandum Spiritum Sāctum; quia eſſe ſufficiens denominatur à perfecta virtute, quam re vera habet Pater, licet deſit conditio: ſicut voluntas non debet dici principium inſufficiens ad amandum, licet non habeat ex ſe cognitionem, quæ ſupponitur ad amandum.

An dici poſſit, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto?

D. Thomas p.p.q.37 a.2. & ibidem eius diſcipuli. Scotus 1.d.32. q.2. Durand. Bona. 1.d.32. Ibid. Capr. q.1.a.1. Gabr. 1.d.32. q.2. a.2. Marſilius in 1.q.14 a.4. Valentia p.p.q.11. Puncto 2. Vaſquez p.p. Diſp. 151. Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 3. **Notatio quadrageſima.**

Durand. 1.d.32. dicit, hanc Propoſitionem, proprie loquendo, veram non eſſe.

Probatur Primo. Quia *S. Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum, q. 23.* protulerat omniuo ſimilem Propoſitionem; *Pater eſt ſapiens ſapientia genita:* quam retractat *lib. 1. Retract. cap. 26.* ergo. Reſpōdet. *S. Thomas p. p. q. 36. a. 2.* recte dici poſſe, *Pater ſapit Sapientia genita*, vel *intelligit Verbo*, ſi ſit ſermo de intellectione Notionali; & huic ſimilis eſt noſtra Propoſitio; *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Neque Auguſtinus retractauit aliquando Propoſitionem illam, ſed hanc: *Pater eſt ſapiens Sapientia genita*: cui ſimilis videtur iſta: *Pater & Filius ſunt vnum diligens ſe Spiritu Sancto:* quam eodem modo retractaſſet Auguſtinus. Ratio diſcriminis inter has duas Propoſitiones eſt; quia qui dicit; *Pater eſt ſapiens Sapientia genita, & eſt diligens ſe Spiritu Sancto,* videtur ſignificare, tam ſapientiam, quam Spiritum Sanctum eſſe formam intrinſecam ſapientis, & diligentis: at in alia Propoſitione, *Diliget ſe Spiritu Sancto: Sapit ſapientia genita*, tam Verbum, quam Spiritus Sanctus ſignificantur vt terminus, non vt forma. Si quis tamen Patrum non admitteret hanc Propoſitionem: *Pater ſapit ſapientia genita*; id eſſet, quia loqueretur de intellectione Eſſentiali, non de Notionali. Nam ſi ſit ſermo de amore, & cognitione Eſſentiali, vera non eſt illa Propoſitio: *Pater ſapit ſapientia genita; & diligit ſe Spiritu Sancto*: ratio eſt; quia in his Propoſitionibus, tam ſapientia genita, quam Spiritus Sanctus, qui eſt amor, denominant, aut tanquam forma, aut tanquā terminus: ſed non poſſunt denominare, vt forma; quia perſona non poteſt eſſe forma: neque tanquam terminus; quia Verbum & Spiritus Sanctus non ſunt terminus cognitionis & amoris Eſſentialis, ſed tantum Notionalis; ergo ſi denominent, vt termini actionum Eſſentialium, Propoſitiones illæ eſſent falſæ; quia terminus non poteſt denominare actionem, cuius non eſt terminus.

Secundo. Probatur ratione, quam affert idem S. *Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 1. Quia*, inquit, *ſi Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſequitur, Filium non tam eſſe prolem Patris, quam formam, & qualitatem, cum ab ea ſapiens dicatur.* At eadem ratio ſoluenda eſt hic. Si enim Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; ſequitur, Spiritum Sanctum non tam eſſe tertiam Perſonam, quam formam & qualitatem Patris & Filij. Confirmatur. Quia vere hic, Pater & Filius denominantur à Spiritu Sancto: ſed denominatio eſt à forma; ergo aut Spiritus Sanctus eſt forma; aut

non-

non poteſt denominare. Reſpondeo eodem modo quo ſupra, loqui Auguſtinum de cognitione, & ſapientia Eſsentiali, non de Notionali; & tunc valet eius ratio. At cum dicimus, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto;* perſpicuum eſt, eſse ſermonem de Amore Notionali, non de Eſsentiali. Ad Confirmationem. Reſpondetur, non omnem denominationem eſse à forma, ſed aut à forma, aut à termino; ſic dicimus, ignem calefacere non ſolum calefactione, ſed etiam calore, qui eſt terminus productus; & voluntatem amare nō tantum actione productiua amoris, ſed amore ipſo producto.

Tertio probatur. Quia ſi hæc Propoſitio admitti poteſt, debet intelligi de dilectione Notionali; quia Spiritus Sanctus nō eſt terminus Amoris Eſsentialis, ſed Amoris Notionalis: at dilectio Notionalis eſt Spiratio; ergo ſicut dici non poteſt, *Pater & Filius ſpirant ſe Spiritu ſancto*; ita neque diligunt ſe Spiritu Sancto, intelligendo de Amore Notionali. Reſpondeo. Dilectionem Notionalem eſse quidem re vera ſpirationem; tamen vocabulo ſpirationis ſignificari hanc actionem, prout reſpicientem præciſe ſolum terminum: ideo dici non poſse, Patrem & Filium ſpirare ſe Spiritu ſancto, ſicut dici non poteſt, Architectus ædificat domo. At vocabulo dilectionis notionalis ſignificatur eadem actio, prout præter terminum reſpicit etiam obiectum termini; & ita recte dici poteſt: *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto*. Sed hæc, vt conſtat, dubia, ſunt de modis loquēdi.

An ratio Doni ſit proprietas ſolius Spiritus Sancti.

D. Thomas p.p.q.38.a.1.& 2.& ibid. omnes eius diſcipuli. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina, Gabr. 1.d.18.q.1.a.1. Durand. d.18. q.1. Capr. eadem diſt. q.1. Marſil. q.21.a.1. Valentia q.12. Puncto 1.& 2. Vaſq. Diſp.153. Suarez lib.11. de Trinit. cap. 4. *Notatio quadrageſima prima.*

De Nomine doni ſunt aliqua, quæ faciunt difficultatem, quamuis non magni momenti; quæ nos paucis expediemus. DONVM ſic ſolet deſcribi. *Eſt res alicuius quæ gratuito donatur alteri, vt ea libere frui, & vti poſſit*. Ex hac Deſcriptione, quæ deſumpta eſt ex *Ariſtot. 4. Top. c. 4.* oriuntur aliquot Dubia.

Primum Dubium. Spiritus Sanctus quamuis procedat à Patre & Filio, non videtur poſse dici Perſonaliter Donum; quia

videtur ſufficere, ſi re ipſa producatur ſimilis, licet id nõ habeat à natura productionis ſuæ. Probatur. Quia Patres Græci paſſim docent, Spiritum Sanctum eſſe imaginem Filij, vt conſtat ex *Baſil.l.5.cont. Eunom.ex Damaſc.l.1. de Fide c.18. ex confeſſione Fidei tradita Thaumaturgo;* & tamen Spiritus Sãctus non procedit, vt loquuntur Scholaſtici, ex vi productionis ſuæ, formaliter ſumptæ, ſimilis Filio; ergo hoc ad rationem imaginis non requiritur. Reſpondeo. Merito *S.Thomam p.p.q.32.a.2.* & cæteros Scholaſticos communiter requirere ad rationem imaginis hanc conditionem. Ratio eſt. Quia imago eſſe debet ad imitationem exemplaris, & ab illo aliquo modo procedere: quare neceſſe eſt, vt vel ex conſilio agentis, vel ex natura, & modo actionis producatur ad referendum exemplar. Cum ergo in imagine naturali non requiratur agentis conſilium, aut intentio; ſupereſt vt imitatio & ſimilitudo eſſe debeat ex ipſa natura actionis. Et hoc eſt, quod dicunt Scholaſtici, eſſe ex vi productionis. Quare, cum hic loquamur de imagine naturali, & Spiritus Sanctus ex natura productionis ſuæ, formaliter ſumptæ, non procedat ſimilis Patri, nec Filio; recte dicimus, non eſſe, proprie loquendo, imaginem Patris, nec Filij. Ad Patres Græcos Reſpondet *S.Thomas loc.cit.* ſumpſiſſe imaginem largo modo pro perfecta ſimilitudine; eſt enim tam ſimilis Patri Spiritus Sanctus quam Filius. Eodem modo *S.Baſil.cont. Eunom.* non eſt veritus vocare aliquãdo Spiritum Sanctum Verbum Filij. Cæterum ad rationem imaginis, proprie ſumptam, requiritur prętereà, vt hæc ipſa perfecta ſimilitudo oriatur à natura productionis, formaliter ſumptæ, vt dictũ eſt. Legatur *Ferrarienſis 4. cont.Gen.c.11. Capr.1.d.27.q.2.Caiet. in q.35. & 37. primæ partis Sancti Thomæ.*

An Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab illo.

Notatio trigeſima ſeptima. *S.Thomas p.p.q.36.a.2. & ibid. omnes eius diſcipuli. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina, Ferrar.4.cõtra Gent.c.24. Scotus 1.d.11. q.2. Henric. Quodl.5.q.9. Bona.1.d.11.q.1. Aureol.1.d.11.q.1.a.2. cuius argumẽta refert Capr.1.d.11.q.2.a.2. Ægidius ead.diſt.c.2. & Quodl.1.q.6. Herueus ead.diſt.q.1 & quodl.9.q.9. Argẽtina d.11. q.2. Gabr.1.d.11.q.1.a.1. OKam ibid. Ariminen.ead.d.q.1.art.1.*

Marſil.in 1.*q.*15.*Valentia q.*10.*Puncto* 3.*Vaſq.Diſp.*147.*Suar.* *l.*10.*de Trinit.c.*2.

Probatur ergo, diſtinctum iri Spiritum Sãctum à Filio, licet à Filio non procederet, vt ſentit *Scotus*, *Herueus*, *& alij*. Primum Argumentum. Filius nunc diſtinguitur à Spiritu Sancto Filiatione: ſed, poſita illa hypotheſi, maneret adhuc in Filio Filiatio; ergo diſtingueretur a Spiritu Sancto. Minor eſt certa. Probatur Maior. Quia per eam formam diſtinguitur vnumquodque ab alio, per quam conſtituitur: ſed Filius conſtitueretur Filiatione; ergo Filiatione à quocumque alio diſtingueretur.

Duplex Solutio. Prima negat, Filiatione, ſi per ſe ſumatur, diſtingui nũc realiter Filium à Spiritu Sancto, ſed tantũ, vt eſt idem cum Spiratione actiua: at, poſita illa hypotheſi, non eſſet idem cum illa; quia tunc non eſſet in Filio Spiratio actiua: ideo tunc non diſtingueretur realiter Filius per Filiationem à Spiritu Sancto. Contra. Spiratio actiua etiam eſt idem cum Eſſentia; & tamen per Eſſentiam non diſtinguitur Filius à Spiritu Sancto; ergo ſi nunc diſtinguitur Filiatione; id non erit propterea, quod ſit idem cum Spiratione actiua, ſed quod illi hoc conueniat, vt Filiatio eſt. Reſpondeo. Eſſentiam eſſe idẽ cum Spiratione actiua, & etiam cum Proceſſione paſſiua tanquam quid commune vtrique: ideo per Eſſentiam non poſse diſtingui Filium à Spiritu Sancto, hoc eſt ſpirantem à ſpirato: at Filiatio, vt eſt idem cum Spiratione actiua, quæ non conuenit Spiritui Sancto, immo eſt Relatio oppoſita Proceſſioni Spiritus Sancti, recte poteſt diſtinguere Filium à Spiritu Sancto. Ad probationem Maioris dico, Per idem rem conſtitui, & diſtingui à qualibet alia, ſed non eodem modo ab omnibus: itaque Filiatione diſtinguetur in eo caſu Filius à Patre realiter, & ratione tantum à Spiritu Sancto. Hæc reſponſio eſt ſatis probabilis.

Secunda. Solutio, quæ affertur in Theoria, concedit, nunc diſtingui realiter Filium à Spiritu Sancto filiatione, non modo vt eſt idem cum Spiratione actiua, ſed etiam ſi ſumatur per ſe, tunc autem non diſtinctum iri Filiatione; quia tunc non eſſet eadem Filiatio cum illa, quæ nunc eſt; nam hæc Filiatio conſtituit Filium aptum ad ſpirandum; & ideo aliquo modo opponitur Perſonæ ſpiratæ, ſaltem indirecte; illa vero non conſtitue-

ret

ret Filium aptum ad ſpirandum Spiritum Sanctum; ideo nullo modo opponeretur Perſonæ ſpiratæ; & propterea poſset Filius idem eſse re ipſa cum Perſona ſpirata.

Secundum Argumentum. Quæ diſtinguuntur Hypoſtaticè, diſtinguuntur per Hypoſtaſim; ſed Filius diſtinguitur Hypoſtaticè à Spiritu Sancto; ergo per Hypoſtaſim: ſed Hypoſtaſis Filij eſt Filiatio; ergo per hanc diſtinguitur, nunc, & tunc Hypoſtatice diſtingueretur à Spiritu Sancto. Reſpondent dupliciter. Qui enim ſequuntur priorem ſolutionem allatam ad primum argumentum, admiſsa Maiori, ad Minorem dicunt, Non diſtingui Filium nunc à Spiritu Sancto Hypoſtatice per Filiationem, niſi, vt eſt idem cum Spiratione actiua: at tunc non eſset idem cum illa; ideo non diſtingueret Filium re, neque Hypoſtaticè à Spiritu Sancto. Qui vero magis probant ſecundam ſolutionem, dicunt ad Minorem, diſtingui nunc, re ipſa, & Hypoſtaticè Filium à Spiritu Sancto per Filiationem, ſed quaſi mediate; quia nimirum eſt conditio neceſsario requiſita ad conſtituendam Perſonam, quæ poſſit ſpirare: at tunc non conſtitueret Perſonam, quæ poſset ſpirare; ideo neque immediate, neque mediate diſtingueret realiter & Hypoſtatice Filium à Spiritu Sancto, ideſt, à Perſona ſpirata.

Tertium Argumentum. Si Spiritus Sanctus procederet à ſolo Filio, diſtingueretur realiter à Patre; ergo ſi procederet à ſolo Patre, diſtingueretur realiter etiam à Filio. Probatur Antecedens. Quia alioquin Perſona Patris produceret & produceretur; quod implicat: nam, vt Pater, produceret Filium; & quia non diſtingueretur realiter à Spiritu Sancto, qui produceretur à Filio; etiam ipſe, vt eſset idem cum Spiritu Sancto, produceretur à Filio. Gregorius de Valentia admittit totum argumentum. *Nec mirum eſt*, inquit; *quia vno inconuenienti admiſſo, multa ſequuntur.* Hoc etiam argumentum ſoluitur in Theoria. Reſpondeo ergo cum communi Doctorum ſententia, in eo caſu diſtinctum iri realiter Patrem à Spiritu Sancto. Ratio eſt. Quia Spiritus Sanctus tunc haberet cum Filio immediatam, & directam oppoſitionem, à quo procederet; cum Patre vero haberet oppoſitionem mediatam, & indirectam, tanquam cum eo, qui dat eſse Filio, & eſse Spiratoris: at ſi non procederet Spiritus Sanctus à Filio, neque immediate, neque mediate opponeretur illi; ergo nullo modo diſtingueretur realiter ab illo.

Quar-

Quartum Argumentum. Poſita illa hypotheſi Filius procederet per intellectum, vt Verbum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, vt Amor, ergo diſtinguerentur realiter. Probo Conſequentiã. Primo. Quia implicat, eandẽ Perſonã produci poſse realiter duplici proceſſione reali, intellectus, & voluntatis. Secundo Quia tunc in Filio eſset propria Hypoſtaſis, nempe Filiatio, & in Spiritu Sãcto propria Hypoſtaſis, nempe Proceſſio: ergo vel eſsent duæ Perſonæ diſtinctæ, vel certe eadem Perſona duplici Hypoſtaſi conſtitueretur: quod implicat. Tertio Quia ſic diſerte docet *Anſelmus in lib. de Proceſſione Spiritus Sancti c.* 4. ait enim *Habent ergo eſſe à Patre Filius, & Spiritus Sanctus: ſed diuerſo modo, alter naſcendo, alter procedendo, &c.*

Reſpondeo, negando Conſequentiam. Ad primam Probationem. Dico, tunc non futuram in Deo duplicem Proceſſionem paſſiuam ſecundum rem, ſed vnam tantum; duplicem tamen ſecundum rationem, ſicut nunc diſtinguuntur Generatio & Spiratio actiua in Patre. Ad ſecundam, Nego, in eo caſu Filiationem, & Spirationem paſſiuam futuram duplicem Hypoſtaſim realiter diſtinctam; eſſet enim vna tantum ſecundum rem; in qua tamen duæ illæ rationes, tantum per intellectum diſtinguerentur. Sicut ergo nunc Paternitas & Spiratio actiua in Patre non ſunt duæ Hypoſtaſes; ita neque tunc eſſent Filiatio & Proceſſio. Ad Anſelmum. Reſpondeo illis verbis afferri ab illo diſcrimen inter Proceſſionem Filij & Spiritus Sancti, quod illa ſit Generatio, iſta non ſit; non tamen aſſeri ab illo, Filium realiter diſtingui à Spiritu Sancto, quod ille procedat per intellectum, iſte per voluntatem. Immo ab ipſo habemus in eo libro, omnia in Diuinis eſſe vnum, vbi non eſt Relationũ oppoſitio, quæ oritur ex origine vnius Perſonæ ab alia: quæ origo non eſſet inter Filium & Spiritum Sanctum, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio.

An Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti.

D.Thomas p.p.q.36.a.4 & ibid.omnes eius diſcipuli.Caietan.Torres, Bannes, Zumel, Molina, Durãd.1.d.29.q.2. Arim.q.1.d.12.q.1. Gabr.1.d.12.q.1 a 2. Capr.1.d.12.de Trinit. Scotus, Bonau. Riccard. eadem d.12. Valentia q.10. Puncto 5. Vaſq. Diſp. 149. Suarez lib. 10. cap. 7. *Notatio trigeſima octaua.*

Vi-

Videntur eſſe duo, vt ait *Durand*. 1.*d*.29.*q* 2. Probatur. Primo authoritate *S. Hilarij lib. 2. de Trinit. prope finẽ*. vbi ait, *Spiritum Sanctum à Patre, & Filio authoribus eſſe.*

Secundò. *S. Thomas p.p.q* 36.*a*.4. ait, procedere Spiritũ Sanctum à Patre & Filio, vt ſunt plures; ſed ab vtroque procedit, vt à principio; ergo, vt à pluribus principijs.

Tertiò. Quia licet principium (quo) Spiritus Sancti ſit vnũ, ideſt, vna virtus ſpirandi; principium tamen (quod) eſt Suppoſitum, non virtus ſpiratiua: at hoc non eſt vnum, ſed duo; ergo duo principia (quod.)

Ad primum. Si authoris nomen ſubſtantiuè ſumatur, illa locutio eſt impropria: ſed Hilarius ſumpſit adiectiuè, authores, ideſt, habentes authoris nomen, & ſpirantes. Vſus eſt autem hoc modo loquendi, vt ſignificaret, Spiritum Sanctum, ratione ſui requirere vtramque Perſonam ad ſui productionem, non tãtum ratione producentis, vt creaturæ. Sic exponit Hilarium. *S. Thomas p.p q.36. a.4 ad primum.*

Ad ſecundum. Ipſe ſe explicat. S. Thomas, Spiritum Sanctũ procedere à Patre & Filio, vt ſunt plures in ratione Perſonæ, non in ratione principij. Fieri enim poteſt, vt plures Perſonę, quia habent eandemq́ virtutem ſpirandi, ſint vnum in ratione principij ſpiratiui, vt conſtat etiam in tribus Diuinis Perſonis, quæ ſunt vnum principium creaturarum propter vnam vim creatiuam in tribus illis Perſonis. Addo Sanctum Thomam, ea locutione ſignificare voluiſſe, ad productionem Spiritus Sancti duas illas Perſonas neceſſario debere concurrere; ita vt ſi ſolus Pater eſſet ſine Filio, non poſſet ab illo procedere Spiritus Sanctus cum ea proprietate, quam nunc habet, ideſt, vt tertia Perſona, ſicut exponitur in Theoria.

Ad tertium. Reſpondeo, principium (quo) Spiritus Sancti eſſe vnam illam virtutem ſpiratiuam in Patre & Filio. Principium vero (quod) eſse Suppoſitum ipſum Patris & Filij, non ſub ratione ſuppoſiti (ſic enim omnino eſſent duo) ſed, prout includunt vnicum illud principium (quo) ratione cuius Suppoſita ſunt principium (quod.) Et quia hoc principium (quo) non eſt duplex, ſed vnum, & idem in vtroque Suppoſito Patris & Filij; ideo Pater & Filius, licet ſint duo in ratione Suppoſiti, ſunt tamen vnũ in ratione principij. Attulimus in Theoria exẽplum vnius caloris in duobus ignibus, quo aliquo modo explicatur hæc veritas.

Ga-

Gabriel vero,& Okam dicunt eſſe vnum principium (quod) quia conſtitutum illud ex Natura Diuina & Relatione Spirationis actiuæ, eſt tantum vnum; vna enim eſt tantum Eſſentia, & Relatio Spirationis actiuæ vna tantum, licet tam illa, quam iſta ſit in duabus Perſonis, & conſtituant vnum Spiratorem. Quare licet Pater & Filius ſint duo in ratione Suppoſiti; ſunt tamen vnum in ratione Spiratoris. Neque hinc ſequitur, dari quartam Perſonam; quia hoc quartum conſtitutum non differt realiter à Perſonis Patris & Filij, ſed eſt omnino idem cum illis: præterea eſt illorum vtrique commune, quod eſt contra rationem Perſonæ, quæ incommunicabilis eſſe debet. Defenditur hic modus *à Gregorio de Valentia, & à Molina ex Recētioribus.*

An Spiritus Sanctus procedat per ſe à Patre & Filio, tanquam à duobus.

D. Thomas p. p. q. 36. a. 4. ad 1. & ibidem omnes eius diſcipuli. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, & Molina. Scotus 1. d. 12. q. 1. Capr. ibid. Marſil. q. 15. a. 3 Valent. q. 10. Puncto 5. Vaſq. Diſp. 150. Suarez lib. 10. de Trinit. cap 6. *Notatio trigesima nona.*

Scotus 1. diſt. 12. quæſt. 1. putat procedere tantum per accidens, ſicut creaturæ à tribus; cum æque bene poſſent procedere ab vna, niſi virtus creatiua eadem eſſet in tribus Perſonis.

Probatur primo, Spiritum Sāctum non requirere per ſe duo Suppoſita, ex communi illo modo loquendi Græcorum Patrum, *Cyrill. lib 11. in Ioan. cap. 1. Athanaſii, & aliorum.* Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium. Cuius Propoſitionis hic videtur eſſe ſenſus. Spiritus Sanctus procedit à Patre non proxime & immediate, ſed medio Filio: ſicut dicimus, nepotem eſſe ab auo per filium. Hanc autem Propoſitionem admittunt etiam Latini, vt videre eſt apud S. *Thomam p. p. q. 36. a. 3.* Reſpondeo. Spiritum Sanctum omnino eſſe & à Patre & à Filio proxime, & immediate, ſiue loquamur de virtute ſpirandi, ſiue de Suppoſitis. Si loquamur de virtute ſpirandi, hæc eſt vna & eadem in Patre & Filio: quam licet Pater cōmunicauerit per Generationē Filio, illam tamen non amiſit Pater, ſed retinuit: vnde fit, vt non poſſit produci Spiritus Sanctus ab hac virtute; niſi Pater, & Filius ſimul immediate producant. Sicut à pari, licet Pater cōmunicauerit Filio virtutem creandi; quia tamen

eandem omnino virtutem ipſe retinuit,& habet in ſe,quicquid immediate creat Filius, idem immediate creat & Pater. Hæc de virtute. Si vero loquamur de Suppoſito, ab omni illo Suppoſito proxime & immediate procedit Spiritus Sanctus, in quo reperitur voluntas adhuc fœcunda; ſed voluntas fœcunda reperitur non in ſolo Suppoſito Filij, ſed etiam Patris; ergo Spiritus Sanctus immediate producitur tam à Suppoſito Filij, quàm Patris. Sic Reſpondet *Sanctus Thomas p. p. quæſtio. 36. artic. 3. ad* 1. Et ad Græcos Patres dico, ex illa locutione ſolum colligi Spiritum Sanctum quaſi duobus modis procedere à Patre. Primò, immediate, vt dictum eſt. Secundò, quodammodo mediate, quatenus communicauit Filio eandem virtutem, per quam producit Spiritum Sanctum. Affert *Sanctus Thomas loco citato* exemplum Abelis. *Abel*, inquit, *proceſſit immediate ab Adam, in quantum Adam fuit Pater eius; & mediate, in quantum Eua fuit mater eius, quæ proceſſit ab Adam.* Hæc S. Thomas. Vtuntur autem Græci Patres illo modo loquendi, vt ſignificent, hanc virtutem ſpirandi, & Proceſſionem Spiritus Sancti reduci ad Patrem tanquam ad primum principiũ & fontem, vt habet *Dionyſius c. 1. de Diuinis Nominibus.*

Probatur ſecundo ex *Auguſt. lib. 1. de Trinit. c.* 14. vbi ait, Spiritum Sanctum eſſe à Patre & Filio, ſicut creaturæ ſunt à tribus Perſonis. Reſpondeo. S. Auguſtinus comparat creaturas cum Spiritu Sãcto in hoc tantũ, quod tam iſtę quam ille ſunt à pluribus Perſonis; nõ tamen negat, maiori neceſſitate, ex parte rei productæ, procedere Spiritum Sanctum à duobus, quam creaturas à tribus.

Probatur Tertio. De ratione amoris non eſt vt procedat à duobus: ſed Spiritus Sanctus procedit vt amor; ergo ratione ſui non requirit duos. Reſpõdeo & concedo Maiorem, ſi ſit ſermo de amore in communi: at, ſi ſit ſermo de Amore Diuino & Notionali, qui nunc eſt, nego Maiorem: nam, vt Amor, ſupponit cognitionem, & vt Amor Notionalis, cognitionem Notionalem, per quam Filius producitur, & illi omnia, quæ Patris ſunt, etiam virtus ſpiratiua, communicatur: quare, vt amor Notionalis, exigit procedere à virtute ſpiratiua communicata, atque adeo exiſtente iam in duobus.

Probatur Quarto. Pater habet perfecte in ſe ſolo vim ſpirandi; ergo ſi ſolus eſſet, poſſet ſpirare; ergo licet Spiritus Sãctus

ſpiretur

ſpiretur etiam à Filio, ideſt ex accidenti, quia virtus illa ſpiratiua eſt iam in Filio. Confirmatur. Quia ſi aliter dicamus, ſequitur Patrem egere concurſu Filij ad ſpirandum; ac proinde per ſe ſolum non eſse principium ſufficiens. Reſpondeo negando Conſequentiam; poſse ſcilicet Patrem, ſi ſolus eſset, ſpirare eundem Spiritum Sanctum, qui nunc eſt. Quia licet in ſolo Patre ſit virtus ſpiratiua; deeſt tamen illi conditio ad ſpirandum, ſi intelligatur ſine Filio. Cum enim virtus ſpiratiua prius ratione communicari poſſit Filio per cognitionem Notionalem, quam exeat in actum ſecundum ſpirandi; requirit tanquam cõditionem ſine qua non ad ſpirandum, vt exiſtat prius in duobus Suppoſitis; quam conditionem non habet, vt intelligitur eſse in ſolo Patre. Si autem (quod eſse non poteſt) ſolus eſset Pater ſine Filio; intelligeretur quidem habere vim ſpiratiuam, ſed incommunicabilem; ac proinde non eandem, quam nunc habet; quare non poſset producere Spiritum Sanctum cum eadem caracteriſtica proprietate, quam nunc habet. Ad Confirmationẽ. Reſpondeo. Quod Pater non poſset ſpirare hunc eundem Spiritum Sanctum, qui nunc eſt, ſine Filio, non proueniret ex aliqua imperfectione aut Patris, aut virtutis Spiratiuæ, quia virtus Spiratiua in Filio non eſt alia, neque maior, ſed illa eadem, quę eſt in Patre. Prouenit ergo ex eo, quod virtus illa Spiratiua, quæ nunc eſt, requirit tanquam conditionem ad ſpirandum, vt exiſtat in duobus Suppoſitis: quod nõ poteſt habere in vna Perſona tantum. Non proinde tamen dici debet Pater principiũ inſufficiens ad ſpirandum Spiritum Sãctum; quia eſſe ſufficiens denominatur à perfecta virtute, quam re vera habet Pater, licet deſit conditio: ſicut voluntas non debet dici principium inſufficiens ad amandum, licet non habeat ex ſe cognitionem, quæ ſupponitur ad amandum.

An dici poſſit, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto?

D. Thomas p.p.q.37 a.2. & ibidem eius diſcipuli. Scotus 1.d.32. q.2. Durand. Bona. 1.d.32. Ibid. Capr. q.1. a.1. Gabr. 1. d. 32. q.2. a.2. Marſilius in 1. q.14 a.4. Valentia p.p.q.11. Puncto 2. Vaſquez p.p. Diſp. 151. Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 3. *Notatio quadrageſima.*

Durand. 1.d.32. dicit, hanc Propoſitionem, proprie loquendo, veram non eſſe.

Probatur Primo. Quia *S. Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum, q. 23.* protulerat omniuo ſimilem Propoſitionem; *Pater eſt ſapiens ſapientia genita:* quam retractat *lib. 1. Retract. cap. 26.* ergo. Reſpõdet. *S. Thomas p. p. q. 36. a. 2.* recte dici poſſe, *Pater ſapit Sapientia genita,* vel *intelligit Verbo,* ſi ſit ſermo de intellectione Notionali; & huic ſimilis eſt noſtra Propoſitio; *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Neque Auguſtinus retractauit aliquando Propoſitionem illam, ſed hanc: *Pater eſt ſapiens Sapientia genita*: cui ſimilis videtur illa: *Pater & Filius ſunt vnum diligens ſe Spiritu Sancto:* quam eodem modo retractaſſet Auguſtinus. Ratio diſcriminis inter has duas Propoſitiones eſt; quia qui dicit; *Pater eſt ſapiens Sapientia genita, & eſt diligens ſe Spiritu Sancto,* videtur ſignificare, tam ſapientiam, quam Spiritum Sanctum eſſe formam intrinſecam ſapientis, & diligentis: at in alia Propoſitione, *Diliget ſe Spiritu Sancto: Sapit ſapientia genita,* tam Verbum, quam Spiritus Sanctus ſignificantur vt terminus, non vt forma. Si quis tamen Patrum non admitteret hanc Propoſitionem: *Pater ſapit ſapientia genita*; id eſſet, quia loqueretur de intellectione Eſſentiali, non de Notionali. Nam ſi ſit ſermo de amore, & cognitione Eſſentiali, vera non eſt illa Propoſitio: *Pater ſapit ſapientia genita;* & *diligit ſe Spiritu Sancto*: ratio eſt; quia in his Propoſitionibus, tam ſapientia genita, quam Spiritus Sanctus, qui eſt amor, denominant, aut tanquam forma; aut tanquã terminus; ſed non poſſunt denominare, vt forma; quia perſona non poteſt eſſe forma: neque tanquam terminus; quia Verbum & Spiritus Sanctus non ſunt terminus cognitionis & amoris Eſſentialis, ſed tantum Notionalis; ergo ſi denominent, vt termini actionum Eſſentialium, Propoſitiones illæ eſſent falſæ; quia terminus non poteſt denominare actionem, cuius non eſt terminus.

Secundo. Probatur ratione, quam affert idem *S. Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 1. Quia,* inquit, *ſi Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſequitur, Filium non tam eſſe prolem Patris, quam formam, & qualitatem, cum ab ea ſapiens dicatur.* At eadem ratio ſoluenda eſt hic. Si enim Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; ſequitur, Spiritum Sanctum non tam eſſe tertiam Perſonam, quam formam & qualitatem Patris & Filij. Confirmatur. Quia vere hic; Pater & Filius denominantur à Spiritu Sancto: ſed denominatio eſt à forma; ergo aut Spiritus Sanctus eſt forma; aut

non-

non poteſt denominare. Reſpondeo eodem modo quo ſupra, loqui Auguſtinum de cognitione, & ſapientia Eſsentiali, non de Notionali; & tunc valet eius ratio. At cum dicimus, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto;* perſpicuum eſt, eſse ſermonem de Amore Notionali, non de Eſsentiali. Ad Confirmationem. Reſpondetur, non omnem denominationem eſse à forma, ſed aut à forma, aut à termino; ſic dicimus, ignem calefacere non ſolum calefactione, ſed etiam calore, qui eſt terminus productus; & voluntatem amare nō tantum actione productiua amoris, ſed amore ipſo producto.

Tertio probatur. Quia ſi hæc Propoſitio admitti poteſt, debet intelligi de dilectione Notionali; quia Spiritus Sanctus nō eſt terminus Amoris Eſsentialis, ſed Amoris Notionalis: at dilectio Notionalis eſt Spiratio; ergo ſicut dici non poteſt, *Pater & Filius ſpirant ſe Spiritu ſancto*; ita neque diligunt ſe Spiritu Sancto, intelligendo de Amore Notionali. Reſpondeo. Dilectionem Notionalem eſse quidem re vera ſpirationem; tamen vocabulo ſpirationis ſignificari hanc actionem, prout reſpicientem præciſe ſolum terminum: ideo dici non poſse, Patrem & Filium ſpirare ſe Spiritu ſancto, ſicut dici non poteſt, Architectus ædificat domo. At vocabulo dilectionis notionalis ſignificatur eadem actio, prout præter terminum reſpicit etiam obiectum termini; & ita recte dici poteſt: *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.* Sed hæc, vt conſtat, dubia, ſunt de modis loquēdi.

An ratio Doni ſit proprietas ſolius Spiritus Sancti.

D. Thomas p.p.q.38.a.1.& 2. & ibid. omnes eius diſcipuli. Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina, Gabr. 1.d.18.q.1.a.1. Durand. d.18. q.1. Capr. eadem diſt. q.1. Marſil. q.21.a.1. Valentia q.12. Puncto 1. & 2. Vaſq. Diſp.153. Suarez lib.11. de Trinit. cap. 4. *Notatio quadrageſima prima.*

De Nomine doni ſunt aliqua, quæ faciunt difficultatem, quamuis non magni momenti; quæ nos paucis expediemus. DONVM ſic ſolet deſcribi. *Eſt res alicuius quæ gratuito donatur alteri, vt ea libere frui, & vti poſſit.* Ex hac Deſcriptione, quæ deſumpta eſt ex *Ariſtot. 4. Top. c. 4.* oriuntur aliquot Dubia.

Primum Dubium. Spiritus Sanctus quamuis procedat à Patre & Filio, non videtur poſse dici Perſonaliter Donum; quia donum

donum eſt à voluntate libera: at Spiritus Sanctus procedit non libere, ſed naturaliter; ergo. Reſpondeo. Licet Spiritus Sanctus non procedat liberè, ſed naturaliter; datur tamen liberè creaturæ rationali; ideo habere poteſt rationem doni. *Præterea* voluntas liberalis voluntati illi, per quam procedit Spiritus Sanctus, nihil addit aliud, quam reſpectum rationis, qui nihil affert Perſonale.

Secundum Dubium. Ratio doni, vt docet S. Auguſt. l. 5. de Trinit. c. 19. in eo poſita eſt, vt actu donetur. Cum ergo Filius & Spiritus Sanctus non poſſint ab æterno donari creaturæ rationali, quia creaturæ non ſunt ab æterno; ſequitur non habere rationem doni, niſi in tempore. Reſpondeo. Sic videri aliquibus ob allatam rationem. Cæterum contrarium nos putamus, cum *S. Auguſt. l. 5. de Trin. c.* 15. vbi diſcrimen ponit inter donatum & donum. *Nam Donatum*, inquit, *eſt quod actu donatur; Donum verò quod donari poteſt.* Cum ergo Filius, & Spiritus Sanctus ab æterno fuerint donabiles; ab æterno habuerunt rationem Doni. *Et ad Caput illud* 19. ne S. Auguſtinus ſecum pugnet; dicendum, accepiſſe Donum pro Donato.

Tertium Dubiũ. Ratio doni videtur ex æquo cõuenire Filio & Spiritui ſancto: nam vterque procedit ab alio; ac proinde eſt illius, à quo procedit, & vterque dari poteſt creaturæ rationali, & re ipſa datus eſt; præter rem autem illã, quæ dari poteſt, nihil amplius includit Donum, quam duas relationes, alteram ad donantem, alteram ad eum, cui donatur. Reſpondeo. Licet Filio & Spiritui ſancto, ſi ſpectetur relatio ad creaturam rationalem, cui donatur, ex æquo conueniat ratio Doni: non tamen ex æquo conuenit ratio Doni, ſi ſpectetur ordo ad donantem, in quo maxime conſiſtit ratio doni. Nam aliquid quadrupliciter dicitur eſſe alicuius, ita vt ab eo donari poſſit. Primò per identitatem, cum donat ſe ipſum, ſecundum illud Auguſtini: *Nihil eſt tam tuum quam tu*: & ſic nomen Doni conuenit toti Trinitati; donat enim ſe fruendam Beatis. Secundo per originem: & ſic ratio doni non tantum Spiritui ſancto conuenit, ſed etiam Filio, *Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Tertio non ſolum per originem, ſed per propriam quandam rationem originis. Sic Spiritus ſanctus maxime proprie & Perſonaliter dicitur Donum: quia procedit per voluntatem, & per dilectionem, quæ eſt origo omnium donorum:

norum: & quæ prima omnium daretur, ſi dari poſset. Quare *Actor.8.* vocatur Donum: *Exiſtimaſti Donum Dei pecunia poſſideri:* & alibi ſæpe, vt notat S.*Auguſt.l.*15.*de Trinit.c.*19. Quarto, quia ab eo poſsidetur: vt domus, ſeruus, &c. & ſic nomen Doni proprie non accomodatur Perſonæ Diuinæ, ſed rebus ipſis à Deo collatis creaturæ rationali; quamuis aliquo modo etiam Perſonæ, quatenus quodammodo poſſidetur à nobis. Ex his conſtat, magis proprie conuenire rationem Doni Spiritui ſancto, quam Filio.

Sed Contra. Primo. Si ita philoſophemur; Amor eſsentialis in Deo eſset intrinſece & per ſe donum, & primum donum: nam quicquid à Deo creaturis donatur, ab Amore Eſsentiali donatur, vnde à tota Trinitate donari dicitur. Reſpondeo. Amorem Eſsentialem eſse primum donum, & per ſe donum, ſed quod eſt donantis per identitatem: at Spiritus ſanctus dicitur primum & per ſe donum, quod eſt donantis per originem: vnde propria quadam ratione donari dicitur, ſicut & mitti, à Patre & Filio, à quibus producitur.

Secundo. Amor non poteſt habere rationem Doni, quia nō eſt illius, cui fit donatio: remanet enim in donante. Reſpōdeo. Etiam in rebus creatis amorem dici primum donum, quia eſt radix omnium, quæ donantur: & quia eiuſmodi eſt, vt ſi donari poſset, per ſe & ante alia omnia donaretur. Datur etiam, vt dari poteſt, illi, quem diligimus, tanquam obiecto amato. Præterea. Licet amor creatus, cum ſit accidens, donari proprie non poſſit: poteſt tamen vere donari Amor Diuinus ſubſtantialis, & productus, qui eſt Spiritus ſanctus, & re ipſa donatus eſt hominibus. Illud hoc loco notandum. Quod quamuis ex vi Proceſſionis ſuę Spiritus ſanctus ſit donum, ac proinde eſse donum conueniat illi Perſonaliter; non ſunt tamen duæ Relationes reales diſtinctæ, eſse donum, & eſse Spiritum: ſed, vt docet S. Auguſt. eo èſt donum, quo eſt Spiritus: ſicut Filius eadem Relatione reali procedit, vt Filius, & vt Verbum.

Quartum Dubium. Hæc ratio Doni, quæ proprijſſime conuenit Spiritui ſancto, conuenit ne illi ratione Eſsentiæ, an vero ratione Proprietatis Perſonalis? Reſpondeo. Potiſſimum conuenit illi ratione Proprietatis Perſonalis. Nam Spiritui ſancto proprijſſime conuenit ratio Doni; non quia procedit tantum, ſed quia procedit per voluntatem & Amorem, vt dictum eſt:

at quod procedit, ſiue producitur, non eſt Eſſentia, ſed Perſona; ergo hæc ratio conuenit illi maxime ratione Perſonæ. Et hæc Perſona vere datur fruenda Beatis in cœlo, &c. licet veriſſimum ſit, quicquid datur creaturæ, dari à tota Trinitate. Addunt aliqui, recte dici poſſe, conuenire hoc illi aliquo modo ratione Eſſentiæ. Quia hæc Perſona Spiritus ſancti accipit Eſſentiam Diuinam per Amorem, & voluntatem.

Quintum Dubium. An Donum eſſe debeat realiter diſtinctum à donante, & ab eo, cui donatur. Reſpondeo. Vt plurimum realiter diſtingui, ſaltem ab alterutro, vt per ſe conſtat. Dixi vt plurimum; quia hoc non eſt neceſſarium. Nam quando aliquis ſeipſum dat alteri, tunc donum non diſtinguitur à donante. Item cum dicimus, Deum dediſſe Angelis & hominibus eſſe nobiliſſimum &c. tunc donum nō diſtinguitur à recipiente. Eſſentia etiam Diuina, quam Pater communicat Filio, & Spiritui ſancto, habet rationem doni iuxta illud *Ioan. 3. Quod dedit mihi Pater, maius omnibus eſt*, quòd de Eſſentia Diuina exponit *Concilium Lateranenſe in Cap. Damnamus, de Summa Trinitate*: & tamen nō diſtinguitur realiter, neque à donante, neque ab ijs quibus donatur. Verum tamē eſt, Eſſentiā Diuinā, quam Pater Filio, & Spiritui ſancto communicat, licet largo modo poſſit dici Donum Patris, *ex Hilar. lib. 8. de Trinit.* non habere tamen proprie rationem Doni, ſi hæc vox preſſe ſumatur; quia non ex liberalitate, ſed neceſſario, ſiue naturaliter datur. Ex his conſtat, licet Donum dicat duas Relationes, ad donantem, & ad eum, cui donatur; non tamen ſemper eſſe reales, niſi quando realiter diſtinguitur ab vtroque: ſi vero realiter diſtinguatur tantum ab vno, tunc ad illum dicit reſpectum realem, ad alterum vero, à quo non diſtinguitur realiter, relationem rationis; ſiue is ſit, qui donat, ſiue is, qui recipit donum. An verò poſſit Spiritus ſanctus dici Donum noſtrum, vide *S. Thomam p. p. q. 38. a. 2. ad 3. Vaſq. Diſp. 154. c. 3.* Reſpondeo dici poſſe Donum noſtrum ratione poſſeſsionis quando actu poſsidetur à nobis. Dici etiam poteſt Spiritus noſter, quatenus iuſtificat nos, & ad bene operandum impellit, ac mouet. Si vero ſumantur hæ duæ voces ſecundum relationem illam quam dicunt ad donantem & ſpirantem. hoc modo Spiritus ſanctus dici non poteſt Donum noſtrum, neque Spiritus noſter, quia non donatur, neque ſpiratur à nobis, ſed à Patre tantum & Filio.

Denique

Denique Deus etiam omnibus illis modis, quibus intelligitur dicere ad nos reſpectum aliquem, aut vltimi finis, aut efficiẽtis, noſter dici poteſt; qua ratione dicitur bonum noſtrum, finis noſter, creator noſter, &c. Et in Vniuerſum ſub quacumque ratione intelligitur Deus terminare actionem aliquam, vel relationem noſtram, noſter dicitur, Obiectum noſtrum, Amor noſter, Dominus noſter.

An vna Perſona ſit in alia.

S. Thomas p. p. q. 42. a. 5. & ibid. eius diſcipuli Caiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina. Scotus 1. d. 19 q. 2. Gabr. ibidem q. 2. a. 1. Capr. ibidem q. 1. a. 1. Bona ibid. q. 4. Durand. ibidem q. 3. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 9. Vaſquez Diſput. 169. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 16. *Notatio quadrageſima ſecunda.*

Vnam Perſonam Diuinam eſſe in alia ratione Diuinæ Eſſentiæ tantum, nõ ratione Proprietatis. Sentiunt *Henric. Quodl. 5. q. 8. & Durand. 1. d. 19.* Probatur hæc ſententia.

Primo, Quia ſi Paternitas, vt Paternitas, eſt in Filio; ergo Filius eſt Pater. Nego Conſequentiam. Quia hæc immanentia Patris in Filio non tollit, Filium eſſe Filium; ergo ſicuti nõ valet. Si aqua eſt in vaſe, ergo vas eſt aqua; quia aqua non tollit à vaſe eſſe vas; ita nec valet: ſi Pater eſt in Filio; ergo Filius eſt Pater.

Secundo. Perſona ratione Proprietatis ſuæ eſt alia. V. g. Pater ratione Paternitatis eſt alius à Filio, ergo eadem Proprietas eadem Paternitas nõ poteſt eſſe ratio vt Pater ſit in Filio, alioquin ab eadem Proprietate Pater haberet duo, quæ ſunt planè oppoſita inter ſe. Nego conſequentiam. Hæc enim duo, quæ Durando videntur oppoſita, verè non ſunt oppoſita, & oriri poſſunt ab eodem fundamento, ſiue ab eadem Proprietate. Habet enim Pater à Paternitate vt ſit alius à Filio; quia eſt propria ipſius incommunicabilis Subſiſtentia, & ab eadem habet vt ſit præſentiſſimus Filio; tum quia non differt ab Eſſentia, quæ eſt in Filio, neque realiter, neque ex natura rei; tum quia habet immenſitatem, vt diximus in Theoria.

Tertio. Patres dicunt, ratione Eſſentiæ vnam Perſonã eſſe in alia, non ratione Proprietatis; ergo. Reſpondeo. Patres illud aſſerere, & hoc non negare; immo interdum etiam affirmare. Sic *Hilar. lib. 7. de Trinit.* ait, *Verbum manere in Patre tan-*

quam ſubſiſtens in ſubſiſtente,& Eccleſia: In Patre totus filius, &c.

Quarto. Si vna Perſona eſt in alia, etiam ratione Perſonalitatis, ſequitur, inter ipſas Perſonas eſſe aliam Relationem realem à Relationibus originum; eam nimirum, quæ oritur ex mutua præſentia Perſonarum. Nego Conſequentiam: Tum quia, ſi ea Relatio realis eſset, haberet pro fundamento Paternitatem, Filiationem,&c. quæ ſunt Perſonalitates: at vna Relatio, non poteſt eſſe fundamentum alterius Relationis realis, vt dicetur infra. Tum quia hęc præſentia à multis oriri aſſeritur ab immenſitate Diuinarum Perſonarum: quare, cum hæc ſit tantum vna in omnibus tribus Perſonis, non poteſt eſſe realis, ſicut relatio eiuſdem ad ſe ipſum non eſt realis. Dices. Relationes ſunt tres. Ita eſt: ergo, etiam immenſitates. Nego Conſequentiam. Quia in Diuinis non multiplicantur niſi Relatiua: at immenſitas non eſt Relatiua; & ſic habemus in Symbolo: *Non tres immenſi, ſed vnus immenſus.* Idem diximus ſupra Notat. 24. Exiſtentias ſcilicet Relatiuas Perſonarum eſſe tres; & tamen durationem ipſarum eſſe tantum vnam, quia duratio non eſt Relatiua.

An Diuinæ Perſonæ ſint æquales inter ſe.

Notatio quadrageſima tertia.

De re conſtat inter omnes: de modo loquendi diſputant Scholaſtici. *D. Thomas 1.d.20.q.1.a.1. Scotus, & Durand. ibidem q.1. Gabr. & Arim. ibidem q.1. Maior 1.d.42.q.1. Marſilius q.23. a.2.p.2. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 13. Vaſquez Diſp. 165.*

Non videntur eſſe æquales inter ſe. Primo. Quia ſic videntur dicere Patres. Nam *Chryſoſtomus in c. 1. ad Hebr. dicit Filium eſſe quidem æqualem Patri; non tamen Patrem Filio.* Idem ferme *Auguſtin. lib. 1. de Doct. Chriſtiana cap. 2. & lib. 6. de Trinit. c. 16.* quod arguere videtur aliquam minorem præſtantiam in Filio, quam ſit in Patre. Reſpondetur. Simile dupliciter dici. Primo. Quod habet eandem naturam cum alio. Secundo. Magis propriè, quod producitur ad imitationem alterius; qua ratione imago dicitur ſimilis prototypo, non prototypum imagini: Item æquale dupliciter ſumitur. Primo. Pro eo, quod habet eandem magnitudinem cum alio, aut molis, aut virtutis; & in hoc ſenſu tam dicitur Filius æqualis Patri, quam Pater Filio. Secundo. Magis propriè, pro eo, quod producitur ad æquali-

tatem alterius, ſiue vt ſit alteri æquale: & in hoc ſenſu Filius dicitur æqualis Patri, non Pater Filio; quia Pater non producitur, ſed Filius; & hoc modo intelligendi ſunt Patres citati: Sic etiam in rebus creatis dicere ſolemus, id eſſe æquale, quod menſuratur, non quod menſurat; vt pannum vlnæ, non vlnam panno.

Secundo. Probatur ratione. Quæ ſpecie differunt ſunt inæqualia in perfectione, vt docet inductio in rebus omnibus: quare dici ſolet: *Species ſunt ſicut numeri*: ſed Diuinæ Perſonæ in ratione Perſonæ differunt ſpecie, cum ſint relatiuè oppoſitæ; ergo ſunt inæquales in perfectione. Reſpondeo. Non facile admitto Maiorem illam: Quæcunque differunt ſpecie, eſſe inæqualia: nam relationes propinquitatis, & diſtantiæ ſpecie differunt, & aliæ ſimiles; hæ tamen relationes non videntur vllo modo eſſe inæquales. Dicuntur autem eſſe ſimiles numeris Species in hoc tantum; quod, ſicut addita quauis vnitate, variatur numerus, ita, addito quouis gradu eſſentiali, variatur Species. Non tamen negari debet, poſſe eſſe æqualia in perfectione, quæ differunt Specie. Sed quicquid ſit in creatis, Reſpondeo, in Diuinis vnam eſse & eãdem Diuinam Naturam, cum qua idem omnino ſunt realiter omnes perfectiones Perſonales, & in qua omnes perfectiones Perſonales continentur eminenter, quibus, formaliter ſumptis, diſtinguuntur Perſonæ inter ſe. Vnde fit, vt ratione Eſsentiæ, ſingulæ includant identice & eminenter proprias perfectiones Relatiuas aliarum Perſonarum. Continere autem eminenter aliquam ex illis Relationibus, æque perfectum eſt, ac continere illam formaliter. Quare principium illud: *Quæ ſpecie aut quaſi ſpecie inter ſe differunt, ſunt inæqualia perfectione*, ſic eſt temperandum, niſi aliquid includant infinite perfectum, in quo eminenter contineantur ea, quibus formaliter diſtinguuntur: & ſic accidit in Diuinis Perſonis.

Tertio. Filius non habet potentiam generandi quam habet Pater; ergo non eſt æqualis Patri. Oſtendo Conſequentiam. Quia ſi Filius non poſset creare aliquid, quod poſset Pater, eſset inferior Patre: at potentia productiua Perſonæ Diuinæ non eſt minus perfecta quam potentia creandi aliquam creaturam; ergo, cum in Filio non ſit potentia generandi, neque in Spiritu Sancto potentia ſpirandi, erunt inferiores Patre. Confirmatur. Quia potentia generandi pertinet ad omnipotentiam: ſed hanc

non habet Filius; ergo non eſt omnipotens. Probatur Maior. Primo ex *Auguſtin. lib. 3. contra Maximinum cap. 12.* Vbi: *Si non potuit*, inquit, *Pater generare Filium, vbi eſt omnipotentia Dei Patris?* Secundo. Potentia generandi non eſt minus perfecta in Deo, quam potentia creandi, cum illa habeat perfectiorem actionem & terminum: ſed potentia creandi pertinet ad omnipotentiam; ergo & potentia generandi. De Fide eſt, omnes Diuinas Perſonas æquales eſse: & ratio eſt; quia alioquin non eſset quælibet Perſona ſumme perfecta; quod implicat, cum quælibet includat Eſsentiam omni modo perfectam. Ad Argumentum ergo, Admiſso Antecedente, nego Conſequentiã. Ratio eſt. Quia omnes Perſonæ includunt perfectionem abſolutam Diuinæ Potentiæ tam Generatiuæ quam Spiratiuæ, hoc eſt Diuinam Eſsentiam: & ratione iſtius continent identice, & eminenter omnem perfectionem Relatiuam, quæ requiritur ad conſtituendam formaliter Potentiam Generatiuam & Spiratiuam. Quare, cum Filius habeat Potentiam Generatiuam identice & eminenter, non eſt minor Patre, qui habet Potentiam Generatiuam formaliter, vt dixi ad ſecundum.

Ad primam probationem. Reſpondeo, negando Conſequẽtiam. Quia potentia Creatiua eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ideo eſse debet formaliter in quacunque Diuina Perſona: at potentia Generatiua licet non ſit minus perfecta quam potentia Creatiua, quia includit formaliter perfectionem ipſam Abſolutæ Potentiæ Dei; tamen ratione illius, quod addit ſupra perfectionem Abſolutam, nõ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſed reſpectiua quædam perfectio ſimplex: quam identice, & eminenter habere, æque perfectum eſt, ac illam habere formaliter; ideo non eſt inæqualis Patri Filius: Pater enim habet hãc potentiam formaliter, & Filius habet totam perfectionem potentiæ Generatiuæ quoad reſpectiuum, identice & eminenter; quoad abſolutum, formaliter. Dices. Ergo in Filio erit potentia Generatiua. Nego Conſequentiam. Quia ad conſtituendam potentiam Generatiuam requiritur Relatio Paternitatis formaliter, non eminenter tantum. Ad Cõfirmationem. Nego Maiorem. Omnipotentia enim eſt Attributum Eſsentiale & commune omnibus Perſonis, vt conſtat ex Symbolo Athanaſij: *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius*, &c.

Ad primam probationem. Reſpondeo, ibi Auguſtinum, nomine

mine Omnipotentiæ intellexiſse perfectam virtutem generandi Filium, quæ conuenit Patri vt Pater eſt: quam ſi non haberet, eſset imperfectus, & impotens. Ad ſecundam. Explico Maiorem. Potentia creandi eſt abſoluta, & perfectio ſimpliciter ſimplex; ideo pertinet ad Omnipotentiam: & ſi Filius illa careret, non eſset Omnipotens, vt diximus. Potentia autem generandi, licet quantum ad abſolutum, quod dicit, non ſit minus perfecta quam potentia creatiua]; tamen, quia ad completam rationem huius potentiæ requiritur etiam reſpectiuum, quod reſpectiuum non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ideo non eſt communis omnibus perſonis, neque formaliter pertinet ad Omnipotentiam: quare licet Filius non habeat potentiam Generatiuam formaliter, eſt tamen formaliter & eſsentialiter omnipotens. Dices. Quomodo ergo intelligendus eſt: *Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 17. Filium, non generare, non quia non poſſit, ſed quia non oportuit*. Reſpondeo ſenſum eſse. Quod Filius non generet, non oriri ex impotentia aliqua & defectu; ſed quia Filio non conueniebat, vt ineſset potentia Generatiua, ſed ſoli Patri. Ad finem huius Notationis.

Quæritur, Cur æquè perfectum ſit, vt ſæpe diximus, habere perfectiones Relatiuas eminenter, ac habere illas formaliter. Reſpondeo. Rationem eſse, quia perfectio Relatiua eſt oppoſita alteri perfectioni, quæ eſt æque perfecta: ideo repugnat in eodem eſse ſimul vtramque formaliter. Hinc eſt, vt non ſit perfectius, illas habere formaliter quo modo ſe mutuo excluderent, quam alio modo quo ſe non excludunt, & tamen perfecte habentur. Duobus ergo modis ſe mutuo non excludunt. Primus eſt, cum vtraque identice, & eminenter habetur: & ſic habentur ab Eſsentia Diuina. Secundus eſt cum vna quidem habetur formaliter, altera vero habetur identice tantum, & eminenter: & ſic habentur à ſingulis Diuinis Perſonis.

An inter Diuinas Perſonas ſit aliquis ordo prioris, & poſterioris ex natura rei.

D. Thomas p. p. q. 42. a. 3. & ibidem eius Diſcipuli. Bonau. 1. d. 9. a. 2 q. 1. & 2. Durand. ibidem q. 2. Scotus 1. d. 12. q. 2. & d. 28. q. vltima. Gabr. 1. d. 9. q. 3. Greg. ibidem q. 1. Suarez lib. 4. de Trin. c. 15. *Notatio Quadrageſima quarta.*

Non eſt dubium, vt bene probat S. Thomas, inter Diuinas

per-

perſonas eſse ordinem aliquem originis; quia dicimus Patrem eſse primam perſonam Trinitatis, Filium ſecũdam, & Spiritum Sanctum tertiam: quo loquendi modo aperte ſignificamus ordinem originis inter perſonas. Dubium tamen eſt, An proinde dici poſſit Pater prior origine, quam Filius, & Filius prior origine Spiritu Sancto. Negat id dici poſse *Bona.1.d.9.a.2.q.1. & Durand.ibid.q.7.* Ex noſtris Molina.

Probatur hæc ſententia. Primo. Quia in Symbolo Athanaſij dicitur: *In hac Trinitate nihil eſt prius, aut poſterius.* S. etiam *Auguſtin.lib.3.cont. Maximinum* ſic loquitur: *Eſt in Trinitate ordo naturæ, non quo alter prior eſt altero, ſed quo alter eſt ab altero.* Et *S.Thomas p.p.q.42 a.3.* admittit quidem in Diuinis perſonis ordinem originis; ſed negat, vnam eſse priorem altera. Secundo. Quia Relationes, & relata, formaliter ſumpta, ſunt ſimul natura, origine, & ratione; ergo, ſi admittatur ordo originis in Diuinis perſonis, ita admitti debet, vt non tollat, eas his omnibus modis eſse ſimul, cum intrinſece ſint relatiuæ. Nos contrariam ſententiam defendimus in Theoria.

Ad primum. Reſpondeo, in Symbolo aſseri, vnam perſonã non eſse altera priorem, hoc eſt duratione; & ad ſummum, natura, vt eſse ſolet cauſa prior effectu: non tamen ibi negatur, vnam eſse priorem origine, quam ſit alia. Idem eſt ſenſus S. Auguſtini, & D. Thomæ. Loquuntur enim de eo, quod eſt abſolute prius altero: at abſolute prius id tantum eſt, quod pręcedit aliud, aut duratione, aut natura; quæ vero priora ſunt alio modo, ſunt tantum priora ſecundum aliquid; nimirum ſecundum originem, aut ſecundum rationem, non abſolute.

Ad ſecundum. Reſpondent aliqui. Antecedens eſse verum, ſi ſumatur perſona ſecundum vltimam rationem, quæ illi conuenit, vt talis perſona. Exempli cauſa. Perſona Patris, vt Pater eſt, eſt ſimul natura, origine, & ratione cum perſona Filij: at ſi ſumatur ſecundum rationem communem perſonæ, vt perſona eſt, vel vt ſubſiſtens eſt, Pater eſt prior Filio per intellectum: ſicut in humanis pater vt pater, non eſt prior Filio, neque ſecundum rationem; eſt tamen prior filio & ratione, & tempore, vt perſona eſt. Nobis probatur magis alia ſolutio, Diuinas perſonas producentes, etiam ſi ſumantur ſecundum vltimam rationem, eſse priores non ſolum origine, ſed etiam ratione, perſonis productis: & in hoc differunt à relatiuis creatis, quæ

ſunt

ſunt omnino ſimul ſecundum rationem. Ratio differentiæ eſt duplex. *Prima*. Quia in relationibus creatis neutra eſt principium alterius, ſed vtraque pendet ab eo principio, quod eſt principium vtriuſque: & ita neceſsario ſimul ſunt, & origine, & cognitione: at in Diuinis, Relatio paternitatis V.g. intrinſece pertinet ad rationem potentiæ Generatiuæ, qua producitur Filius, ac Filiatio: & *Pater*, qui conſtituitur paternitate, eſt principium Filij, qui correlatiuus eſt *Patris*: quare non eſt mirum, ſi vna Relatio, & vnum relatum in Diuinis ſit prius origine, & cognitione quam aliud. Secunda ratio differentiæ eſt. Quia, vt dixi ſupra, Relationes Diuinæ reſpondent relationibus creatis, & earum fundamentis; quia præſtant id, quod præſtant relationes creatæ, & ipſarum fundamenta: quare concipi, & cognoſci poſsunt à nobis, vt reſpondent relationibus creatis tantum, vel etiam, vt reſpondent relationum fundamentis. Licet ergo ſumptæ, vt reſpondent relationibus creatis, ſint ſimul cognitione; vt tamen reſpondent relationum fundamentis, quibus reſpondent adhuc, vt relationes Diuinæ ſunt; dici recte poteſt, vnam eſſe ſecundum rationem priorem altera. Eſſe autem prius hic non ſignificat, vnum apprehendi poſſe ſine alio, quod eſſe non poteſt; quia Pater, vt Pater, apprehendi non poteſt ſine Filio; ſed ſignificat, apprehendi poſſe Patrem vt iam exiſtentem cum filio, qui ab intellectu apprehenditur, vt nondum exiſtens in illo ſigno rationis, in quo apprehenditur Pater, ſed futurus in poſteriori ſigno rationis. Sicut Deus ab æterno ſimul intelligitur cognouiſſe ſeipſum, & res creatas viſione intuitiua; ſed ſeipſum exiſtentem ab æterno, & res creatas exiſtentes ſuis temporibus, quæ tempora longiſſimo interuallo præcedit æternitas.

Aduertendum autem: *Primo*, hunc ordinem prioris, & poſterioris ſecundum originem, reperiri non ſolum inter Perſonas, ſed etiam inter ipſas Relationes oppoſitas. Item inter origines ipſas actiue ſumptas, & paſſiue V.g. inter Generationem, actiue ſumptam, & paſſiue; inter Spirationem, & Proceſſionem Spiritus Sancti. Et ratio eſt. Quia Relationes, & Origines ſic ſumptæ, ſunt idem omnino & adæquate cum Perſonis. Sicut ergo Pater prior eſt origine, quam Filius; ita paternitas & Generatio actiua, quæ adæquate identificatur cum Patre, prior eſt ſecundum originem quam Generatio paſſiua & Filiatio, quæ

idem

idem ſunt adæquate cum Filio.

Aduertendum Secundo, eundem ordinem eſſe inter Origines actiue ſumptas. V.g. inter Generationem & Spirationem actiuam. Ratio eſt. Quia ad hoc ſufficit, vt vna actio terminetur ad terminum, cui per ſe neceſſario competat eſſe principiū alterius actionis, vt hic accidit: nam Generatio terminatur ad Filium, qui eſt principium Spirationis Spiritus Sancti. Neque refert ad hoc, An actiones iſtæ realiter inter ſe differant, An tan tum ratione; quandoquidem ſunt eſſentialiter ſubordinatæ inter ſe.

Aduertendum Vltimo. Cum Pater ſit Deus à ſe, Sapiens, Omnipotens, &c. Et Filius ſit Deus, & Sapiens, &c. à Patre; dici poteſt, hæc omnia prius origine conuenire Patri, quam Filio. Quia tamen Spiratio Spiritus Sancti non eſt a ſolo Patre, ſed à Patre ſimul cum Filio; ideo non recte dicitur, actum ſpirandi prius origine conuenire Patri, quam Filio, ſed vtrique ſimul; quia vt vna Perſona dicatur habere hoc vel illud prius origine, non ſufficit vt habeat illud à ſe, vel ab alio; ſed vt ſic habeat, vt præciſe ſine alia Perſona illud abſolute habere dici poſſit. Fatemur tamen, multa ex his magis pertinere ad modum loquendi, quam ad rem ipſam. Nam in re omnes Catholici conueniunt, inter Diuinas Perſonas, vt fatemur in Symbolo Athanaſij, nihil eſſe prius, aut poſterius.

An Relatio ſimilitudinis & æqualitatis inter Perſonas ſit realis.

Notatio quadrageſima quinta.

D. Thomas p.p. q.42. a.1. & ibi omnes eius Diſcipuli. Scotus 1.*d.*31.*q.*2. *& Quodlib.6 a.2. Durand.* 1.*d.*31.*q.*1. *Capr. ibidem q.* 1. *a.*1. *Marſil.* 1.*q.*33. *a.*2. *Valentia q.*16. *Puncto* 1. *Vaſq. Diſp.*166. *Suarez lib* 4. *de Trinit.c.*15.

In Diuinis Perſonis ſunt duo, Eſſentia, & Relatio. Eſſentia eſt fundamentum ſimilitudinis & æqualitatis inter Perſonas: Relatio vero Paternitatis, Filiationis, &c. eſt fundamentum oppoſitionis & diſtinctionis. De vtriſque dubitatur, An ſint reales, an tantum rationis. *Scotus* cenſet vtraſque reales 1.*d.*31. *q.*1. *& Quodl.6.*

Probatur, Relationes ſimilitudinis & æqualitatis eſſe reales. Hæ relationes habent omnia quæ requiruntur ad relationem

realem:

realem: extrema realiter diſtincta, & fundamentum æqualitatis & ſimilitudinis etiam reale; Diuinam nimirum Eſſentiam in tribus perſonis; ergo. Negatur Antecedens. Quia præter extrema realiter diſtincta, ad Relationem realem in hoc genere Relationum requiritur, vt fundamentum etiam æqualitatis & ſimilitudinis in extremis ſit diuerſum, non idem numero in vtroque extremo, vt eſt hic: non poteſt autem eiuſdem ad ſeipſum eſſe relatio realis. Contra. Si idem numero candor poni poſſet in duobus extremis diſtinctis, illa eſſent ſimilia relatione reali; ergo idem dici debet de Perſonis Diuinis, in quibus eſt vna & eadem ſingularis Eſſentia. Nego Antecedens, ob allatam rationem; quia eiuſdem ad ſe ipſum non poteſt eſſe relatio realis, ſed tantum rationis. Contra. Perſonæ Diuinæ re ipſa ſimiles & æquales inter ſe ſunt ab æterno; ergo æqualitate reali, non rationis, quæ ſolum eſt quando concipitur ab intellectu creato. Solutio prima eſt, Diuinas Perſonas non eſſe æquales inter ſe, neque ſimiles formaliter ab æterno, ob rationem allatam in argumento, ſed fundamentaliter tantum, vt ipſi loquuntur; hoc eſt, eſſe ab æterno vere in omnibus Perſonis eandem Eſſentiam, quæ poteſt eſſe fundamentum Relationis, quando erit intellectus creatus, qui illam concipiat. Altera ſolutio eſt eorum, qui concedunt ab æterno Relationem rationis inter Perſonas Diuino intellectu eam concipiente per ordinem ad intellectum noſtrum; cognoſcit enim Deus Eſſentiam & Relationes, non modo, vt ſunt in ſe ipſis, ſed etiam, vt ſunt, vel eſſe poſſunt obiectiue in intellectu viatoris: in intellectu autem viatoris hæc duo ſunt obiectiue diſtincta per rationē: at cognoſcere hęc duo vt diſtincta per rationem, eſt vere diſtinguere ratione; quia eſſe entis rationis eſt, cognoſci, vel obijci intellectui; ergo vel Deus non cognoſcit illa, vt diſtincta, vel ſi cognoſcit, vere diſtinguit ratione.

Probatur nunc Relationes oppoſitionis & diſtinctionis inter Diuinas perſonas eſſe reales. Perſonales proprietates, ſecundū ſe ſumptæ, præciſæ à perfectione Eſſentiali, non ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſunt fundamētum oppoſitionis & diſtinctionis; ergo ſaltem iſtæ Relationes oppoſitionis & diſtinctionis erunt reales. Probatur Conſequentia. Nam ſunt inter extrema realiter diſtincta, & habent fundamenta realia, & realiter diſtincta. Nego, Relationes oppoſitionis & diſtinctionis vt diſtinguūtur

à Relationibus Paternitatis,& Filiationis,&c.eſſe reales. Ratio eſt. Quia iſtæ Relationes oppoſitionis & diſtinctionis, habent pro fundamento Relationes ipſas Paternitatis, & Filiationis. At relationis non poteſt eſſe relatio; ſicut actionis non poteſt eſſe actio: ideſt, relatio realis non poteſt habere pro fundamento aliam relationem realem; alioquin daretur proceſſus in infinitum; nam hæ Relationes oppoſitionis & diſtinctionis eſsent fundamentum aliarum, & ſic in infinitum. Immo licet in rebus creatis admitteretur, vnam relationem realem eſse fundamentum alterius relationis realis; in Diuinis tamen non poſset admitti; quia Diuinæ Relationes ob infinitatem ſuam, ſicut præſtant ſe ſolis quod prçſtant relationes creatæ, & illarum fundamenta; ita ſe ſolis præſtarent quicquid præſtant relationes creatæ, & quæuis aliæ relationes, quç illis ineſsent tanquam ſubiecto.

Sed contra hoc fundamentum Obijcitur primo. Quod Relatio creata non poſſit eſse fundamētum alterius relationis realis oritur ex imperfectione entitatis relatiuç: At Relationes Diuinç prçſtantiſſimç ſunt, includunt Eſſentiam Diuinam, & per ſe ſubſiſtunt: poterunt ergo eſſe fundamentum aliarum relationum realium. Reſpondeo. Non ex ſola imperfectione entitatis relatiuæ oriri vt relatio non poſſit eſse fundamentum alterius relationis realis, ſed ex natura ipſa intrinſeca relationis. Sicut enim non ex ſola imperfectione actionis, ſed ex intrinſeca ipſius natura oritur, vt actionis, non ſit actio. Quare nec in diuinis eſſe poteſt actionis actio; ita ex intrinſeca natura relationis oritur, vt relationis non ſit relatio. Hoc autem ità eſſe, tam in actionibus, quàm in relationibus, ſatis aperte colligitur à poſteriori ex illo proceſſu in infinitum, qui neceſſario deducitur, ſi defendamus oppoſitum.

Obijcitur ſecundo. Relatio Spirationis actiuæ habet pro fundamento Patérnitatem & Filiationem; ergo non repugnat, vnam relationem realem eſse in alia, & habere aliam pro fundamento. Nego Antecedens. Quia Spiratio actiua licet ſupponat Paternitatem & Filiationem tanquam conditionem; non habet tamen illas pro fundamento. Quod conſtat: quia id, quod refertur per Spirationem actiuam, non ſunt Relationes Paternitatis & Filiationis, ſed eſt conſtitutum ex Eſſentia & Spiratione actiua: quod vocari ſolet (ſpirator) & eſt quid commune

Patri & Filio, & idem realiter cum vtroque, vt diximus ſupra in Quæſtione, An Pater & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti. Quare Pater & Filius per hanc Relationem Spirationis actiuæ proxime referuntur, quatenus ſunt vnus Spirator, ad Spiritum Sanctum, qui ſpiratur. Quod ergo erit fundamentum proximum Spirationis actiuæ? Quidam dicunt eſſe ipſam originem, id eſt, actum Notionalem Diuinæ voluntatis, quem actum ſequitur Relatio Spirationis. Cæterum videtur potius dicendum, nullum eſſe fundamentum huius Relationis, ſed ipſam ſe ſola præſtare, quod in rebus creatis præſtare ſolet relatio & fundamentum, ſicut de Paternitate ſupra cenſuimus. Et probari poteſt. Tum quia requiritur ad conſtituendam completam rationem Potentiæ Spiratiuæ, vt diximus de Paternitate reſpectu Potentiæ Generatiuæ; ergo ſecundum rationem debet præcedere productionem Spiritus Sancti. Tum quia Pater ex ſe habet omnem perfectionem realem, ſiue Abſolutã, ſiue Relatiuam ſibi conuenientem; ideo non expectat, vt ita loquamur, productionem Spiritus Sancti, vt illam habeat: quod eſſet, ſi hæc Relatio reſultaret ex productione Spiritus Sancti; ſed potius, cum illam præhabeat, producit Spiritum Sanctum, vt terminum illius. De vtraque ſolutione lege *Suar. lib. 5. cap. 6.*

Objicitur Tertio. Si Relatio Oppoſitionis inter Perſonas nõ eſt realis, ſequitur, Diuinas Perſonas re vera non opponi inter ſe, neque diſtingui realiter. Nego Cõſequentiam. Quia Deus realiter differt à creaturis, & opponitur illis, non per aliquam Relationem ſuperadditam Oppoſitionis, & Diſtinctionis, ſed ſe ipſo, quia realiter non eſt vlla ex creaturis. Eodem modo, ſe ipſis realiter diſtinguuntur, & opponuntur Diuinæ Relationes, & Perſonæ per illas conſtitutæ ſine ſuperaddita Relatione reali Oppoſitionis & Diſtinctionis, cuius ſunt incapaces Relationes aliæ Perſonales, eo ipſo quod Relationes ſunt, vt dictum eſt.

De Miſſione Diuinarum Perſonarum.

Magiſter in 1. d. 15. vbi docet, Perſonam à ſe ipſa mitti, & ab alia quacunque; licet Patrem nunquam legamus fuiſſe miſſum. Bonauent. 1. d. 15. quæſt. 3. & 4. D. Thomas p. p. quæſt 43. & ibidem omnes eius diſcipuli. Caietan. Torres, Bannes, Zumel, Molina. Durand. 1. d. 15. *Notatio quadrageſima ſexta.*

q 3. Gabr. 1. d. 14. q. 1. Scotus eadem d. q. 1. Marſilius 1. q. 18. per plures articulos Ferrar. 4. contra Gent. cap. 23. Valentia quæſt. 17. Vaſq. Diſput. 170. Suarez toto libro 12. de Trinit. Ibidem tractant de Miſſione inuiſibili & viſibili; quæ tamen non magnam habent difficultatem.

Dubium eſt, An de potentia abſoluta poſſit vna Perſona Diuina inuiſibiliter mitti, licet nihil de nouo producatur in creatura, neque aliquid extra Diuinitus fiat. Sic putat *Gregor. 1. d. 14. q vnica.* Propter hanc rationem. Quia Perſona Diuina per ſe ſine alio effectu ad extra eſt donabilis; ergo ſine alio effectu ad extra de nouo donari poteſt. Reſpondeo. Negatur Antecedens. Quia, Perſonam donari de nouo alicui, eſt ibi aliquo modo eſſe, quo non erat prius: at Diuinæ Perſonæ ſunt vbique, & in omnibus rebus per Eſſentiam, per Præſentiam, &c. ergo nō poſsunt dici eſse de nouo alicubi, cum ſint immutabiles, niſi ratione alicuius effectus de nouo producti, à quo denominentur eſse hic, aut ibi. *Lege Capr. 1. d. 14. q. Vnica in reſponſione ad Argumentum Gregorij, & Valentiam q. 17. Puncto 4.*

De modis loquendi in hoc Myſterio.

Notatio quadrageſima ſeptima.

Diximus in Theoria quæ nobis neceſsaria eſse videbantur, vt propriè loquamur in hac materia. Authores qui copioſe hæc tractant, ſunt iſti.

S. Thomas p. p. q. 39. & ibidem omnes eius diſcipuli. Gaiet. Torres, Bannes, Zumel, Molina. Durand. 1. d. 4. q. 2. & d. 26. q. 1. & 3. Sent. d. 1. q. 3. Scotus 1. d. 4. q. 1. & d. 7. q. 1. & in 3. d. 1. q. 3. Capr. 1. d. 4. q. 1. a. 3. Bonauen. 1. d. 4. q. 4. Riccard. 3. d. 1. a. 1. q. 5. Gabr. 1. d. 4. q. 1. a. 1. & in 3. d. 1. q. 2. a. 3. dub. 4. Ariminen. 1. d. 4. q. Vnica. Aureol. 1. d. 4. q. 4. Marſilius 1. q. 8. a. 3. & in 3. q. 2. a. 3. dub. 2. Henricus Quodlib. 5. q. 8. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 11. Vaſquez Diſp. 155. & 156. Suarez in libris de Trinit. non vno loco, ſed ſparſim & alij Recentiores. Sed iſti ſufficiant.

PRO-

PROCLI, PLOTINI, ET PORPHIrij Carmen ad Deos gentium.

Flemus caſus Saturne tuos,
Sobolique tuæ damus inferias.
En Polus alium Titana refert;
Qui pandit iter, claruſque nouo
Sydere, veteres diſcutit vmbras.
Libero patri non dabit amplius,
Redimita cohors Orgia Tyrſis;
Thuraque Cereri, Tædaſque ſuæ
Non vltra feret Attica Pubes.
Nec te genitum Latona canent
Poſthac, plectro feriente Chelym:
Non apta feris tela, Dianæ
Dicent hilari carmine virgines.
Veſtra, ò ſuperi, Templa tenebit
Vnus pariter, Trinuſque Deus:
Hoc ſibi cunctos numen honores
Poſcit, & omnes arrogat aras.
Procul hinc hominum ſimulacra, ſacris
Dignata focis, cedite myſtæ:
Vltima tenebris indicta dies:
Iam Cæruleis euectus equis
Sol; aſtra ſuo pellet Olympo.

R.P.

R. P. HIERONIMI FLORAVANTII ROMANI E SOCIETATE IESV.

DE BEATISSIMA TRINITATE.

Liber Tertius.

Contra Ethnicos & Philoſophos.

MYSTERIVM TRINITATIS NATVRAE lumine cognoſci non poſſe.

CAPVT I.

DIVIDEMVS hoc Primum Caput in quatuor partes. In Prima oſtendemus, Philoſophos habuiſse cognitionem aliquam huius Myſterij, ſed multis erroribus admiſtam. In Secunda oſtendemus fontes, ex quibus hanc cognitionem hauſerunt. In Tertia, probabimus, Myſterium hoc naturæ lumine cognoſci non poſse. In Quarta, afferemus ſimilitudines aliquot, & probabiles rationes Patrum, quibus, poſita Fide, Myſterium hoc explicarunt.

Prima Pars Capitis.

Philoſophos habuiſſe cognitionem aliquam Trinitatis.

VT ordiamur à Prima Parte. Negari vix poteſt, veteres Philoſophos aliquam habuiſse cognitionem Trinitatis; licet

licet hæc ipſorum cognitio multos haberet admiſtos errores.

Prima Pars probatur. Primo. Quia ſic plures ex Patribus affirmant. *Tertul. in Apolog. c. 21. Cyrill. l. 1. & 2. contra Iulianum: Iuſtinus in Exhortatorio ad Gentes. Euſeb. lib. 11. de Præparatione cap. 10. Lactant. l 4. c. 6 & 7. & alij plures.* Secundo. Idem probatur ex his quæ Philoſophi ſcripſerunt, quorum ſententias in vnum collegit *Auguſtinus Eugubinus l. 1. & 2. de Perenni Philoſophia.* Afferam ego, quid in hanc ſententiam ſcribant duo Græci Patres, Clemens Alexandrinus, & Theodoretus. *Ille igitur lib. 5. Stromatum,* loquens de Platone, ſic ait. *Quare quando etiam dicit. Circa omnium Regem ſunt omnia, & illius cauſa omnia, illum quoque omnium cauſam appellans; Secundum autem circa ſecunda, & Tertium circa tertia;* (ſic legendum eſſe hunc locum docet *Eugubinus lib. 2. cap. 4*) *non aliter ego exaudio, quam Sanctam ſignificari Trinitatem. Nam Tertium quidem eſſe Sanctum Spiritum, Filium autem Secundum, per quem facta ſunt omnia ex voluntate Patris.* Eadem Platonis Verba eodem modo exponit *Theodoretus lib. 2. de Curandis Græcorum Affectionibus.* Et explicans, quæ ſint illa tria, quæ Plato vocat *æterna*, quorum primum vocat *Bonum*, ſecundum *Mentem*, tertium vero *Animam mundi*, ſic ait. *Vocat Bonum, quem nos dicimus Patrem; Mentem vero, ſeu intellectum, quem nos Filium, Verbumque appellamus; Potentiam vero, quæ animet omnia, & viuificet; eam ipſam videlicet quam Spiritum Sanctum Sacræ Litteræ appellant.* Hæc *Theodoretus.* Suidas etiam in Verbo *Hermes*, affirmat, Mercurium propterea τρισμέγιστον appellatum fuiſſe, quod pronunciauerit Chriſtianam illam Sententiam, in Trinitate vnam eſſe tantum Diuinitatem. Addit tertio, *Theopilactus in cap. 1. Epiſt. ad Rom.* idem voluiſſe Paulum Apoſtolum, vt Græci Patres exponunt, illis verbis, *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis: Deus enim illis manifeſtauit.* (ſermo eſt de Philoſophis) ſubdit: *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, & Diuinitas.* Quæ verba Græci Patres accommodant ad tres Perſonas Diuinas; nam *inuiſibilia Dei*, ad Patrem referunt, qui ab eodem Paulo vocatur *immortalis, & inuiſibilis:* per *virtutem* Dei Filium interpretantur: per *bonitatem* vero Diuinam bonitatem, quæ appropriatur Spiritui Sancto. Eodem modo exponit *Cyril. lib. 1. Theſauri, cap. 5.* & ex Latinis *Ambroſ. l. 3. de Spiritu Sancto, c. 2. Anſelm. & Gloſſa in hunc locum.* Verum, quia nulla ratione putandum

tandum eſt, Philoſophos ex creaturis tres Diuinas Perſonas diſtinctè cognoſcere potuiſse, hanc expoſitionem non recipimus: allata tamen à nobis eſt, vt oſtenderemus, ex ſententia Patrum habuiſse Philoſophos cognitionem aliquam Trinitatis; idque tam certum apud ipſos fuiſse, vt crediderint, Paulum Apoſtolum idem ſenſiſse, & allatis verbis affirmaſse. Germana autem verborum illorum interpretatio habetur apud Origenem. Dixerat Paulus, inuiſibilia Dei cognoſci à creatura mundi: nunc exponit, quæ ſint illa inuiſibilia; ideſt, ſempiterna eius virtus, ſeu poteſtas, qua omnia creauit, & ſuſtinet omnia, & præterea Diuinitas ipſius, quæ cæteris rebus omnibus præſtat, & implet omnia. Huic expoſitioni non videtur fauere particula (*quoque*) quæ vim habet addendi, non exponendi. Soluitur. Quia in Græco pro (*quoque*) eſt καὶ, quæ particula frequenter ſeruit expoſitioni. Quod autem Reſpondent aliqui, Philoſophos tum locis citatis, tum alibi loquutos eſse non de tribus Perſonis, ſed de tribus Attributis Diuinis, non plane ſatisfacit; quia, vt cætera omittam, Plotinus librum vnum ſcripſit *De Tribus Hypoſtaſibus*: at Attributa non ſunt Hypoſtaſes.

Quibus potiſſimum errorib⁹ fuerit admiſta hæc cognitio Philoſophorū.

Probatur Altera pars, hanc cognitionem Philoſophorum de Trinitate multos habuiſse errores admiſtos. Nam ipſi non eandem numero naturam aſserunt eſse in tribus illis perſonis, ſed diuerſam, ſicut eſt in tribus hominibus. Præterea non admittunt perfectam æqualitatem inter perſonas, ſed Secundam faciunt minorem Prima, Tertiam vero Prima, & Secunda. Quare *Cyril. Alexand. lib. 1. contra Iulianum* affirmat, Arianos hæreſim illam ſuam mutuatos eſse à Platonicis. Idem habet *S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 6.* vbi ſic ſcribit. *Hæc poſitio Arij, & Eunomij videtur à Platonicorum Dictis exorta: qui ponebant Summum Patrem & creatorem omnium rerum: à quo primitus effluxiße dicebāt quandam Mentem, in qua eßent omnium rerum formæ, ſuperiorem omnibus alijs rebus, quam Paternum intellectum nominabant; & poſt hanc, Animam mundi, & deinde alias creaturas.* Sic ſanctus Thomas. Idem oſtendit experientia. Nam ex Chriſtianis, qui nimis addicti fuerunt Platoni, vix euaſerunt Arianiſmum: quod videre licet in Georgio Presbytero, & in Origene. De illo in hunc modum ſcribit *Niceph. lib. 14. c. 14.* *Sub Barba*, inquit, *qui Dorotheo ſucceßit in Epiſcopatu Antiocheno, Ariana religio duos habuit eximios viros, Presbyteros ambos: alteri Georgio, alteri Timotheo*

no-

nomen erat: & ille quidem in Ariſtotele, & Platone ſemper verſabatur: Origenes appellatur ab Epiphanio *Arianorũ Pater, in Epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum.* Cur autem hoc illi tribuat, colligitur ex eodem *Nicephoro lib. 17. cap. 27.* vbi cum dixiſſet, Origenem Arianæ hæreſi ſemina miniſtraſſe, rationem ſubdit; *Quia,* inquit, *Filium Patre minorem,* & *Spiritum Sanctum Filio inferiorem dixit.* Addit deinde hæc verba: *Alia huius generis abſurda prorſus & aliena, impie per blaſphemiam effutijt, Platonicis opinionibus ſimplicem Apoſtolorum Dogmatum ſimplicitatem miſcens, atque confundens.* Hæc ille. Quod ſi quis quærat; Cur ergo Nicæna Synodus Origenem non damnauit ſimul cum Ario? Reſpondet huic obiectioni *S. Hieronymus in Epiſt. 65.* Vbi loquens de Origene ſic habet. *Quidam conſtantius aiunt; quomodo damnabimus quos Synodus Nicæna non tetigit; quæ enim damnauit Arium, damnaßet vtique Origenem, ſi illius Dogma reprobaßet.* Et reſpõdet. *De Ario tunc, non de Origene quæſtio fuit;* ideo aſserit, Synodũ illam damnaſse Arium, non Origenem. Hæc naturæ varietas & diſcrimen, quod Plato & Philoſophi Veteres ponunt inter Perſonas, cauſa fuit, vt multi viri docti abſolute dicerent, à Philoſophis non fuiſse cognitam Trinitatem; Quia Trinitas illa, cuius ipſi rudem cognitionem habuerunt, non eſt illa, quam nos adoramus: ſicut etiam Trinitas Arianorum, in qua Filius eſt creatura, & Spiritus Sanctus minor Patre & Filio, non eſt eadem cum illa, quam nos Catholici colimus, vt docet *S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arian.* imo Arianos confert Idololatris: ſic enim ait: *Cur ergo Ariani, cum hoc ſenſu ſint, ſeſe Gentilibus non annumerant? ſi quidem ambo, omiſſo creatore Deo, creaturæ inſeruiunt: ſed vocabulum Ethnicorum ſubterfugiunt; ſimilem tamen cum illis Sententiam fouent, &c.* Et infra. *Ethnici,* inquit, *vni increato inſeruiunt, & multis creatis. Iſti vni increato, & alteri creato.*

Secunda Pars Capitis.

QVantum attinet ad Secundam Partem, hanc ſuam cognitionem de hoc Myſterio haurire potuerunt Philoſophi ex quatuor fontibus. Primo ex Oraculis ipſis Gentium. Secundo ex libris Sibyllarum. Tertio ex conſuetudine cum Hebręis. Quarto ex Sacris Litteris. Dicamus de ſingulis. In Oraculis, & Simulacris Gentium, qui loquebantur, Dæmones erant, vt

Vnde hauſerint hanc ſuã cognitionem Philoſophi.

Ex Oraculis.

dicitur in *Pſalm.95.Omnes Dij Gentium Dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* Verum, ſicut viuente Domino, multi Dæmones coacti fatebantur ipſum eſſe Dei Filium *Matth. c.8. 29.* ſic interdum qui in Simulacris illis lapideis, ligneis, aureis, & argenteis reſpondebant, iubente Deo, multa inuiti pronunciabant de Religionis Noſtræ Myſterijs, de Chriſto, de propagatione Fidei, de Trinitate, &c. Delibemus aliqua ex multis. De Chriſti dignitate, Diuinaque Natura, Oraculum habemus Apollinis Delphici, quod refert *Nicephor. lib. 1. cap. 17. & Suidas in Auguſto.* Cum enim Auguſtus, Apollinis ſtudioſiſſimus, ei ſacrificaſſet Hecatombem; hoc tandem accepit reſponſum:

Me Puer Hebræus, Diuos, Deus ipſe, gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Quamobrem, reuerſus Romam Auguſtus, aram extruxit in Capitolio cum hac inſcriptione: *ARA PRIMOGENITI DEI.* Ibidem deinde à Conſtantino Magno erectum eſt nobiliſſimum templum in honorem B. Virginis; & ob allatam rationem vocatur etiam hodie *ARÀ COELI.* De Fidei propagatione refert Lampridius in Alexandro, cognitum fuiſſe ex Oraculis; Deorum templa deſerenda, Romanos omnes, & Imperatores, Chriſtianos futuros. De Trinitate duo habemus Oracula: alterum Serapidis; Apollinis alterum. Serapis conſulenti Tullo, qui Troiano bello regnabat in Ægypto, quis ſe beatior eſſet, his duobus carminibus reſpondit.

Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
Σύμφυτα δὴ τρία πάντα, καὶ εἰς ἕν.

Ideſt: *Principio Deus eſt, tum ſermo; & Spiritus iſtis*
Additur: æquæua hæc ſunt, & tendentia in vnum.

Habetur apud *Ludouicum Viues in lib. 11. de Ciuitate.*

Apollo, interrogatus de vera Religione, hoc dedit reſponſum:

Μὴ ὄφελες πύματόν με καὶ ὕστατον αὐτὸς ἐρέσθαι,
Δύστηνε προπόλων, περὶ θεσπεσίου γενετῆρος·
Ἀμφί τε τηλυγέτοιο πανομφαίου βασιλῆος.
Καὶ πνοιῆς, ἣ πάντα πέριξ βοτρυδὸν ἐνίσχει,
Οὔρεα γῆν, ποταμοὺς, ἅλα, τάρταρον, ἠέρα, πῦρ τε.
Ἥμε καὶ οὐκ ἐθέλοντα γεδόμων ἀπὸ τῶνδε διῶξαι.
Αὐτίκ' ἐρημαῖον δὲ λελείψεται οὖδος ἀφήτωρ.

Ideſt:

Ideſt:

Ne me vtinam ſupremum infelix ipſe ſacerdos
Si Sciteris de ſancto ac Diuino Genitore,
Et ſobole cara, rebus magni Induperantis,
Et flatu, qui mundum aſtrictum continet omnem,
Montes, Tellurem, fluuios, Mare, tartara, & ignem,
Aeraque; heu templis hic me diſcedere ab iſtis,
Cogit: linquetur quo edebam Oracula, limen.

Refertur à Steuclo Eugubino lib. 2. de Peren. Philoſoph, cap. vltimo. Quare cum hæc interdum, ſic diſponente Deo, loquerentur Oracula; Philoſophi, qui eis fidem habebant, inde habere potuerunt cognitionem aliquam huius Myſterij.

Secundo. Haurire potuerunt Philoſophi hanc cognitionem ex libris *Sibyllarum.* Nam *Sibyllas* Diuino afflatas Spiritu, teſtatur *Iuſtinus in Exhortatione ad Gentes: Hieronym. lib. 1. cont. Iouinian. Auguſtin. in Expoſitione inchoata in Epiſt. ad Roman. Sibyllas eum locum habere voluit Deus apud Gentiles,* inquit, *Clemens Alexand. lib. 6. Stromatum, quem Prophetæ habuerunt apud Iudæos.* Quare Apoſtolus Paulus Gentiles exhortabatur ad lectionem Sibyllarum, vt refert idem Clemens eodem loco. Legiſse autem veteres Philoſophos ſcripta Sibyllarum, quæ vulgatiſsima erant, quis dubitet? *Ariſtot. ſect. 30. Problematum,* quærit, vnde habere potuerint vim diuinãdi. Ergo cognitionem habuerat Sibyllarum. Plato, authore Iuſtino, *in Adhortatione ad Gentes* miratus eſt carmina Sibyllæ Cumeæ, eiuſque mentionem fecit in *Phædone*: at in Sibyllinis libris frequens eſt mentio Patris, & Spiritus Sancti, ſed frequentiſsima Filij. Cumæa loquens de Chriſto, ſic habet. *Ex libris Sibyllinis.*

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipſis
Futurus ſimilis, natus Patris omnipotentis.
Corpore veſtitus, &c.

Et Erithræa in quodam Græco Poemate, ſic primas verſuum litteras; diſpoſuerat, vt in vnum collectæ hanc ſententiam conficerent.

IESVS CHRISTVS FILIVS
DEI SALVATOR.

Quid clarius? Affert hoc Teſtimonium Conſtantinus Ma-

gnus in Oratione, quam habuit ad Patres Concilij Nicæni, quam refert Euſebius poſt vitam Conſtantini; vbi & illud addidit Imperator, hos verſus Latinos factos à Marco Tullio. Et licet inter Opera Marci Tullij modo non reperiantur; verum tamen eſſe quod dicit Imperator, ſatis colligitur ex lib. 2. de Diuinatione, vbi affirmat Cicero, vidiſſe ſe carmina Sibyllæ, quæ initialibus litteris certam ſententiam redderent. Scribunt de Sibyllis *Lactant. lib.6. Inſtitutionum S. Auguſt. lib.18. de Ciuit. Sixtus Senenſis Verbo Sibylla, & alij plures.*

Ex conſuetudine cum Ægyptijs, & Hebrais.

Tertio. Haurire potuerunt veteres Philoſophi hanc ſuam cognitionem verbo, & traditione ab Hebræis, quibus familiariter vtebantur. Hoc vt probem, pono, Philoſophantium duas fuiſſe ſectas, ex *Ariſtot. 1. Metaph. c. 1.* & *Auguſt. lib. 8. de Ciuit. cap. 2.* quarum vna dicebatur Ionica, & altera Italica. Ionicæ princeps fuit Thales Mileſius; poſt Thaletem Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras; poſt hunc Archelaus, qui primus Philoſophiam ex Ionia Athenas tranſtulit; Archelai auditor fuit Socrates, Socratis Plato, Platonis Ariſtoteles. Italicæ Princeps fuit Pherecides, qui non ioculariter & fabuloſe, ſed, vt docet *Ariſtot. 4. Metaph. c. 6.* grauiter, & ſerio philoſophari cœpit. Pherecidis auditor fuit Pythagoras, nominis claritate, fama doctrinæ, & diſcipulorum multitudine nulli ſecundus. Hoc poſito, oſtendi poteſt quod aſſerimus, Primo, ex loco, vbi hæc Philoſophi didicerunt. Secundo, ex præceptoribus, à quibus didicerunt. Locus, vbi didicerunt, fuit Ægyptus. Nam Thales Mileſius, & Anaxagoras, & Plato, & Pherecides, & Pythagoras profecti ſunt omnes in Ægyptum, vt ibi cognitionem aliquam de Deo acquirerent. Teſtatur hoc *Theodoretus l. 1. de Curandis Græcorum Affectionibus*, vbi ſic loquitur. *Therecidem Syrum, Samium Pythagoram, Thaletem Mileſium, Platonem denique ipſum non piguit veritatis cauſa Ægyptum, Thebaſque Ægyptias colluſtrare.* Idem l. 2. affirmat de Anaxagora. *Anaxagoras*, inquit, *& Pythagoras in Ægyptum profecti ſunt*. Ante omnes iſtos fuit Orpheus: floruit enim, ex communi ſententia, tempore Iudicum. Ab hoc autem, vt teſtatur Proclus ſuper *Timæum*, omnis Pythagoricorum, & Platonicorũ Theologia duxit originem. Appellatur *à Ioanne Grammatico* σοφώτατος, & commendatur à Iuſtino Martyre, & à Cyrillo. Didiciſſe autem, quæ deinde cæteros docuit de Deo, ab Ægyptijs, author eſt idem Proclus:

nam

nam & in Ægypto diu verſatus eſt, vt teſtatur Iuſtinus in Apologetico, & ipſe de ſeipſo in Argonautica. Sic enim ait:

Ægyptique ſacra omni ſum regione vagatus:
Illuſtrem Memphim, ſacraſque acceſſimus Vrbes, &c.

At in Ægypto frequentes erant Hebræi, tum quia Iudæi non multum diſtabant ab Ægypto, tum quia Hebræorum Patriarchæ ibidem vixerant. Ibi enim fuerat Abraham peregrinus: ibi Ioſeph, quem *conſtituit Pharao Principem domus ſuæ, vt erudiret principes eius ſicut ſe ipſum, & ſenes eius prudentiam doceret*: Ibi Iacob cum filijs, & cæteri Patriarchæ pleniſſimi Deo; ibi denique Hebræi omnes, per annos ferme quadringentos commorati ſunt: à quibus didicerunt Ægyptij de vero Deo, quæ deinde Philoſophi Gentibus impertirent. Id ita eſse, docet Theodoretus, vt cæteros omittam lib. 1. de Curandis Græcorū Affectionibus: vbi poſtquam attuliſset Porphyrij teſtimonium, aſserentis, quicquid veri de Deo cognoſcitur, id omne deberi non Græcis, ſed Barbaris, quod multo prius Plato docuerat in *Epinomide*. Subdit Theodoretus. *Ægyptios autem, Phenices, & Chaldæos, ſi quid veritatis didicerunt, ab Hebræis præceptoribus didiciſſe*.

Idem ſecundo oſtendi poteſt ex præceptoribus, quibus vſos fuiſse conſtat pleroſque ex iſtis, quos attulimus. Nam Pythagoras diſcipulus fuit Iudæi cuiuſdam Nazarei, vt ſcribit, *Ioſephus in l. cont. Appionem, ex Alexand. in lib. de Symbolis Pythagoricis.* Immo S. Ambroſius vult fuiſſe Hebræum. *Clemens Alexan. in lib. Stromatum, & Theodoretus lib. illo 1. de Curandis Græcorum Affectionibus*, aſſerunt fuiſſe circumciſum. Et ipſemet Plato Pythagoram nunc *Syrum*, nunc *Phenicem* appellat. Platonem ſcribit *S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c.* 68. cum eſſet in Ægypto, multa à Hieremia Propheta didiciſſe; ſed, facta temporum ſupputatione, id poſtea retractauit *lib. 2. c. 4. Retractationum, & lib. 8. de Ciuit. c. 11.* Conſtat enim, Platonem multis poſt Hieremiam annis natum eſſe. Verum, cum varias Scripturæ veteris ſententias in ſuis ſcriptis vſurpet; probabile putat *Auguſt. lib. illo 8. de Ciuit. c. 11.* aut Hebræorum litteras didiciſſe, aut certe vſum præceptore & interprete Hebræo. Sententias non refero, ne ſim lōgior: ſatis ſit, ob hanc ipſam rationem à Peripateticis vocatum eſſe Moyſem Atticum. Quid dicemus de Ariſtotele? hic non legitur quidem in Ægypto fuiſse; cæ-

terum,

terum, etiam ipſum vſum fuiſse Hebræis præceptoribus, docet *Clearcus nobilis Peripateticus ex Ioſepho lib. 1. cont. Appion. & Euſebio lib. 9. de Præparatione Euangelica c. 3.* Inducit ergo *Clearcus l. 1. de Somno* Ariſtotelem narrantem, ſe cum Iudæo quodam viro ſapiente collocutum, multoq; plura tam de Deo, quam de naturalibus rebus in eo ſermone didiciſse, quam docuiſse. Idem oſtendi poteſt ex eo, quod *Cælius Rodiginus refert lib. 17. c. 34.* quo loco ſic ſcribit. *Proditum & illud monumentis eſt, cum Philoſophus hic* (de Ariſtotele loquitur) *extrema ſibi ingruere perſenſiſſet, dolore, ac ſpe in lachrymas amplius profuſum, Primæ Cauſæ miſericordiam intentius imploraſſe.* Quod ſi verum eſt, id non aliunde quam ab Hebræis accipere potuit.

Dices. Vnde conſtabit, tam multos Philoſopos poſteriores fuiſse Moyſe, & Prophetis, à quorum nepotibus didicerint? Reſpondeo ex Hiſtoria, quæ nuncia. eſt vetuſtatis. Nam Thales Mileſius Ionicæ ſectę Princeps, natus eſt *Olympiade 35.* obijt vero *Olympiade 58.* Sic *Diogenes Laertius in vita Thaletis, & S. Cyrillus lib. 1. cont. Iulianum.* Vixit ergo Thales annos fere 90. floruit vero circa Olympiadem 50. Quo tempore Iudęi erant captiui Babylonię, Prophetantibus Daniele, & Ezechiele. Eodem ferme tempore floruit Pherecides, Italicę Sectę Princeps: quod ſatis oſtenditur ex epiſtolis ipſius ad Thaletem miſſis, & Thaletis ad ipſum, quę leguntur adhuc apud Laertium. Tempore vero Pythagorę, qui auditor fuit Pherecidis, vixerunt Zacharias, & Aggęus, & Malachias, vltimi Prophetarum, vt docet *S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. c. 37.* vbi affirmat, Pythagoram eo tempore Philoſophatum, quo ſoluta eſt Iudæorum captiuitas, hoc eſt, Olympiade 55. Ex quibus conſtat, Platonis ętate neminem ex Prophetis inter viuos fuiſse; quare neque cum Hieremia, neque cum aliquo ex Prophetis loqui potuit in Aegypto. Ortus enim eſt non multo poſt Eſdram, vt ſcribit *S. Auguſtinus loc. cit.* nimirum Olympiade 87. Verum, cũ ſumma rerũ Orientalium penes Perſarum Reges tunc eſset, ex Hebręis complures, vt iſtorum ſęuitiam vitarent, in Aegyptum ſeceſserant, quibuſcum loqui potuit Plato, & ab ijs multa de Diuinis rebus cognoſcere. Illud pręterea certiſſime ex hac temporum ratione cognoſcimus, Philoſophiam, & Sapientiam pœne decrepitam fuiſse apud Hebręos, cum prope infans eſset apud Gręcos. Hæc de veteribus Philoſophis Gentium.

De

De recentioribus vero poſt Chriſtum, qui de Trinitate locuti ſunt, id totum ſine dubio à Chriſtianis accepiſſe dicendum eſt. Exempli cauſa, Plotinus qui tam multa ſcripſit de hoc Myſterio, vt Chriſtianus videri poſſit, totum Origeni debet, & Ammonio. Nam *Theodoretus quidem lib. 6. de Prouidentia.* Plotinum facit diſcipulum & auditorem Origenis; ſed Porphyrius Plotini diſcipulus affirmat, tam Plotinum, quam Origenem diſcipulos ſimul fuiſſe, & auditores Ammonij; quod ſatis eſt: nam & Ammonius, & Origenes Chriſtiani fuerunt. Quanti autem faceret Plotinus Origenem, licet eius diſcipulus non eſſet, teſtatur ibidem Porphyrius in vita Plotini. Cum enim tempore Fabiani Papæ Origenes Romam veniſſet, vt cauſam ſuam apud Pontificem ageret, & Plotinus tunc Romæ doceret; ſic de vtroque Porphyrius narrat. *Cum Origenes aliquando veniſſet in ſcholas, Plotinus ſtatim, genas rubore ſuffuſus, aßurgere voluit: ſermonem vero ab Origene continuare rogatus, reſpondit: ſtudium loquendi ceſſare, quando qui loquitur, animaduertit, ſe ad illos, qui idē ipſi nouerunt, verba facturum. Atque ita, cum pauca diſſeruiſſet, inde ſurrexit.* Hæc Porphyrius. Idem de Amelio, & ſimilibus dicendum eſt.

Quarto. Hanc ſuam cognitionem Philoſophi hauſerunt potiſſimum ex Scripturis; quod paucis oſtendam. Monebo tamen prius, me hoc loco contra Iudæos non diſſerere, qui longiorem requirunt Diſputationem. Primo ergo obſeruarunt Philoſophi, Scripturas, quæ nobis Deum proponunt maxime vnum, de Deo tamen ſæpe loqui tanquam de pluribus. *Gen. 19. Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo.* Ex quo loco Patres etiam veteres notarunt, plures oſtendi perſonas in Diuinis. *Ignatius in Epiſtola ad Antiochenos, Tertullianus lib. cont. Praxeam cap. 16. Iuſtinus contra Triphonem, & alij*: tanquam dicat, Deum Filium à Deo Patre, id eſt, virtute accepta à Deo Patre, à quo accepit Naturam, & omnia, pluiſſe ſulphur, & ignem. Nec dici poteſt eſſe hic ſermonem de alio, quam de vero Deo; quia tam priori loco, quam poſteriori eſt vox Iehoua יהוה quæ ex communi ſententia, etiam Rabbinorum, non tribuitur niſi vero Deo. Item *Gen. 20.* dicit Abraham Pharaoni התעו אתי אלהים errare me fecerunt Deus: & Iacob *cap. 35.* נגלו אליו אלהים reuelati ſunt ei Deus. Ex quibus locis, & ſimilibus qui paſſim in Scripturis occurrunt, vt notat Eugubinus, cui-

Ex Sacris Literis.

euidenter indicatur numerus in Diuinis. Nam licet eloim אלהים ſit pluralis numeri; cum tamen de Deo dicitur, ſignificationem habet ſingularem, vt ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam; & ideo iungi ſolet communiter Verbo ſingulari; vt. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* ברא אלהים. Adde, non ſolum Sanctos viros loqui de Deo interdum in plurali numero, qui eſt maxime vnus, ſed etiam Deum ipſum, cum de ſe loquitur: *Gen.* 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* & *c.* 11. *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam ipſorum.* Quibus in locis affirmant Patres indicari numerũ Perſonarum in Diuinis: In priori *Origenes, & Baſilius in Cõmentarijs illius loci; & Theodoretus q.* 19. *in Gen.* in poſteriori *S. Auguſtinus lib.* 16. *de Ciuit. c.* 5. *Cyrillus contra Iulianum, Chryſoſtomus, Procopius, & alij in illum locum.*

Secundo. Obſeruarunt Philoſophi, cum eſt ſermo de Deo, non quemuis numerum, ſed ternarium frequentius vſurpari. Exempli cauſa, ſi ſit ſermo de Dei nomine, quo maxime Eſſentia Diuina exprimitur, ter Moyſi repetit Deus dictionem אהיה *Exod. c.* 3. *verſ.* 14. Idem omnino facit *cap.* 34. *eiuſdem libri v.* 5. Si ſit ſermo de maieſtate, ter etiam repetitur nomen Dei *Pſal.* 95. *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra, cantate Domino, & benedicite nomini eius.* Si de Vnitate, idem fit. *Deut. c.* 6. *v.* 1. Vbi ter repetitur nomen יהוה. Si de Sanctitate, idem fit *Iſaiæ c.* 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quidam doctus inter Hebræos, quem deinde alij ſecuti ſunt, aſſerit illud (*Sanctus*) primo & ſecundo loco poſitum eſſe vocatiui caſus; appellari enim vnum Seraphim ab altero Sanctum; deinde vtrumque ſimul clamare *Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Allucinaris Rabbi. Quare hoc tuum commentum à tuis ipſis reijcitur, vt videre eſt *ex commentario magno in Deuteronomium. Ex Ialcuth in hunc locum Iſaiæ, & ex libro Rabboth pag.* 134. In his omnibus locis dicitur, ter Deum hoc loco à Seraphinis vocari Sanctum. Quare Rabbi Simeon, & Rabbi Ionathas diſertiſſime deinde hoc loco dixerunt, ſignificari Trinitatem: ſic enim inquiunt. *Sanctus eſt Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus ſanctus.* Quorum ſe Commentaria legiſſe ſcribit Galatinus in vetuſtiſſimis Hebræorum codicibus. Si ſit ſermo de Dei Miſericordia, eodem modo ter repetitur nomen Dei: *Pſalmo* 66. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat*

Hic Ionathas filius Vrielis ante Chriſtũ natum floruit ex Luca Burgenſi in tract. de vſu Chaldaica paraphraſ.

nos

nos Deus. Idem denique fit,cum eſt ſermo de Iuſtitia : vt *Deuter. cap. ſexto, & Exod.* 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus , Deus zelotes.* Quibus in locis ter ſemper repetitur nomen Dei. Signum ergo eſt, in Diuinis ternarium eſſe numerum perſonarum .

Tertio. Obſeruarunt Philoſophi , in Scripturis mentionem ſæpe fieri Spiritus Sancti, Filij , & Patris. Afferamus pauca ex multis. Spiritus Sancti habetur mentio Gen. capite primo, vbi dicitur fouere aquas,& vim illis gignẽtem tribuere ורוח אלהים מרחפת על פני המים *& Spiritus Domini fouebat aquas.* Et de Spiritu Sancto locum hunc intellexerunt *Tertullianus libro* 4. *contra Marcionem cap.*26. *S. Athanaſius in Epiſt.ad Serapionem.Cyril. Alexandrin.contra Iulian.Baſil.Homil.*2. *in Hexamer. Ambroſ. in Hexamer. cap.*8. *Numer.* 11. dicitur conferre hominibus prophetiam & rerum occultarum cognitionem. *Deſcendit ſuper eos Spiritus Domini,& prophetarunt, Iſa.* 48. dicitur mittere Prophetas tanquam ſuos nuncios & aſſeclas ad docendos populos. *Spiritus eius miſit me. Iſa.*61. dicitur vngere, id eſt, inſtituere gentium magiſtros, & cœleſti replere chariſmate. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me. Sapient.cap.*1. dicitur replere orbem terrarum, denique cælos ornaſſe, & tam pulchros condidiſſe. *Spiritus eius ornauit cælos.* Filij habetur mentio,*Pſal.*2. *Dominus dixit ad me,Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Et infra eodem Pſ. נשקו בר *Deoſculamini Filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, & Pſal.*72. Meſſias dicitur fuiſſe Filius ante creationem Solis:ſic enim legimus לפני שמש ינון שמו, id eſt , Ante Solem nomen eius eſt Filius. Loqui vero Prophetam de nomine Meſſiæ,ipſimet Hebræi teſtes ſunt *in libro Rabboth, exponẽtes Caput primum Geneſis,& in libro Midras Etha*, qui continet expoſitionem Threnorum, quæritur quod ſit nomen Meſſiæ: & reſpõdent ij, qui præſunt Cathedræ, Ioan. *innon*, eſt nomen eius,vt habetur *Pſal.* 72. idem habet Midras Tillin , id eſt , Gloſ. Pſalmorum hoc loco : & Rabbi Dauid Kimhi *in lib.Radicum*, in radice , נין ait, paſsiuam ſignificationẽ huius vocis haberi *Pſal.*72. vbi legimus, inquit, *Scemò innon*, id eſt, *Eſſe Filium eſt nomen eius.* Hic idem Filius vocatur Sapientia Dei: *Prouerb.*8. *Eccleſ. cap.*24. *Ego Sapientia ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Hic idem denique ſæpiſsime vocatur Verbum. In Paraphraſi Ionathæ Vrielis, loca tam multa ſunt,vt pudeat ea referre. Patris ſermo fit in his om-

nibus locis, vbi ſit mentio Filij: non enim eſſe poteſt Filius niſi à Patre. Quare qui *Pſalm.2.* dicitur genuiſſe Filium, Pater ſine dubio erat, qui correlatiuus eſt Filij, & cuius proprium eſt gighere. Eodem modo, cum *Pſalm.72.* dicitur Meſſiam ante conditum Solem habuiſſe nomen *Filij*, ibidem aſſeritur, ante Solem fuiſſe Patrem, qui Filium illum genuerit, Rurſus. *Pſal.109.* loquitur ipſe ad Filium: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Denique, ne longior ſim, *Eccleſ.51. Inuocaui*, inquit, *Dominum Patrem Domini mei*, ideſt, Ieſu Chriſti, *vt non me relinquat in die tribulationis.* His plane ſimilia ſcripſerunt Philoſophi: *Nam etiam ipſi Trinitatem aliquam ponunt in Diuinis, & tria principia inquit S. Aug. lib.10. de Ciuit. cap.28. & 29. Nos tamen rectius tres Diuinas Perſonas vnum*, inquit, *tantum principium dicimus: & ijſdem fere, quibus nos vocibus appellant: nam ſecundum principium ipſi Verbum, Sapientiam, & Mentem vocant. Tertium, Spiritum, & animam mundi. Primum, nunc bonum, nunc lumen nominant.* Quod copioſe habes apud *Auguſt. Eugubinum de Perenni Philoſophia.* Immo iiſdem ferme modis loquuntur, quibus Scripturæ: dicunt enim Verbū omnia condidiſſe; Spiritum vero Sanctum continere omnia; quæ paſſim habentur in Scripturis de Filio, & Spiritu Sancto. Quare S. *Ambroſ. in Pſal.118.* & alibi, oſtendit, Platonem multa ex Iſaia, multa ex Canticis Canticorum in ſuos Dialogos trāſtuliſſe; quæ referre non eſt præſentis loci.

Ex his ſatis probatum eſt quod dicimus; nam ex numero multitudinis, quo tam frequēter vtuntur ſcripturę cum loquuntur de Deo, colligere potuerūt Philoſophi in Deo eſse numerum aliquem non Deitatum, quia tunc Deus nō eſset vnus, ſed perſonarum cum eadem Deitate. Ex trina inuocatione Diuini nominis, quæ perpetua eſt in Sacris libris colligere potuerūt hunc numerum Diuinarum perſonarum eſse ternarium. Denique ex frequenti appellatione Spiritus Sancti, Patris, & Filij, quæ habetur in Scripturis prudēter colligere potuerunt tres illas perſonas eſse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Quod ſi quis dicat, Platonis ætate nondū à ſeptuaginta duobus Interpretibus Vetus Teſtamentum in Græcam linguam fuiſſe translatum, vt potuerit ab ipſo, & à cæteris legi; Reſpōdeo. Primo, forte per interpretem, vt dicebamus ſuperius, inſtructos, quid in noſtris Scripturis contineretur. Secundo. Reſpondeo. Libros Moyſis etiam ante tempora Ptolomæi Philadelphi

ladelphi in Græcam linguam fuiſſe conuerſos, vt teſtatur *Ariſtob. in Epiſt. ad Ptolomæum Philometorem Regem Aegypti, referente Euſebio lib.* 11. *de Præparatione Euangelica cap.* 6. non tam exacte quidem, vt poſtea à ſeptuaginta duobus Interpretibus; ita tamen vt à Græcis legi potuerint, & intelligi. Verum, vt Philoſophi veteres multa acceperunt à Moyſe & Prophetis, ita recentiores ab Apoſtolis & Euangeliſtis. Huiuſmodi ſine dubio fuit is, cuius meminit S. *Auguſtinus lib.* 7. *Confeſſionum cap.* 9. & *lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 29. qui totum fere Caput primum S. Ioannis in ſuos tranſtulit libros. Hunc autem fuiſſe Amelium Plotini diſcipulum; teſtatur S. *Cyrillus lib.* 8. *contra Iulianum.* Legiſſe autem Amelium B. Ioannis Euangelium, facile cognoſcet, qui verba leget ipſius Amelij, quæ refert *Eugubinus l.* 1. *c.* 31. & *Viues* in locum illum, *lib.* 10 *de Ciuit. cap* 29. ſic enim habet. *Atque hoc erat Verbum, per quod ſemper exiſtens, ea, quæ ſunt, facta fuerunt, ſicut Heraclitus cenſet, & per Iouem; quod Verbum barbarus ille (ſic B. Ioannem appellat) exiſtimat in ordine, & confuſione principij ſtans apud Deum fuiſſe, & Deum eſſe, per quem in vniuerſum cuncta ſunt facta, in quo quod factum ſit, fuerit viuens, & vita, & ens; tum in corpora lapſum, carnemque indutum, hominem apparuiße, oſtēdens etiam tunc naturæ ſuæ magnitudinem.* Hæc Amelius. Et hactenus de Secunda Capitis Parte dictum ſit.

Tertia Pars Capitis.

QVantum attinet ad Tertiam Partem, Myſterium Trinitatis inter cætera duo complectitur maxime admiranda: Primo. Trinitatem perſonarum cum eadem numero Natura; Secundo. Proceſsionem ipſarum perſonarum: quarum ſecunda procedit à prima per propriam & verā Generationem; Tertia, à prima & ſecunda per ſpirationem; quæ proceſsio Generatio proprie non eſt, licet is, qui per illam procedit, Deus ſit eiuſdem omnino Naturæ cum producente. Dubium ergo eſt, Vtrum hæc duo, vel alterum ſaltem ex his, naturæ lumine cognoſci poſsit ſine Diuina reuelatione. Non defuerunt qui dixerint, ſolo naturæ lumine demonſtrari poſſe Trinitatem in Deo, & numerum perſonarum: quorum meminit *Durand.* 1. *diſtinct.* 2. *q* 4. Alij fatentur, tantum Myſterium ſine reuelatione cognoſci non poſſe; putant tamen poſt reuelationem illius, nō

Myſteriū Trinitatis ſolo naturæ lumine cognoſci nō poteſt.

ſolum probabilibus, ſed neceſſarijs etiam rationibus oſtédi poſſe; quod cenſet *Ricardus de S.Vict. lib.* 11. *de Trinitate cap.* 4. *& lib.* 3. *c.* 5. *& lib.* 5. *cap.* 1. quibus locis dicit, velle ſe probare Myſterium hoc, non probabilibus tantum, ſed neceſſarijs etiam argumentis, quibus nemo ſanæ mentis contradicere poſsit. Citat *Ricardum S. Thomas p.p. q.* 32. *art.* 1. *arg.* 2. *& in ſolutione ad* 2. benigne illum, vt ſolet, interpretatur. Idem cum Ricardo docuit *Henricus Quodlib.* 6. *q.* 2. *& Quodlib.* 8. *q.* 14. omnium poſtremus idem aſſeruit *Raimundus Lullus in lib. quem appellat* Apoſtrophe, *& in lib. de Demonſtratione æquiparantiæ, & in lib. Sententiarum in initio:* quibus locis pollicetur, his ſe rationibus Sacramentum hoc demonſtraturum, vt nec à Gentilibus quidem negari poſsit. Profert deinde tres, vt ipſe vocat, Demonſtrationes, parum, vt docti omnes ſentiunt, ad intellectum conuincendum idoneas; quas affert, & nullo negotio ſoluit *Vaſquez Diſp.* 133. veriſſimum enim eſt quod Pſalmo 138. ſcriptum eſt. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.*

Dicendum igitur. Primò. Myſterium hoc, ſolo naturæ lumine cognoſci non potuiſſe, ſed indiguiſse Dei reuelatione, ſine qua nullus hominum vel Angelorum in illius cognitionem venire potuiſset. Hæc ſententia eſt communis Theologorum, *D.Thomæ p.p.q.* 32. *& q.* 10. *de Verit. art.* 13. *& q.* 9. *de Potentia art.* 5. *Bonauent.* 1. *diſt.* 3. *q.* 4. *Alenſis p.p.q.* 2. *memb.* 1. *art.* 3. *Scoti Quodlib.* 14. & omnium recentiorum. Idem ante Scholaſticos docuerant Patres. *Hilarius lib.* 1. *de Trinitate, & Ambroſ. lib.* 1. *de Fide cap.* 5. quos affert *S.Thomas loco ſuperius cit. Baſil. Epiſt.* 43. vbi ait, *nullam mentem Diuinarum Perſonarum vnitatem & diſcretionem apprehendere poſſe. Iren. lib.* 2. *cap.* 48. vbi dicit: *Neque homines, neque Principatus poße cognoſcere Myſterium Diuinæ Generationis, vt ſcriptum eſt Iſa.* 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Probatur autem hæc ſententia dupliciter. Primo authoritate Sacrarũ Scripturarum. Secundo ratione. Scripturis ſic: *Eccleſiaſt. cap.* 3. dicitur multa ſupra ſenſum hominis eſse: at hoc Myſterium eſt primum & maximum inter omnia Myſteria; ergo maxime etiã erit ſupra ſenſum hominis. Præterea *Matth.* 11. vbi eſt ſermo de hoc Myſterio: *Nemo*, inquit Dominus, *nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Denique *Matth.* 16. B. Petro æternam Chriſti generationem confitenti, reſpondet Dominus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro*

& ſan-

& ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Ratio etiam, quam affert S. Thomas concludit: ſic enim ait. *Deus in ſe ipſo, & per propriam ſpeciem à nobis naturaliter cognoſci non poteſt; quare ſi cognoſci debet naturaliter, id fiet ex effectibus, & creaturis, vt habet S. Paulus ad Romanos cap. 1. Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſed per effectus creatos non ducimur in cognitionem Dei, vt trinus eſt; ergo ſolo naturæ lumine non poteſt Trinitas Perſonarum inueſtigari.* Probatur Minor. Quia effectus creati non proueniunt à Deo, formaliter loquendo, vt trinus eſt in perſonis, ſed vt eſt vnus in Eſsentia; proueniunt enim à Diuina Sapientia vel Omnipotentia, quæ communis eſt tribus perſonis, & vna in omnibus; quare eodem modo à Deo emanarent, ſi vnus eſset in perſona, vt falſo dicunt Hebræi, ſicut nunc ab eo emanant, qui trinus eſt in perſonis. Sicut ergo qui cæcus eſt, non poſset ex odore roſæ in cognitionem coloris eius & pulchritudinis deuenire, quia odor non eſt coloris, aut pulchritudinis effectus; ita homo vel Angelus ex ſola cognitione naturalium effectuum, non poſset Trinitatem Diuinarum perſonarum inueſtigare, quia res creatæ non efficiuntur à Deo, vt trinus eſt in perſonis, ſed vt eſt omnipotens, & vnus in Eſsentia. Confirmatur, Quia naturæ lumen ſibi relictum, cum videat in omnibus inferioribus, ea, quæ ſunt eadem vni tertio ſingulari, eſse eadem inter ſe; idem omnino iudicaret, in Deo eſse, & in Diuinis perſonis; ac proinde ſine ſupernaturali lumine, huiuſmodi Myſterium eſse impoſsibile; vbi perſonæ realiter differunt inter ſe; quæ tamen ſunt omnino idem Eſsentiæ Diuinæ ſingulariſsimæ.

Dicendum Secundo. Etiam poſita reuelatione, non poſse hoc Myſterium naturali ratione euidenter oſtendi, ſed certam illius cognitionem Diuinæ reuelationi, aut alicui Fidei principio inniti debere. Probatur ex dictis in prima propoſitione. Nam oſtenſum eſt, lumen naturæ nullum habere medium aut principium, vnde poſsit Myſterium hoc demonſtrare euidenter; ergo poſt illius reuelationem, quantum pertinet ad lumen naturæ, erit indemonſtrabile. Sed pro priori ſententia obijciuntur hæc.

Primo. In omnibus rebus eſt veſtigium Trinitatis, teſte *Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap.* 10. in homine autem non eſt ſolum veſtigium, ſed imago Trinitatis, vt dicitur *Gen. cap. 2. Faciamus*

hominem

hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: at ex veſtigio & ex imagine inueſtigari poteſt id, cuius eſt veſtigium,& imago; ergo ex cognitione rerum creatarum, & præſertim hominis, veniemus in cognitionem Trinitatis.

Reſpondeo ad Maiorem. In rebus creatis nullum eſt tale veſtigium Trinitatis, vnde poſſit cognoſci Trinitas, niſi per reuelationem prius cognita ſit; ſed dici eſse in ijs veſtigium Trinitatis, quod in eis reluceant maxime tria Attributa, potentia, Sapientia, & Bonitas: quæ non ſunt perfectiones perſonales, ſed Eſsentiales. Verum à nobis poſt cognitionem huius Myſterij accommodantur tribus perſonis, Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui Sancto. Ad illud de homine, Reſpondeo, neque in homine eſse adeo expreſsam imaginem Trinitatis, vt ſola ſufficiat,& intellectum deducat in cognitionem Trinitatis, niſi prius per reuelationem cognita ſit. Quare non omnes Sancti eodem modo explicant hanc rationem imaginis Dei in homine. *Damaſcenus lib. 2. de Fide cap.* 12. vult hominem eſse imaginem Dei ratione liberi arbitrij: alij ratione intellectus: ſed hę omnes perfectiones, cum ſint, vt patet, cõmunes omnibus perſonis, non poſsunt nos deducere in cognitionem Trinitatis perſonarum, ſed ducunt potius in cognitionem vnius naturæ Diuinæ. Qui vero dicunt, hominem eſse imaginem Dei, vt trinus eſt; id eſse dicunt ratione trium potentiarum, intellectus, memoriæ, & voluntatis, vel ratione operationum intellectus, & voluntatis: per illum enim producitur verbum mentis in nobis; per hanc verò producitur amor: ſicut in Diuinis per hos actus Secunda & Tertia perſona producuntur. Quæ omnes ſimilitudines deſeruire quidem poſſunt ad apprehendendam, & explicandam aliquo modo Trinitatem cognitam prius per Fidem & reuelationem; non tamen ſufficiunt ad illam primo inueſtigandam, vt per ſe patet.

Obijcitur Secundò. Naturali ratione cognoſcimus Deum eſſe bonum infinitum; at de ratione boni eſt communicare ſe, vt dicit *Dionyſius De Diuinis Nominibus cap* 4 ergo Deus, qui eſt bonum infinitum, ſe infinite communicat; ſed creaturis finite tantum ſe Deus communicat; ergo cõcedenda eſt aliqua communicatio ad intra, vbi ſe communicet infinite, per productionem Diuinarum Perſonarum.

Reſpondeo. Hac ratione probabiliter quidẽ explicari,& ſuaderi

deri communicationem Diuinæ Naturæ poſt notitiam Trinitatis habitam à Fide: antequā autem cognoſcatur hoc Myſteriū; hæc ratio non concludit; quia Philoſophus, admiſſa priore Propoſitione, naturali ſcilicet ratione cognoſci, Deum eſſe bonum infinitum, & de ratione boni eſſe vt ſe cõmunicet; negaret primam illam Conſequentiam; quia talis communicatio eiuſdem numero Naturę infinitę cum diſtinctione reali Perſonarum, repugnat illi principio, *Quæ ſunt eadem realiter vni tertio, ſunt eadem realiter inter ſe*: quod principium ſine Fidei lumine iudicaret eſſe veriſſimum. Diceret ergo, Non eſſe de ratione ſummi boni, vt communicet ſe communicatione aliqua, quæ ſit ſimpliciter infinita; ſed de ratione illius eſſe, vt poſſit ſe finite communicare in infinitum; ita tamen, vt nulla per ſe, & ſeorſim ſumpta communicatio, ſit infinita; qua ratione poſſet ſe Deus creaturis infinite cõmunicare, licet vnus tantum eſſet in Perſona. Oſtenderet autem probabilitatem ſolutionis à ſimili. Nam ſicut de ratione boni eſt, eſſe communicatiuum ſui; ita de ratione cauſæ eſt, eſſe productiuum alicuius effectus. Rurſus. Sicut de ratione boni infiniti eſt, ſe infinite communicare; ita de ratione cauſæ infinite perfectæ erit, producere effectum infinitæ perfectionis: at hæc Conſequentia, dum eſt ſermo de cauſa, non valet, vt conſtat. Nam ex eo quod cauſa eſt infinite perfectá, ſequitur tãtum, vt poſſit producere effectum perfectiorem & perfectiorem in infinitum: ergo eodem modo ex eo, quod Deus eſt bonum infinitum, non ſequitur, vt poſſit ſe communicare communicatione aliqua, quæ ſit ſimpliciter infinita; ſed ſufficit, vt poſſit ſe cõmunicare finite quidem; perfectius tamen, & perfectius ſemper in infinitum.

Obijcitur tertio. Eſse vnum in Eſsentia, & trinum in Perſonis, dicit perfectionem; ergo admitti debet in Deo, in quo eſt omnis perfectio. Reſpondeo. Sublata Fide, negaret Philoſophus, hoc dicere perfectionem: imo putaret inuoluere contradictionem; quia repugnat illi principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

Obijcitur Quarto. Generare ſibi ſimile, eſt magna perfectio, vt conſtat in creaturis; ergo conueniet etiam Deo, in quo eſt omnis perfectio. Confirmatur. Deus ipſe Iſa. vlt. vti videtur hac ratione. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Philoſophus diſtingueret Antecedens: in rebus corruptibilibus

gene-

generare dicit perfectionem, ſed in rebus corruptionis experti- bus non dicit. Oſtēderet hoc in Angelis: nam Angeli ſunt perfectiores viuentibus materialibus; & tamen nō generant. Idem oſtenderet in corporibus; nam quæ corruptibilia ſunt tantum generant, ignis ignem, aer aerem: at cælum, & aſtra, quia incorruptibilia ſunt, non generant aliud cælum, nec alia aſtra. Cum ergo Deus ſit immaterialior Angelis, & incorruptibilior cælo, generare non ſpectabit ad perfectionem illius. Præterea, cum in generatione creaturarum multas videamus imperfectiones, & ſemper in genito naturam diuerſam à genitore; concluderet, in Deo non eſse generationem: quia in Deum non cadunt imperfectiones, neque poteſt in ipſo eſse diſtincta numero Eſsentia in genitore & genito: vna enim tātum eſse debet Diuina Natura: eſse autem eandem numero Naturam in vtroque non iudicaret eſse poſſibile; pugnat enim cum illo principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Quare concluderet, generare nihil eſse aliud in Deo, quam poſse producere creaturas. Ad locum Iſaiæ Reſpondeo. Primo. Ad litteram non eſse ibi ſermonem de Generatione Diuina, ſed de generatione ſpirituali filiorum per adoptionem, licet aptari poſſit Generationi Diuinæ, vt facit Concilium Hiſpalenſe Secundum, Can. 13. Reſpondeo Secundo. Illa ratione probari Generationem Diuinam non demonſtratiue, ſed probabiliter tantum; neque enim omnis ratio, quam affert Scriptura, ſi ſpectetur ſolum naturæ lumen, eſt ſemper demonſtratiua, ſed multæ ſunt tantum probabiles. Huiuſmodi eſt illa, quam affert S. Petrus Act. c. 2. vbi probat, Apoſtolos non eſse ebrios, quia nondum erat hora tertia. An non poterant ebrij eſse ante tertiam? ſed id non erat probabile.

Obijcitur Quinto. Naturali lumine poteſt cognoſci, omnem ſubſtantiam intellectualem intelligendo producere verbum, & amando amorem; ergo idem concedendum eſt Deo: at id, quod producitur in Deo, non poteſt eſse accidens; ergo ſubſtātia: ſi ſubſtantia, non poteſt eſse niſi Perſona. Reſpondeo. Circumſcripta Fide, negaret Philoſophus primam illam Conſequentiam. Licet omnis ſubſtantia ſpiritualis creata intelligendo producat verbum, & amando amorem; id tamen negaret in Subſtantia Spirituali increata; quia id, quod producitur, non poteſt eſse accidens, cuius Deus capax non eſt, neque ſubſtātia;

tum

tum quia id non videmus in rebus creatis: tum quia, ſi hoc admittatur in Deo, multæ occurrent difficultates, quas ſolo naturæ lumine explicare non poſset. Ad ſummum ergo concederet Philoſophus, Verbum & Amorem in Deo eſſe ipſammet Subſtantiam Diuinam, non aliquid ab illa realiter diſtinctum; cum Deus non per potentias à ſe diſtinctas, ſed per Eſſentiam ſuam ſe intelligat, & amet. Sicut ergo nos Fideles, Spiritum Sãctum credimus intelligere ſine productione verbi perſonaliter diſtincti, & diligere ſine productione amoris perſonaliter diſtincti; ita Ethnicus ſentiret de Deo, abſolute loquendo; quare ex intellectione & amore non deducerentur in Deo plures perſonæ euidenter.

Obijcitur Sexto. Sine conſortio non poteſt eſſe perfecta fęlicitas; ergo in Deo, qui perfectiſſimam habet fœlicitatem, cõſortium concedi debet in eadem Natura. Reſponderet Philoſophus, Antecedens illud eſſe verum in perſona finita, in infinita non item. Nam perſona finita bonis omnibus affluere non poteſt ſine conſortio alterius: at Perſonæ infinitæ, cuiuſmodi eſt Deus, nihil omnino deeſt; ergo ex alterius conſortio nihil illi fęlicitatis poteſt accreſcere.

Obijcitur Septimo. Naturali ratione oſtendi poteſt, hoc Myſterium non eſſe impoſſibile; ergo oſtendi poteſt eſſe poſſibile, quod videtur idem; ergo & actu in Deo eſſe, in quo eſt idem, eſſe, & eſſe poſſe 3. Phyſ. tex. 32. Primum Antecedens ex quo cætera pendent, Probatur Primo. Quia hoc Myſterium nõ eſt contra rationem naturalem. Secundo. Quia poſſumus diluere omnia argumenta, quæ fiunt contra illud; ſecus non poſſemus illud defendere: at ſi ſoluimus omnia argumenta, quæ fiunt in contrarium, oſtendimus non eſſe impoſſibile, nec inuoluere contradictionem. Reſpondeo, & Nego, naturali ratione oſtendi poſse, hoc Myſterium non eſse impoſſibile. Ad primam Probationem Reſpondeo, non eſse hoc Myſterium contra rationem naturalem, ſed eſse ſupra rationem; vnde fit, vt naturali ratione non poſſit oſtendi demonſtratiue, eſse poſſibile, neque impoſſibile. Non poteſt demonſtrari naturali ratione eſse poſſibile; quia eſt omnino ſupra rationem naturalem, nec demonſtrari poſset eſse impoſſibile; quia quod non eſt, demõſtrari non poteſt: at hoc Myſterium non eſt impoſſibile, neque contra rationem naturalem; nam verum vero, & ſupranaturale lumen

lumini naturali,quod eſt quædam participatio illius, repugnare non poteſt. Ad ſecundam Probationem, Reſpondeo. Argumentum aliquod dupliciter dilui poſse. Primo, oſtendendo, principium aliquod in ipſo aſsumptum eſse manifeſte falſum. Secundo, oſtendendo, principium aliquod in ipſo aſsumptum non ſatis probari. Argumenta ergo,quæ contra hoc Myſterium fiunt, non omnia poſsunt ſola ratione naturali dilui primo modo: quia ſicut non poteſt naturali ratione demonſtrari veritas, aut poſſibilitas huius Myſterij; ita neque impoſſibilitas, aut falſitas principiorũ illi repugnantium; diſsolui tamen poſsunt omnia, vt ita dicam, negatiue, negando ſcilicet principia huic Myſterio oppoſita,quia nunquam ſufficienter probãtur; cum enim illi opponantur, ſunt falſa: at quæ falſa ſunt, nunquam poſsunt euidenter demonſtrari. Et hic eſt modus ſoluendi argumenta contra Myſteria Fidei ſupernaturalia. Qui modus ſufficit quidem, vt defendat Myſteria Fidei; non tamen ſufficit, vt euidenter oſtendat, poſſibilia eſse, aut non includere repugnantiam.

Quarta Pars Capitis.

Similitudines quædam Sãctorum Patrum vt Myſteriũ hoc poſt reuelationem aliquo modo explicent.

QVantum attinet ad quartam partem Capitis, licet hoc Myſterium rationibus naturalibus, & ſimilitudinibus euidenter oſtendi non poſſit; poteſt tamen, poſita illius reuelatione, per ſimilitudines aliquot aliquo modo explicari. Afferam ſimilitudines aliquas Patrum. Primo ergo dixerunt aliqui, Trinitatem ſimilem eſse fonti, & fluuio, in quibus eſt eadem aquæ natũra; ſed differunt tamen. Ita *Athan. in Orat. cont. Arian. & Dionyſ. Alex. apud eundem in Epiſt. de Sentent. Dion. & Lact. lib. 9. cap. 21.* Secundo. Compararunt Trinitatem, Soli, Luci, & Splẽdori ipſius; quarum trium rerum dicebãt naturam eſse eandem, Suppoſita tamen diuerſa. Ita *Athan. Orat. 4. cont. Arian. & Lact. l. 4. cap. 20. Chryſoſt. in Hom. de Trinit. Alb. in Libello, Quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint vnus Deus.* Tertio, dixerunt ſimilem eſse Trinitatem igni, calori, & vapori, aut ſplẽdori. Sic *Athan. in Orat. Quod Deus de Deo ſit Verbum. Aug. in Dial. cont. Lucianum Arian. & Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 9.* Quarto. Trinitatem dixerunt eſse ſimilem tribus Solibus, aut tribus lucernis: quæ, cum re ipſa inter ſe differant, lumen tamen eſt idem. Ita *Nazianz. Orat. 5. de Theol.* Quinto. Eſse ſimilem catenæ, quæ vna tantum

eſt,

eſset natura, conſtaret tamen ex tribus diſtinctis annulis. Ita *Baſil. Epiſt.43*. Sexto. Compararunt Iridi: in qua, vt Philoſophi docent, vnum atque idem lumen, prout varie tribus in locis repercutitur, reddit tres colores. Ita *Baſil. eodem loco*. Septimo. Compararunt arbori: in qua radix, truncus, & rami differunt; ſed tamen naturam eandem habent. Ita *Dionyſ. Alex.* vt refert *Athan. de Sententijs illius*. Octauo. Conferunt Trinitatem cum ſphæra, cuius centrum fingatur eſse vbique: ſic enim Naturam Diuinam tanquam centrum eſse in ſingulis perſonis, quaſi vbique. Sic *Victorinus l. 1. cont. Arium*. Nono. Idem Author Hymno tertio de Trinitate, Patrem ſimilem eſse dicit ſtatui; quia nō habet originem aliunde: Filium progreſſioni; quia naſcitur ex Patre: Spiritum Sanctum regreſſioni: quia eſt veluti reciprocatio quædam Filij, & Patris. Decimo. Similem dixerunt animæ noſtræ: in qua ſunt Intellectus, Voluntas, & Memoria. Sic *Auguſt. infinitis locis*. Vndecimo. Cōpararunt Trinitatem triangulo; in eius enim medio punctum, quod æque participatur ab omnibus angulis, reſpondet Diuinæ Naturæ, quæ æque participatur à tribus perſonis in hoc triangulo; tres autem anguli referunt tres perſonas. Qui in medio, ac centro verſantur, Catholici ſunt, cōfitentes tres perſonas in vna Natura, & vnam Naturam in tribus perſonis. Alij, qui in extremis ſunt, & tanquā in angulos impegerunt, ſunt Primo Iudęi abhorrentes à multis perſonis. Secundo Ethnici, negantes vnam numero Naturam in tribus perſonis. Tertio Hæretici: quorum aliqui in Patrem impegerunt, vt Patropaſſiani: alij in Filium, vt Ariani: alij in Spiritum Sanctum, vt Macedoniani. Sic *Marius Victorinus loc. cit. & Riccard. de S. Victore*. His exemplis vſi ſunt Sancti, non vt illis Trinitatem probarent, ſed vt Fidem de Trinitate ex Scripturis probatam, ad infirmitatem humani ingenij accommodarent. Nam ijdem Authores docent, nullum exemplum Trinitati ſimile reperiri poſse. *Nazianzenus Orat. 5. de Theologia; Auguſtin. lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 3. & lib. cont. Sermonem Arianorum cap. 4. Damaſcen. lib. 1. de Fide cap. 9.* Et hæc de primo Capite dicta ſint ſatis.

CAPVT II.

Explicatur, quomodo Myſterium Trinitatis licet naturali ratione demonſtrari non poſſit, nihil tamen contineat rationi repugnans.

VRANIÆ THEORIA.

Myſteriũ hoc nihil continet contra naturam licet ſit ſupra naturam.

VETERES Theologi non fuerunt tam religioſi in diſtinguẽdis his nominibus (contra) & (ſupra naturam) ſicut Theologi recentiores. Non enim dubitarunt interdum aſſerere, multa in Religione noſtra fieri contra naturam, vt conſtat ex Ambroſio in lib. De his qui Sacris initiantur Myſterijs Cap. 9. Cæterum Scholaſtici non imprudenter dixerunt, in Religione noſtra, nihil eſſe, nec fieri contra, ſed ſupra naturam: intelligẽtes id eſſe contra naturam, non quod repugnat huius vel illius naturæ, ſed quod naturæ repugnat vniuerſæ; cuiuſmodi eſt, quod inuoluit contradictionem. Cum ergo ab omnibus cõceſſum ſit, nihil à Deo fieri poſſe, quod cõtradictionem cõtineat; hinc rectè dictum ab ipſis eſt, Myſterium Trinitatis, Incarnationis, & Euchariſtiæ eſſe quidem ſupra, non tamen contra naturam. Et hoc ipſo ſenſu Concilium Lateranenſe definiuit, multa eſſe in noſtra Fide ſupra; nihil tamen contra naturam. Quam ob cauſam idem Concilium præcipit, ne quis ſe conferat ad ſtudium Theologiæ, niſi Philoſophia prius imbutus; idquè potiſſimum, propter Myſterium Trinitatis, & Creationis. Vt autem oſtendamus, Myſterium Trinitatis non eſſe cõtra naturam, hoc modo Philoſophandum erit. Si Diuina Generatio (& idem dico de Spiratione Diuina) contradictionem inuoluit, & repugnantiam; id erit vel ratione Generationis ipſius, vbi communicatur Natura, vel ratione Naturę quæ communicatur, vel ratione modi, quo communicatur, vel denique ratione Perſonarum, quibus communicatur.

Non continet aliquid repugnans, ratione ipſius Generationis.

Repugnantia ex parte Generationis oriri poſſet vel ex eo, quod omnem generationem comitetur mutatio, vel ex eo quod in omni generatione producatur noua natura. Quare, cũ Deus nul-

nullius mutationis ſit capax, & ſi producatur noua natura multiplicetur Deus; ſequitur in Deo Generationem eſſe nō poſſe: ſed neutrum ex his obſtare Diuinæ Generationi facilè oſtenditur. Non enim obſtat Primum; quia Generatio ſecundum proprium conceptum, eſt ortus, ſeu egreſſus vnius ab altero ſecūdum naturæ communicationem; ac proinde, ſecundum ſe abſtrahit ab omni mutatione. In generatione autem inferiorum reperitur mutatio. Primo, quia generans non communicat eandem naturam, quam habet ipſe, ſed producit alteram ſimilem illi, quam habet. Hæc autem natura, cum producatur de nouo, tranſit à non eſſe, ad eſſe; proinde mutatur. Secundo reperitur mutatio in generationibus inferiorum; quia generans non producit totam naturam, ſed ſolam formam: quæ cum educatur ex materia, materia tranſit ab eſſe vnius formæ, ad eſſe alterius; ac proinde mutatur. Hac vtraque mutatione caret Generatio Diuina. Nam Pater communicat ipſam Naturam ſuam; & ideo non reperitur hic prima mutatio. Præterea cōmunicat totam Naturam, non partem tantum; ac proinde non reperitur hic ſecunda mutatio. Nec obſtat ſecuudum: nam cum generatio, vt diximus, ſit ortus, ſeu egreſſus vnius ab altero ſecundum naturę communicationem; non eſt neceſſe ad rationem generationis, vt in ea producatur, vel communicetur natura diſtincta: immo vero, cum generatio ſit communicatio naturæ, eo perfectior erit, quo maior reperitur in ea communicatio, & vnitas naturę. Quare ſi generans communicet eandemmet numero naturam, quam habet genito; quoniam communicatio naturæ eſt maxima; generatio etiam erit perfectiſſima. Conſiſtere autem perfectionem generationis in perfectiori communicatione naturę, conſtat à poſteriori. Nam ſi in genitore, & genito reperiatur tantum natura generica, non appellatur generatio, ſed abortus; vt ſi fœmina canem pariat: ſi vero ſit in vtroque natura ſpecifica, & vocatur, & eſt generatio. Et quia in humanis, non reperitur communicatio eiuſdem numericæ naturæ; quo magis genitus exprimit naturam numericam genitoris, figura, & lineamētis, eo etiam dicitur perfectior generatio; quia nimirum generatio tendit, quantum poteſt ad cōmunicationem eiuſdem naturæ. Quare refert Ariſt. 2. Polit. in ijs locis, in quibus vxores erant communes, illi aſſignari conſueuiſſe infantem pro filio, quem infans magis figura, & lineamentis retuliſſet. Cum ergo

quæ-

quæcunque in Deo ſunt, perfectiſſima ſint; generatio, quæ eſt in Deo, quia perfectiſſima eſt, ſummam petit cõmunicationem naturæ: & quoniam maxima omnium vnitas, eſt numerica, cõmunicabitur in Deo eadem numero natura.

Nec ratione naturæ, quæ communicatur.

Repugnantia ex parte naturæ oriri poſſet ex eo, quod vna numero natura non videtur eſſe poſſe in pluribus Suppoſitis: quod tamen aſſerendum eſt in generatione Diuina. Sed hæc etiam repugnantia nulla eſt, hoc eſt enim diſcrimen inter Suppoſitum, & naturam; quod Suppoſitum quidem eſt incommunicabile. Cum ergo nihil ſe ipſum generet; in omni generatione is, qui generat, non communicat Suppoſitum ſuum; ſed neceſſario, ſi generat, producit alterum Suppoſitum à ſuo. Natura verò communicabilis eſt, vt conſtat in natura generica, & ſpecifica, quę communicatur. Quod ſi natura indiuidua creata cõmunicari non poteſt alteri; id accidit, non quia eſt indiuidua; ſed quia limitata eſt, & finita. Nam ſi eſſet indiuidua, dummodo eſset illimitata, & infinita, communicari poſset. Oſtenditur hoc in natura ſpecifica: hæc enim natura ſpecifica communicabilis eſt multis indiuiduis: quia vt ſpecifica, non habet limites; immo quandam habet ſuo modo infinitatem: abſtrahit enim ab hoc, vel ab illo indiuiduo. Itaque natura vniuerſalis vt ſpecifica eſt quidem communicabilis pluribus, ſed non exiſtit actu: naturæ vero particulares exiſtunt quidem; ſed quia quidquid creatum eſt, finitum eſt; ideo non poſsunt ſe communicare pluribus. At Diuina Eſsentia vtriuſque naturę perfectionem habet: nam exiſtit, ſicut exiſtit natura indiuidua creata; & habet illimitationem, & infinitatem, vt habent naturæ vniuerſales, & ſpecificæ; ideo licet actu exiſtat, communicari tamen poteſt.

Nec ratione modi, quo cõmunicatur.

Repugnantia ex parte modi, quo communicatur hęc natura, oriri poſset ex eo, quod aſserimus, communicari naturam per actiones omnino immanentes intellectus, & voluntatis. Quod videtur fieri non poſse: ſed id non repugnare oſtendimus. Nam actio duplex eſt, tranſiens, & immanens. Conueniunt hæ duæ actiones in hoc, quod vtraque in creaturis eſt accidens; diſcrepant verò, quia in creaturis actio tranſiens eſt productiua, & eſt idem cum termino; immanens vero, infęcunda eſt, & remanet in agẽte; & niſi ipſa eſset accidens, idem omnino eſset cum agente. Iam vero, cum à Deo remouẽda ſit omnis imperfectio; non erit actio Dei accidens, ſed erit ipſamet ſubſtantia Dei;

quod

quod etiam concedit Ariſt. 12. Met. Rurſus, actio immanens Dei non erit ſterilis, ſed fęcunda: ſicut enim Diuina Eſsentia, vna cum ſit, æquiualet tamen rebus omnibus creatis, & continet perfectiones omnium; ſic vnica illa Dei actio continebit ſimul perfectiones omnis actionis creatæ, tranſeuntis, & immanentis, eritque quodammodo vtraque. Ex his ſoluitur omnis repugnantia. Nam actio Dei Patris, quia Diuina eſt, eſt eiuſdem Naturæ cum ipſo: quia immanẽs, erit idem cum ſuo principio: quia vero habet perfectionem etiam tranſeuntis, producet terminum, ſicut producit tranſiens, & erit idem illo. Quare eadem erit in Patre Natura, qui eſt principium Generationis, cum Natura Filij, qui eſt terminus eiuſdem.

Repugnantia denique ex parte Suppoſitorum, quibus hæc Natura communicatur, oriri poſset ex his. Primò. Quia non videntur multiplicari poſse Suppoſita nō multiplicata Natura. Secundo. Quia non videtur communicari poſse Naturam, non communicato Suppoſito, ſi Suppoſitum, neque re, neque formaliter differat à Natura. Tertio. Quia intelligi non poteſt, qua ratione Subſiſtentiæ Perſonales, cum ſint omnino idem cum Natura, diſtinguantur tamen realiter inter ſe. Sed iſtorum nihil obſtat. Non Primum. Nam in Suppoſito ſunt tria, natura, exiſtentia, & ſubſiſtentia; & hoc tertium eſt de ratione formali Suppoſiti, & conſtitutiuum ipſius: nam accidentia habent naturam, & exiſtentiam; quia tamen non habent ſubſiſtentiam, non ſunt Suppoſita. Itaque neceſse eſt multiplicari ſubſiſtentiam, multiplicato Suppoſito: multiplicari autem naturam, non eſt neceſse, vt patet, quia eadem natura ſpecifica habet multa Suppoſita; ergo ſi ponatur illimitatio illa in Natura Diuina indiuidua, quæ reperitur in natura ſpecifica; licet vna ſit, habere tamẽ poterit multa Suppoſita. Non Secundum. Licet enim idem omnino ſit Eſsentia, & Subſiſtentia in Deo; retinet tamen quælibet rationem ſuam, quam habent ſubſiſtentia, & natura, ſumptæ in communi. Ratio autem naturæ eſt, vt ſit communicabilis: ratio Suppoſiti, vt ſit incommunicabile. Vnde fit, vt eadem res communicari poſſit, vt eſt Natura, & ſit incommunicabilis, vt eſt Suppoſitum. Sicut admittunt omnes, idem eſse in Deo cognitionem, & amorem; negant tamen Deum amare peccata, ſicut cognoſcit. Nec obſtat denique Tertium. Nam Diuinę Hypoſtaſes; ſeu Subſiſtentiæ ſunt Relationes: relatio autem

Nec ratione ſuppoſitorum quibus natura communicatur.

creata, quia accidens eſt, ſubiectum reſpicit; quia vero tale accidens eſt, ideſt relatio, reſpicit terminum, cui opponitur; vnde fit, vt diſtinguant plerique in relatione eſse (in) & eſse (ad). Relatio igitur Diuina, cum non ſit accidens, non inhæret Eſſentiæ, ſed tranſit tota, vt ita loquar, in Diuinam Eſsentiam: ideo nullam cum illa compoſitionem facit. Quia vero rationem retinet relationis, licet non inhæreat, ſed ſubſiſtat, reſpicit terminum, & diſtinguitur realiter ab eo, quia opponitur illi. Ex quo fit, vt ſubſiſtentia Patris, quæ eſt Relatio Paternitatis, diſtinguatur realiter à Filiatione, non ab Eſsentia, quia cum Eſſentia non habet oppoſitionem, ſed habet cum Filiatione. Hactenus ſit dictum Philoſophis, qui ſi quid noſtræ Theoriæ contrarium habent, ſequenti Capite diluetur, quod erit vice Commentarij ijs, quæ breuius hic dicta ſunt.

CAPVT III.

Proferuntur Philoſophi, qui præ cæteris Myſteriũ Trinitatis oppugnarunt; afferuntur eorum rationes, & ſolutiones.

HOC Caput tertium ſecabimus in quinque partes. In Prima oſtendemus, Philoſophos aſsuetos lumini naturæ, capere non potuiſse vnam numero Naturã in tribus Perſonis. In Secunda oſtendemus, Hoc à nobis cõtra Gentiles nec probari debere, nec poſse. In Tertia, Patres diſputantes contra Arium, non admodum fuiſse ſollicitos ad hoc probandum. In Quarta ponentur rationes Philoſophorum contra hoc Myſterium. In Quinta, ſolutiones iſtarum rationum, & finem diſputandi faciemus.

Prima Pars Capitis.

Putarunt Philoſophi Gentiles, in tribus Diuinis Perſo

QVod attinet ad Primum, Nonnulli ex Philoſophis, qui Chriſtianam Religionem prius ſuſceperant; inanem, vt ait Apoſtolus, Philoſophiam deinde ſecuti, cenſuerunt, eodem

modo tres Diuinas Perſonas eſſe vnum Deum, quo tres homines ſunt vnus homo. Quare ſicut in tribus hominibus ponimus ex Philoſophia tres ſubſtātias; ſic illi totidem ponunt in Deo. In hoc errore fuiſſe Ioannem Philoſoponum cognomento *Grammaticum*, teſtatur *Nicephorus lib.* 18. *Hiſt. cap.* 47. aduerſus quem multi ſcripſerunt, ſed præſertim Conon. & Gregor. Piſides. Hiſtoriam ad longum refert *Nicephorus lib.* 18. *Hiſtor. cap.* 46. *&* 47. *&* 48. Eundem errorem Porphyrio tribuit *S. Cyrillus, ſcribens contra Iulianum lib.* 1. *ad finem*: vbi ait, idem ſenſiſſe, quod Arius; eſſe ſcilicet in Trinitate tres Deos. Quare, cum dicerent Ariani, Filium eſſe minorem Patre, & Spiritum Sāctum Patre & filio, tres etiam neceſſario in Trinitate ſubſtantias aſſerebāt. Et hæc cauſa fortaſſe fuit, cur Magnus Conſtantinus, Arianos, *Porphyrianos* appellandos eſſe cenſuerit: ſic enim in Edicto cōtra Arium legimus apud Socratem *l.* 1. *c.* 6. *Quemadmodum Porphyrius* (inquit) *capitalis pietatis hoſtis, qui nefarios libros contra Religionem Chriſtianam nuper edebat, mercedem dignam laboris recepit; & eiuſmodi quidem, vt apud poſteriora ſæcula non ipſe ſolum maximis probris vexatus fuerit, & turpiſſima infamiæ labe aſperſus; verū etiam ipſa eius ſcripta deleta penitus, & extincta; ſic etiam viſum eſt, Arium & eius ſectatores Porphyrianos nuncupare, vt quorum ſecuti ſunt mores, eorum etiam nomen habeant.* Et *Theodoſius Iunior. L. vltima de Hæreticis: Quemadmodum*, inquit, *Ariani lege Diuæ memoriæ Conſtantini, ob ſimilitudinem impietatis Porphyriani à Porphyrio nuncupantur, &c.* Porphyrius iſte, olim Malcus, ex *Eunapio* in eius vita, natione Iudæus, Bathanæ natus, teſte *Hieronymo in Epiſt. ad Galat. Plotini* diſcipulus fuit, primum Chriſtianus, deinde Apoſtata. *Cum enim*, inquit, *Niceph. l.* 10. *cap.* 36. *à quibuſdam Chriſtianis Cæſareæ verberatus eſſet*, vel potius, vt ſcribit *Socrat. l.* 3. *c.* 19. *reprehenſus; ipſe cum iniuriam eam non bene ferret, veluti atra bili percitus, Chriſtianiſmum abiurauit.* Sic Nicephorus. Puduit Apoſtatam defectionis; tunc præſertim, *cum tanquam rabidus canis vitaretur*, vt inquit *Hieronymus, ab omnibus.* Quare, vt culpam aliqua ratione minueret, finxit Ammonium, virum præſtantiſſimum, inſignem Philoſophum, Plotini Magiſtrum, multo prius id feciſse; vt, Ammonio duce, leuior defectionis culpa videretur. Sic ergo ſcribit, conferens Ammonium cum Origene. *Origenes*, inquit, *contrariam Ammonio ſecutus eſt viam; Ammonius namque Chriſtianus, & à Chriſtianis parentibus educatus, poſt-*

nis eſſe tres Naturas ſingulares, ſicut in tribus hominibus.

quam ſapere cœpit, Philoſophiamque attigit, illico ad legitimam viuendi rationem ſe contulit. Origenes autem Græcus, & Græcis eruditus diſciplinis, animum ad barbaram appulit temeritatem; in qua ſe ipſum doctrinamque ſuam ad quæſtum expoſuit. Hæc ex Porphyrio. *Nicephorus refert lib. 5. c. 13. ſuæ Hiſt.* Sed egregie redarguit eum Nicephorus his verbis. *Quid ille*, inquit, *more ſycophantæ non cōminiſceretur, qui omne ſuum ſtudium ad id contulit, vt in Chriſtianos inueheretur? auſus quippe eſt, Origenem affirmare à Græca ſuperſtitione transfugiſſe; Ammonium vero contra, à veræ pietatis inſtituto ad peregrinam religionem tranſiiſſe; cum Origeni Chriſtiana profeſſio patria prorſus fuerit, Ammonius autem ad extremum vſque ſpiritum conſtanter perſuaſionem Fidei in Chriſtum retinuerit.* Idem plane de Ammonio contra Porphyrium ſcribit *Euſeb. lib. 6. Hiſt. c. 13. & S. Hieron. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ammonio.* Sed quid mirum, ita de Ammonio Porphyrium loqui, quem *Cyrillus lib. 3. contra Iulianum calumniarum patrem* appellat? Non immoror diutius in hoc homine. De vita, & moribus Porphyrij copioſe ſcribit *Lactantius Firmianus* illius æqualis: fuit enim Criſpi Cæſaris præceptor, qui à Conſtātino patre fraude Fauſtæ nouercæ necatus eſt, vt teſtatur, *Euſeb. in Chron & S. Hieron. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Lactantio.* Hic ergo tantus vir ſuis coloribus Porphyrium exprimit *lib. 5. c. 2.* ſuppreſſo tamen Porphyrij nomine. Contra libros vero Porphyrij multi ſcripſerunt, *Methodius, Hieronymus, Auguſtinus*, ſed præcipue *Euſebius libros triginta*, *totidem Appollinaris*: de quo ſic habet *Vincentius Lirinenſis lib. de Catholica Fidei antiquitate. Quam multas ille hæreſes ſuis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos Fidei confutauerit errores, indicio eſt opus illud triginta non minus librorum, nobiliſſimum ac maximum, quo inſanas Porphyrij calumnias magna probationum mole confudit.* Hactenus de errore Porphyrij, & Philoponi; quibus nunc in Tranſiluania noui adhærent Ariani, iſtorumque nituntur rationibus, quas in poſteriori parte Capitis afferemus.

Secunda Pars Capitis.

A nobis nō eſſe probandam contra Philoſophos, vnam Naturam in tribus Perſo-

QVod attinet ad Secundam Partem huius Capitis, Myſterium hoc vnius Eſsentiæ in tribus Perſonis oſtendi non poteſt à nobis contra Philoſophos Gentiles, qui Diuinas Scripturas, & Concilia non admittunt, vt paſſim docent omnes Pa-

tres.

três. Et ratio eſt; quia vt oſtenſum eſt Cap. prim. Myſterium hoc excedit vires & lumen naturæ, nec ex effectibus inueſtigari poteſt; ſed peti, & addiſci debet ex Scripturis, quibus Gentiles Philoſophi fidem non habent. Quare tria cum hoc hominum genere præſtare debemus. Primo oſtendere poſsumus, Chriſtianam Fidem & Religionem eſse euidenter credibilem: quod ex multis, ſed maxime ex miraculis perſuadetur in Diſputatione de Fide. Secundo oſtendere poſsumus, hoc Dogma ex ijs eſse, quæ docentur in hac Fide & Religione, & à Catholicis omnibus recipitur: quod abunde fecimus lib. 1. contra Hæreticos. Tertio hoc Myſterium nullam inuoluere cõtradictionem, nec eſse adinaton; quod præſtari debet, ſoluendo rationes, quæ contra ipſum à Philoſophis & Gẽtilibus afferuntur. Addamus, multa à Philoſophis aſseri, quæ fere parem difficultatem habẽt cum hoc Myſterio. Afferam ex multis pauciſſima. Primo affirmant Platonici, vnam & eandem ideam eſse penitus idem cum ſingulis hominibus; homines tamen ſingulos inter ſe eſse diſtinctos. Secundo. Docet Auerroes lib. 3. de Anima, vnum & eundem numero intellectum agẽtem eſse in omnibus hominibus. Quod figmentum multis locis confutat S. Thom. præſertim in Opuſculo 16. vbi Auerroem, ob hanc præcipue cauſam, *non Commentatorem, ſed vniuerſæ Philoſophiæ Peripateticæ peruerſorem* appellandũ eſſe cẽſet. Hæc ſunt ipſius verba. Tertio. Ab omnibus, etiam Philoſophis conceditur, animam rationalem eſse totam in ſingulis partibus; cum tamen partes ipſæ in ſe diſtinguãtur. Vnde ſequitur, cum motis nobis moueantur quæ ſunt in nobis, ſi manus moueatur, reliquo corpore immoto, eandem animam eodem tempore moueri totam, & nõ moueri. Quarto. A multis defenditur eſse plures formas eſsentiales in eadem re. V.G. in eodem animante duas animas, vegetatiuam & ſenſitiuam: & tamen non minus videtur naturæ contrarium, eſse plures formas eſsentiales ſimul in eodem Suppoſito, quam eſse vnã numero Eſsentiam in pluribus Suppoſitis. Cum enim forma ſit actus, actuat, vt ita dicam, & definit materiam, ſicut figura quãtitatem: at eadem quantitas non poteſt habere ſimul duas figuras; ergo nec eadem materia duas formas. Non contendo, hanc opinionem eſse falſam, ſed placet eſse veram: quod magis ad rem noſtram facit; & tamen exploditur tanquam improbabilis, & falſa à nobiliſſimis ingenijs. Quid ergo

nis, ſed ſolui debere rationes, quæ in cõtrarium afferũtur ab ipſis.

go mirum, ſi non capiant Philoſophi Myſterium hoc, quod res creatas infinito ſuperat interuallo; cum tam multas res creatas non probabiles modo, ſed etiam veras capere non poſſint? Appoſite ergo *S. Bernard.* loquens de Trinitate *libro 5. de Conſideratione ad Eugenium: Deſtruimus nè*, inquit, *quod dictum eſt de vnitate, cum inducimus Trinitatem? non, ſed ſtatuimus Vnitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum Sanctum non tres Deos, ſed vnum. Quid ſibi vult iſte, vt ita loquar, ſine numero numerus? ſi tria, quomodo non numerus? ſi vnum, vbi numerus?* Et poſtquam explicuit pluribus, Deum eſſe trinum in Perſonis, & vnum in Natura, ſubdit. *Quæret quis, quomodo iſtud, quod Catholicum eſſe dicimus, poſſit eſſe; ſufficiat ei tenere ſic eſſe; atque hoc non rationi perſpicuum, nec tamen agnitioni ambiguum, ſed Fidei perſuaſum.*

Tertia Pars Capitis.

Patres multò diligentiores fuiſſe in probanda Diuinitate Perſonarũ ex Scripturis, quam in oſtendenda vna numero Natura in tribus Perſonis.

QVod attinet ad Tertiam Partem, multi hac noſtra tempeſtate præſtantes Catholici notarunt, Veteres Patres longe diligentiores fuiſſe, vt probarent Diuinam Naturam in Perſonis, quam vt oſtenderẽt vnam numero Naturam in omnibus Perſonis. Primum illud quam accurate præſtiterint, docuimus in Diſputatione contra Arium, & Macedonium. In hoc Secundo remiſſiores fuiſſe, facile ſibi perſuadebit, qui obſeruauerit varios dicendi modos, quos vſurpant, cum de Perſonarum vnitate loquuntur. Aliqui enim dicunt, tres Perſonas vnum eſſe Deum, ſecundum œconomiam, aut imperium; hoc eſt; quia omnes tres Perſonæ eandem authoritatem habent & adminiſtrationem. Sic loquitur *Tertullianus libro contra Praxeam, non vno loco*: Eodem modo *Epiphanius in Ancorato, ait eſſe vnum Deũ, propter Monarchiam, id eſt, quia habent idem imperium.* Et *Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 11, quia non habent regnum diuiſum, ſicut habebant*, inquit, *Dauid & Abſalon: Sed quibus imperat Pater, ijs etiam Filius, & Spiritus Sanctus.*

Alij Secundo videntur dicere, tres Perſonas habere ſimilem naturam: quod eſt, eſſe vnum Deum, ſed ſpecie, non numero. Sic *Athanaſius in Dialogo Primo de Trinitate*, vt explicet quomodo tres Perſonæ Diuinæ ſint vnus Deus, exemplum affert trium hominum. Eodem exemplo ad idem probandum vtitur *Baſilius libro 2. & 4. contra Eunomium, & Cyrillus Alexandrinus*

drinus libro 2. *Theſauri Capite* 1. & vt explicent, proferunt *Paulum, Siluanum & Timotheum.* Idem habet *S. Ambroſius lib.* 5. *de Fide Cap.* 2. vbi dicit, *tres Perſonas eſſe vnum Deum, ſicut tres homines ſunt vnus homo; hoc tantum excepto, quod inter homines eſt ſemper aliqua differentia, aut temporis, aut loci: inter Perſonas autem Trinitatis nulla eſt, neque temporis neque loci.* Igitur, quod attinet ad naturam, ſicut in tribus hominibus non eſt vna numero natura, ita nec in tribus Perſonis Diuinis erit vna Natura, ſi allata exempla aliquid probant. Quæ ſententia eadem videtur eſſe cum illa Porphyrij, & Ioannis Grammatici, ſi verba ſpectentur. Hi enim, vt explicent quomodo tres Perſonæ Diuinæ ſint vnus Deus, eodem vtuntur exemplo trium hominum.

Alij Tertio, ita videntur niti ſimilitudine naturæ, vt vitare videantur nomen Vnitatis, quod eſt aliquid amplius. Hilarius *libro vndecimo de Trinitate, & in libro de Synodis, Pater*, inquit, *& Filius ſunt vnus Deus, non ex ſolitudine, ſed ex ſimilitudine.* Vbi videtur dicere, non eſse vnum Deum, quod re vera vnus ſit, ſed tantum propter ſimilitudinem Naturæ. Eodem modo loquitur *Sanctus Ambroſius libro primo de Fide cap.* 3. *& Sanctus Auguſtinus lib.* 1. *de Trinitate c.* 4. *Epiphanius etiam contra hæreſ.* 15. affert exemplum Regis, & imaginis eius. *Sicut*, inquit, *imaginem Regis & Regem non duos dicimus eſſe Reges, ſed vnum, ita &c.* Quod exemplum, ſi eſt ſimile, quemadmodum alia eſt natura imaginis, & alia Regis, ita alia erit natura Patris, & alia Filij. Non defuerunt tamen, qui ad Theologiæ normam loquentes, dixerunt, in omnibus Perſonis vnam tantummodo eſse Naturam Diuinam. Nam, vt ſcribit *Sanctus Ambroſius libro primo de Fide ad Gratianum cap.* 1. Eccleſia mediam quodammodo viam tenet inter Gentiles & Iudæos. Gentiles quidem multiplicant & diuidunt Diuinam Naturam: licet enim Saturnum patrem, & Iouem filium Deos exiſtiment; aliam tamen in Saturno, aliam in Ioue naturam conſtituunt. Iudæi contra, non modo faciunt vnam Naturam Diuinam, verum etiam vnam Perſonam: at Eccleſia plures Perſonas confitetur contra Iudæos, & vnicam tantum Diuinam Naturam in his Perſonis contra Gentiles. *Aſſertio*, inquit, *noſtræ Fidei hæc eſt, vt vnum Deum eſſe dicamus, neque, vt Gentiles, Filium ſeparemus; neque, vt Iudæi, natum ex Patre ante tempora, & ex Virgine poſtea editum denegemus*, Idem plane habet *Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione*

tione de Natiuitate Domini, & *Sanctus Baſilius in Homilia.* 28. *contra Sabellium*, & *Arianos*. In qua Homil. ſic orditur. *Pugnat Iudaiſmus cum Gentiliſmo, & vtrique cum Chriſtianiſmo.* Ex quibus apparet, Patres ſemper ſenſiſse, vnam eſse tantum Naturam numero in tribus Perſonis contra Gentiles; licet aliqui ex ipſis paulo obſcurius locuti ſint: clariſſime tamen id aſseruerunt multi. *Athanaſius in Symbolo*: *Fides*, inquit, *Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur.* Epiphanius, licet alibi durius locutus ſit, *contra hæreſim tamen* 74. ſic habet, referens Concilij Nicæni Confeſsionem. *Credimus*, inquit, *in vnam Vnitatem Deitatis, & in vnam Coeßentialitatem in Trinitate perfecta; vnam vero Deitatem, vnam Eſſentiam. Anaſtaſius Antiochenus libro primo de Rectis Dogmatibus*: *Trinitatem*, inquit, *dicimus non Eßentiarum, ſed Perſonarum: vnum enim Deum glorificamus, non numero Perſonarum, ſed Natura: quod enim eſt Dei, hoc prorſus vnum numero eſt. Niſſenus libro de Trinitate ad Euſtachium*: *In multitudine*, inquit, *extendere numerum Deitatum, eorum dumtaxat eſt, qui laborant errore multitudinis Deorum. Sanctus Auguſtinus libro ſeptimo de Trinitate cap. vltimo*, quærit, An Eſsentia Diuina ſit genus, aut ſpecies: & vtrumque negat: ſed ait eſse vnam in indiuiduo, quæ tamen ſit communis tribus Perſonis: ideo licet apud nos plus valeant tres, quam vnus; in Deo tamen non plus eſse tres Perſonas quam vnam. Denique, ne ſim longior in re tam clara, *Victorinus libro tertio contra Arianos*, ait. *In tribus Perſonis eſſe Deum vnum plus quam numero: quia in his etiam rebus, quæ dicuntur eſſe vnum numero, licet ſemper reperire aliquam multitudinem: at in Eſſentia Diuina non licet.*

Cur autem aliqui ex Patribus durius locuti ſint, vt ita dicam, de Vnitate Diuinæ Naturæ, multæ cauſæ eſse potuerunt. Prima. Quod hæc Quæſtio eſset adhuc recens, nec ſatis exagitata; quare videmus, Tertullianum in duobus illis libris, altero *contra Praxeam*, & altero *de Trinitate*, ſæpe loquutum improprie, quod aduerterunt multi, etiam ex his, qui maxime fauent Tertulliano. Sufficiat vnum exemplum. In *lib. cantra Praxeam. Pater*, inquit, *tota ſubſtantia eſt, Filius vero deriuatio totius, & portio.* Quid dici poteſt magis improprie, niſi pie explicetur? Secunda cauſa fuit. Quod Ariani non in eo vexabant Catholicos, quod dicerent eandem numero Diuinam Naturam eſse in Patre, & Filio; ſed omnis eorum Diſputatio eo incumbebat, vt efficerent,

rent, Filium non eſse Diuinitate æqualem Patri. Quare Catholici vtebantur exemplis illis, quæ ſatis eſsent ad probandam æqualitatem Naturæ, & ſi non oſtendebant eſse eundem numero Deum. Et ſic reſpondemus ad duos illos modos loquendi Patrum, qui duriores videntur: dicunt enim, Perſonas eſse vnum ſecundum Oeconomiam, & imperium. Primo. Vel quia agebant contra Sabellianos, qui negabant diſtingui Perſonas, quod cum diſtinctione Perſonarum ſtare non poſset Dei monarchia, vt Libro Primo notauimus: dicunt ergo Patres, perſonas eſse vnum, quod attinet ad imperium & monarchiam; & in hoc non diſtingui: quæ enim vult Pater, eadem Filius & Spiritus Sanctus. Secundo. Vel quia ex vnitate, vt ita dicam, Imperij, & Monarchiæ deduci poteſt vnitas Naturæ: quod videtur aſserere. *Sanctus Ambroſius libro primo de Fide cap.* 2. vbi affert locum *Ioann.* 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt; alioqui propter opera ipſa credite.* Vbi vnitatem Diuinitatis per vnitatem operum deſignauit. Vel denique Tertio. Quia ſi omnes tres perſonæ habent idem Imperium, eandem Monarchiam; ergo ad minus erunt omnes eiuſdem ſpeciei; ergo ſicut Pater eſt vere Deus, ſic erit & Filius, & Spiritus Sanctus: quod negabant Ariani, quo poſito cōſequens erat, vt alias diximus, vnam tantū eſſe naturā numero in diuinis perſonis, quia Deus nō poteſt eſſe niſi vnus. Eodem modo reſpondetur ad Secundum modum loquendi, & ad exemplum, quod afferunt, trium hominum. Nam eo exemplo oſtenditur ſi non Vnitas, æqualitas ſaltem Naturæ inter ipſas Perſonas. Addunt tamen interdum, hoc exemplum trium hominum translatum ad diuinas perſonas non eſse proprium: quod facit *Sanctus Auguſtinus libro ſeptimo de Trinitate capit. vltimo, & in Pſalm.* 68. Vbi, propoſito hoc exemplo, ſubdit: *Hoc intereſſe inter tres homines, & tres Perſonas Trinitatis; quod ſinguli ſint homines, & ſimul ſumpti ſint tres homines: at ſingulæ tres Perſonæ Trinitatis ſunt quidem Deus; non ſunt tamen tres Dij.* Tertia cauſa eſse potuit. Quod Sabellianorum hæreſis antiquior erat Arianiſmo. Cum ergo eſt orta hæreſis Arij, Catholici, ne Sabelliani viderentur, cum loquebantur de Trinitate, operam dabant, vt longiſſime abeſsent ab errore Sabellij. Propterea Epiphanius & Cæſarius dixerunt, Filium non eſse ſynuſion Patri, ne viderentur perſonas confundere. Hoc etiam ſibi vult Epiphanius, cum dicit, Trinitatem non eſse con-

iun-

iunctionem: Item. In Trinitate non eſſe vnitatem, ſed ſimilitudinem. Ea enim vocat abſolute eadem & vnum, quæ nullo modo diſtinguuntur: at perſonæ diſtinguuntur inter ſe: ſimilitudinem autem appellat, non qualitatem aut proprietatem aliquam, ſed vnitatem eiuſdem numero Naturæ.

Quarta & Quinta Pars Capitis.

Quarta & quinta Pars Capitis. In quibus afferuntur rationes Gẽtilium Philoſophorũ cõtra hoc Myſterium. & ſoluuntur.

QVod attinet ad quartam & quintam Capitis partem, conſtans eſt Rabbinorum opinio. In libro Midras Tillim in illa verba, *Angelis ſuis mandauit de te.* R. Nehemia. Et in libro Rabboth, *in cap.28. Geneſ.* cum Iacob proficiſceretur in Haram, & veniſset Bethel, ſuppoſuiſse capiti ſuo pro ceruicali tres lapides, quos mane comperit in vnum coaluiſse. Quamobrem territus viſione ſcalæ cœleſtis, quæ illi in ſomnis apparuerat, & manu tangens tres illos lapides in vnum conuerſos, exclamauit: *Quam admirabilis eſt locus iſte?* Nititur autem, vt puto, hæc traditio, Scripturæ verbis: *Capite enim 28. Gen. v. 11.* Sic legimus ויקח מאבני המקום וישם מראשתיו ideſt. *Et tulit de lapidibus loci, & poſuit ſub capite ſuo.* Verſu deinde 18. Sic: ויקח את האבן אשר שם מראשתיו ideſt. *Et tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo.* Priori loco meminit lapidum; poſteriori vero lapidis; quod lapides illi coaluiſsent in lapidem. Referebat autem miraculum illud, ſi traditio illa vera eſt, Myſterium Trinitatis; vbi tres perſonæ ſunt vnum Natura, ſicut tres illi lapides vnus lapis. Cæterum, illud ipſum Myſterium, quod admiratur fidelis Iacob, & Iſrael Dei, derident Iſraelitæ ſecundum carnem, & Gentiles validis rationibus oppugnant. Duo ſunt enim præcipuè in hoc Myſterio, vt diximus capite primo, quæ admirationem pariunt, & quæ naturæ viribus aſſequi non potuerunt Philoſophi. Primum eſt, Trinitas perſonarum in eadem Eſsentia. Secundum eſt, proceſſio iſtarum perſonarum, ideſt, modus, quo vna perſona procedit ab alia. Quare cum neutrum ex his aſsequãtur Philoſophi, impugnant vtrumque. Impugnant autem primo vnitatem Eſsẽtiæ his rationibus:

Prima ratio ducitur à communi modo loquendi, quo vtimur in Philoſophia. Omnes enim aſserunt, vnius rei; vnam tantum eſse eſsentiam: at hic ſunt tres res, tres perſonæ; & tamen ipſarum Eſsentia eſt tantum vna; ergo Myſterium hoc

non

non poteſt admitti. Reſpondet ad hoc argumentum S. Thom. in 2. Reſcripto ſuper libros Sententiarum diſt. 2. quæſt. 2. negando Maiorem. Nam in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei eſt vna tantum eſsentia; quare non tot eſse debent eſsentiæ, quot ſunt res. Contra. In his indiuiduis eſt vna quidem eſſentia, ſed ſpecie, non numero. V.g. in Petro, & in Paulo, eſt natura humana, vna ſpecie, non numero: at in Diuinis Perſonis eſt Eſſentia vna numero. Reſpondeo. In indiuiduis creatis multiplicari eſſentias numero; quia nulla eſſentia creata eſt ſuum eſſe, ideſt, quia de eſſentia rerum creatarum non eſt exiſtere. At Eſſentia Diuina eſt ſuum eſſe; ideo nec eſt, nec eſſe poteſt niſi vna numero in tribus Perſonis. Contra. Natura exiſtens, & ſingularis non poteſt eſſe in pluribus Suppoſitis, vt docet experientia: at Diuina eſt ſingularis, & exiſtens, immo de illius Eſſentia eſt exiſtere; ergo non poteſt eſſe in pluribus Suppoſitis. Reſpondeo. Maiorem non eſſe veram in Natura Diuina, quæ eſt infinita, & perfectiſſima: hæc enim ob infinitatem, vt ita dicam, & perfectionem ſuā poſtulat eſse in pluribus Suppoſitis. Igitur Diuina Natura, quia eſt ſuum eſſe, multiplicari non poteſt; ſed eſt eſſentialiter hæc; quia vero eſt infinita & illimitata, eſſe poteſt in pluribus Suppoſitis.

Secunda Ratio probat. Si Natura ſit tantum vna, Hypoſtaſim eſſe non poſſe niſi vnam. Probant autem hoc dupliciter. Primo. Quia Hypoſtaſis, & perſona nihil eſt aliud, quam natura, & ſubſtantia ſingularis: at in Diuinis eſt vna tantum Natura, & Subſtantia; ergo vna tantum Hypoſtaſis; aut ſi tres ſunt ſubſtantiæ; ergo tres Naturæ, ac proinde tres Dij, & hæc erat ratio Philoponi. Nego Maiorem. Quia hypoſtaſis naturæ, & ſubſtantiæ intellectuali addit incommunicabilem ſubſiſtentiam. Contra. Ponamus, hoc verum eſſe: ſaltem in rebus creatis, multiplicata hypoſtaſi, multiplicatur ens abſolutum; ergo idem erit in Deo. Dic ergo mihi, quod eſt illud ens abſolutum, quod multiplicatur in Deo? Nego Conſequentiam. Et ratio eſt. Quia in creatis ſubſtantijs hypoſtaſis eſt ens abſolutum, & præterea non poteſt vna natura habere niſi vnam hypoſtaſim: quare, multiplicata hypoſtaſi, multiplicatur natura: at in Deo hypoſtaſes ſunt Relationes; ideo ipſis multiplicatis, nō multiplicātur abſoluta: eadem enim natura cum Relatione Ingeniti cōſtituit Patrem, cū relatione

Geniti Filiũ, cum Relatione Spirati, Spiritũ Sãctum. Pręterea nec multiplicatur Natura, quę eſt abſoluta, multiplicata Hypoſtaſi; quia hæc natura infinita ex ſe poſtulat tres Hypoſtaſes. Secundo probant idem; Quia ſubſiſtentia, eſt proprius terminus ſubſtantiæ, nimirum eſſe per ſe: ſed implicat eandem rem ſimul terminari pluribus terminis, ſicut eandẽ quantitatem pluribus ſimul figuris; ergo implicat vnicam Naturam Diuinam habere plures ſubſiſtentias. Ad Maiorem reſpondeo. Subſiſtentiam, vt hic ſumitur, pro Hypoſtaſi, & perſona, non dicere tantum per ſe eſſe, ſed eſſe per ſe incommunicabiliter. Diuina enim Natura, ſeorſim ſumpta à Relationibus, per ſe ſubſiſtit; ſed ſubſiſtentia eſſentiali, & communicabili; idcircò non eſt Hypoſtaſis, ſiue Perſona. Ad Minorem reſpondeo. Non implicat, Diuina virtute naturam aliquam creatam, pluribus ſimul perſonis terminari; vt ſi vna numero natura humana aſſumeretur hypoſtaticè, à tribus Diuinis Perſonis ſimul; naturaliter tamen repugnat naturæ creatæ terminari ſimul pluribus hypoſtaſibus, aut perſonis. Quod non modo non repugnat, ſed naturale eſt Diuinæ Naturæ, vt diximus, ob infinitatem, & fœcunditatem eius: ſicut ergo concipimus, vnum corpus per Diuinam potentiam terminari poſſe pluribus ſuperficiebus, ſe inuicem penetrantibus; ita concipere debemus, vnicam numero Diuinam Naturam tribus ſimul Diuinis Perſonis naturaliter terminari. Quæres, an quælibet Hypoſtaſis Diuina dici debeat terminus adæquatus naturæ. Reſpondeo. Si per terminum adæquatum Diuinæ Naturæ intelligas eum, qui recipitur; vt ita dicam, in tota Diuina Natura, quælibet Diuina Hypoſtaſis, ſeu Perſona eſt terminus adæquatus; quia terminat non partem Naturæ Diuinæ, quæ partes non habet, ſed totam: at ſi per adæquatum terminum intelligas eum, præter quem nullus alius poteſt ſimul conuenire Diuinæ Naturæ; tunc nulla ex tribus Hypoſtaſibus eſt terminus illi adæquatus, ſed omnes tres ſimul ſumptæ. Lege Notationem 22. Confirmant idem hoc modo. Exiſtentia eſt id, quo formaliter natura eſt actu in re; ergo ſi ſunt tres exiſtentiæ ſunt tres naturæ, & tres ſubſtantiæ numero, & in actu. Idem ſequitur de ſubſiſtentia: nam ſubſiſtentia eſt ſpecies exiſtentiæ: diuiditur enim exiſtentia ſic; Exiſtentia ſi eſt per ſe, eſt ſubſiſtentia; ſi in alio, eſt inhærentia; ergo ſi in Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ, ſunt etiam tres exiſtentiæ, ac proinde tres

ſub-

ſubſtantiæ, & tres numero naturæ; ſed ad hanc Confirmationem, reſpondimus lib. 2. Notatione 23. & 24. Duo ſunt enim modi reſpondendi. Primus admittit in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas, ſed vnicam tantum exiſtentiam. Secundus ait, tot eſſe exiſtentias relatiuas, quot ſunt Relationes, & ſubſiſtentiæ. Petatur inde ſolutio.

Tertia Ratio probat. Si Diuinarum Perſonarum vnica ſit tantum Eſſentia, nihil eſſe poſſe in Diuinis perſonis, quo realiter inter ſe diſtinguantur. Hoc etiam probant duobus modis. Primo ſic. Id, quo Diuinæ perſonæ cõſtituuntur & diſtinguuntur inter ſe, aut eſt aliquid abſolutum, aut relatiuum: ſi abſolutum, erit ſubſtantia, non accidens; ergo erunt in perſonis diſtinctæ ſubſtantiæ: ſi relatiuum; hoc eſse non poteſt: quia ſuppoſitum ſubſtantiale conſtitui debet per ſubſiſtentiam, quæ eſt proprius modus, & terminus ſubſtantiæ, nec eſt diuerſi generis à ſubſtantia. At quid relationi cum ſubſtantia, cum ſit diuerſi generis ab illa? ergo licet ad ſummum concedi poſset, Diuinas Relationes ſubſiſtere, ſicut omnia Diuina; concedi tamen non debet eſse ſubſiſtentias ipſius Eſsentiæ. Reſpondeo. Conſtitui perſonas per Relationes originis. Ad rationem. Dico, Subſiſtentiam illam, quæ eſt terminus intrinſecus Eſsentiæ, eſse abſolutam, non relatiuam; & hanc eſse vnam tantum: at ſubſiſtentias perſonales, & incommunicabiles, quibus cõſtituuntur perſonæ in ratione perſonæ, eſse Relationes originis producentis, & producti: quæ, cum ſint ſubſiſtentes, & oppoſitæ, realiter diſtinguent perſonas; & hoc eſt proprium in Deo, nec reperitur exemplum, ſimile in creaturis. Quare rationes ductæ ex creaturis ad hoc impugnandum, non valent, niſi oſtẽdatur, hoc ſimpliciter implicare contradictionem: quod non oſtendetur. Lege Notationem 27. & 28.

Idem ſecundo ſic Probant. Aut aliqua perfectio realis eſt in vna perſona, quę non ſit in alia, aut nulla: ſi nulla; quomodo diſtinguuntur realiter inter ſe? nam diſtinctio realis eſt ratione diſtinctarum rerum, quarum vna, non ſit alia: ſi aliqua; ergo aliqua perfectio eſt in vna perſona, quę non eſt in alia; ergo cuilibet perſonę deeſt perfectio aliqua: quod eſse non poteſt, quia quęlibet perſona eſt ſimpliciter infinita; ergo nihil realis perfectionis illi deeſt. Reſpondeo breuiter. Nullam eſse perfectionem in vna perſona, quę, nõ ſit in alia, ſaltem per ęquiualẽtiam:

nam in qualibet perſona eſt Eſsentia Diuina, quę complectitur omnem perfectionem quarumcũque Relationum. Quare, licet in Filio nõ ſit Paternitas; eſt tamen Eſsentia Diuina, quę ęquiualet paternitati, cum comprehendat omnem perfectionem paternitatis: & hoc ſatis eſt ad ęqualitatem perſonarum: de qua diximus lib. 2. Not. 18. dixit hoc duobus verbis *Nazianzenus Orat. 5. de Theolog.* Vbi *Filius,* inquit, *non eſt Pater, ſed quod Pater.*

Quarta Ratio probat, hunc perſonarum numerum in Deo fruſtra poni; & pręterea obeſse ſimplicitati Diuinę. Poni fruſtra, probatur; Quia Deus, cum Eſsentiam habeat infinitam, & infinite perfectam, non eget conſortio plurium perſonarum ad beatitudinem, neque pluribus indiuiduis ad Naturę conſeruationem; ſed ſolus ſibi ſufficit, & ſe ſolo beatiſſimus eſt; ergo fruſtra ponuntur plures perſonę. Reſpõdeo Deum eſse perfectiſſimum; ſed inter perfectiones Diuinę Naturę numerandam etiam eſse fęcunditatem, qua cõmunicari poteſt pluribus ſuppoſitis. Et hęc cõmunicatio Naturę cũ ſine vlla imperfectione eſse poſſit in Deo, omnino illi tribui debet. Obeſse Diuinæ ſimplicitati probatur. Nam Dei ſimplicitas, & vnitas ſũma eſt. At maior eſset ſimplicitas ſi Deus eſset vnus in pſona, ſicut eſt vnus in eſsẽtia. Nego Minorem, nihil enim obeſt Trinitas perſonarũ ſimplicitati Diuinę; immo ſummã Dei ſimplicitatem oſtẽdit. Nam Relationes, quæ propter oppoſitionẽ, quã inter ſe habent, realiter inter ſe differunt, ita identificãtur cum Eſsẽtia, vt idem omninò ſint cum illa realiter, & formaliter. Itaque nullam omnino inducunt multitudinẽ entium: ſunt enim tres illæ Relationes vna ſimpliciſſima res; nec minus ſimplex redditur eſsẽtia per Relationes, quã eſset ipſa per ſe ſola. Lege Not. 12.

Quinta Ratio probat, admiſso hoc Myſterio deſtrui tria principia nota naturæ lumine; ergo non debet admitti. Primò enim deſtruit principium illud: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadẽ inter ſe: nam Relationes ſunt idem realiter cum Eſsentia; & tamen non ſunt idem realiter inter ſe. Ad hoc Axioma multis modis reſpondent Scholaſtici: quos omnes expendit Suarez lib. 4. de Trin. cap. 3. Sed, vt rectè notauit S. Athanaſius orat. 2. & 4. contra Arianos, ſtultum eſt metiri Deum creatis rebus, & ſubijcere velle ens infinitum legibus entis finiti. Quare, hoc Axioma, ſi intelligatur in vniuerſum, tam de Deo, quã de creaturis, tam de ente finito, quam de infinito, negari debet tãquam

falſum. Nec probari poterit inductione à Philoſophis niſi in rebus finitis: in quibus concedimus eſſe verum ob finitatem ipſarum; ſed ſi ex rebus finitis idem inferant eſſe dicendum in Deo, negabimus Conſequentiam, quia Deus eſt infinitus. Vnde fit vt Eſſentia Diuina ob ſuam infinitatem poſſit, vt ita dicam, identificari tribus Relationibus oppoſitis, quæ ſcilicet ſunt realiter inter ſe diſtinctę. Non quærant exēplum: quia hoc eſt ſingulare, nec alteri cōuenit quam Deo; quia præter Deum nihil eſt infinitum: ſuaderi tamen aliquo modo poſset ea ratione, quam attulimus cap. 2. huius libri. Sicut Natura Generica. V.g. animalis, quia per abſtractionem intellectus quādam acquirit infinitatem, eſse poteſt idem realiter cum Lupo, & Leone, licet Lupus, & Leo realiter differant inter ſe; Ita Natura Diuina, quæ non per abſtractionem intellectus, ſed re vera, & à parte rei eſt infinita, eſse poterit idem realiter cum Paternitate, & Filiatione, licet Paternitas, & Filiatio ob oppoſitionem, quam habent, realiter differant inter ſe.

Secundò. Hoc Myſterium deſtruit formam ſyllogizādi: quæ duplex eſt, ſicut duplex eſt medium in ſyllogiſmis, ſingulare, & vniuerſale. Ex medio ſingulari cōficitur ſyllogiſmus expoſitorius; qui licet in alijs rebus euidenter conuincat; in hoc tamen Myſterio nihil concludit. Non enim valet: Hic Pater eſt hæc Eſsentia: hæc Eſsentia eſt hic Filius; ergo hic Pater eſt hic Filius. Ex medio vniuerſali cōficiuntur argumenta in prima figura; quæ neceſsariam habent illationem: & ad primam reuocatur ſecūda, & Tertia. Deducit autem Ariſtoteles primo Priorum. cap. primo formam ſyllogizādi, cum medium eſt vniuerſale, ex duobus Principijs: primum vocat Dici de omni, hoc eſt, Quidquid prædicatur de aliquo ſubiecto, vniuerſaliter ſumpto, & in tota amplitudine, prædicatur etiam de omnibus illius inferioribus. V.g. ſi animal prædicatur de homine, prædicatur etiam de Petro, Paulo, & cæteris, qui cōtinentur ſub homine. Huic Principio nituntur argumēta; quæ fiunt in Barbara, & illius ſimilia. Omne animal eſt ſenſibile; omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt ſenſibilis: & tamen in hoc Myſterio hæc forma non concludit, vt patet in hoc exemplo. Diuina Eſsentia eſt Pater; Filius eſt Diuina Eſsentia; ergo Filius eſt Pater; quod argumentum eſt in Barbara: vtraq; enim Propoſitio æquiualet vniuerſali: quia Eſsentia Diuina eſt tantum vna; & tota eſt Pater: vna

eſt tantum Eſsentia, & tota eſt Filius. Secundum Principium vocat Ariſtoteles, Dici de nullo; ideſt; Quidquid negatur de aliquo vniuerſaliter ſumpto, & in tota ſua amplitudine, negatur etiam de omnibus inferioribus ipſius. Huic Principio nituntur argumenta in Celarent, & illius ſimilia. Nullum animal eſt lapis: omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis, ſed neque hæc argumentandi forma vim habet in hoc Myſterio: ſic enim argumentantur in Celarent, Filius non eſt Pater; Diuina Eſsentia eſt Filius; ergo Diuina eſsentia non eſt Pater. Reſpõdeo. Formã ſyllogiſticam habere vim in omnibus rebus: quare eandem retinet in hoc Myſterio. Tota difficultas eſt, vt forma habeat eos terminos, quos requirit: alioquin non concludit, in quacunque materia fiat. Illud autem Notãdum eſt ex S. Thom. p.p.q.39. art 4. ad 3. Eſsentiam Diuinam habere ſe ad modum termini communis, licet ſit ſingulariſſima. Eſt autem terminus communis, non tantum prædicatione, ſicut ſpecies, & genus, quia prædicantur de pluribus; ſed quia reperitur verè in pluribus Suppoſitis vna & eadem: quare in prędicationibus fungitur munere termini communis, & vniuerſalis. Hoc poſito, facile ſoluitur, quod obijcitur de ſyllogiſmo expoſitorio. Nam ſyllogiſmus, qui videtur expoſitorius, verè non eſt, quia Eſsentia eſt terminus cõmunis, vt diximus: at ſyllogiſmus expoſitorius requirit terminum non communem, ſed vnum, & ſingularem: quare in allato ſyllogiſmo, admiſsa Maiori, & Minori, negatur Conſequẽtia. Ad ſecundum. Reſpõdeo ex eodem Principio. Nam medius terminus cõmunis, & vniuerſalis, vt vim inferendi habeat, ſiue in Barbara ſiue in Celarent, debet rectè diſtribui, hoc eſt debet comprehendere omnia inferiora, quæ habet ſub ſe: at in argumentis illis, quæ afferuntur, non recte diſtribuitur medius terminus: Ideo admiſsa Maiori, & Minori, negatur in vtroq; Conſequentia. Explico. Sicut non concludit hic ſyllogiſmus: Lupus eſt animal: animal eſt Leo; ergo Lupus eſt Leo, licet ſit in Barbara; quia non rectè diſtribuitur ille medius terminus (Animal) Animal enim licet ſit leo; eſt tamen aliquid aliud, quod non eſt leo: eſt enim etiam lupus; ideo non ſequitur in Concluſione; ergo lupus eſt leo: eodem modo, non rectè diſtribuitur in noſtro ſyllogiſmo medius terminus (Eſsentia) nam Eſsentia Diuina eſt quidem Pater: ſed quia eſt etiã aliquid aliud, quod non eſt Pater (eſt enim etiam Filius) ideò non ſe-

quitur

quitur in Concluſione; ergo Filius eſt Pater. Rectè autem diſtribueretur ille medius terminus, ſi diceremus in Maiori: Eſſentia Diuina eſt tantum Pater; ſed tunc neganda eſt Maior, quia falſa. Eodem modo ſecundus ſyllogiſmus non concludit in Celarent; quia ille medius terminus (Eſsentia) non rectè diſtribuitur in Minori. Cum enim dicitur in Minori: Diuina Eſſentia eſt Filius; verum id quidem eſt: ſed quia eſt etiã aliquid aliud à Filio (eſt enim etiam Pater) ideo dicitur, non rectè diſtribui. Vt autem rectè diſtribueretur, dici deberet ſic in Minori: Diuina Eſsentia eſt tantum Filius: ſed tunc Minor eſt falſa. Quia ergo non habent hæ formæ terminos, quos requirunt: ideo hi ſyllogiſmi non concludunt: & admiſsa Maiori & Minori, negatur Conſequentia.

Tertiò. Myſterium hoc deſtruit Principium illud: Omne vel eſt, vel non eſt. Cuius Propoſitionis ſenſus eſt hic: De eadem re non poſsunt ſimul duæ contradicentes Propoſitiones, eſt, & non eſt, eſse veræ: at in hoc Myſterio duæ contradicentes Propoſitiones ſunt ſimul veræ: nam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt tres res: & rurſus videntur non eſse tres res, quia non ſunt niſi vna Eſsentia; ergo. Præterea eadem res eſt Eſsentia, & Relatio: & tamen Relatio producitur, & Eſsentia non producitur; ergo eadem res producitur, & non producitur. Reſpondeo, negando Antecedens. Nunquam enim duæ Propoſitiones contradicentes ſunt ſimul veræ in Trinitate; quia nunquam Extrema accipiuntur pro eadem re, ſecundum eandem rationem: quod tamen neceſſarium eſt ad cõtradictionem. Nam cum dicimus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſse tres res, ſumuntur ſecundum rationem perſonæ: cum verò dicimus, non eſse tres res, ſed vnam tantum, ſumuntur ſecundũ rationem Eſsentiæ; licet Eſsentia à Perſonis non diſtinguatur re, ſed tantum per intellectum. Eodem modo dicendum ad illud de productione. Nam res illa, ſub ratione Eſsentiæ, nõ producitur, ſed ſub ratione perſonæ aut Relationis producitur, vt diximus libro ſecundo.

Impugnant ſecundo Philoſophi proceſſionem Diuinarum Perſonarum his rationibus.

Prima Ratio probat, in Deo non eſse principium duarũ Perſonarum realiter inter ſe diſtinctarum hoc modo. Intellectus, & voluntas non diſtinguuntur in Deo, nec realiter, nec ex natura

rei;

rei; ergo vnica tantum productio. Cõfirmatur. Intellectio non diſtinguitur à Patre intelligente,& eſt etiam idem cum Verbo, quod producitur; ergo non poteſt Verbum differre realiter à Patre. Idem dico de Spiratione. Ad rationem. Admiſso Antecedenti, nego Conſequentiam. Primò. Quia,etiam in rebus creatis, ab vno Principio ſunt plures effectus. Secundò. Quia, licet intellectus, & voluntas in Deo ſint vna res;æquiualent tamen duabus realiter diſtinctis : ideo præſtant id, quod præſtarent, ſi realiter inter ſe diſtinguerentur. Tertiò.Quia Perſonæ Diuinæ realiter diſtinguuntur inter ſe: non quia procedunt à diuerſis principijs realiter diſtinctis; ſed quia vna eſt ab alia. Ad Confirmationem, nego Conſequentiam.Habent enim hoc Diuinæ Perſonæ, vt diſtinguantur inter ſe,non per aliquid abſolutum, quod ſit in vna, & non in alia, ſed per Relationes producentis, & producti.

Secunda Ratio probat, nullam eſse actionem in Deo, qua produci poſſint perſonæ: ſic enim argumentantur. Hoc differunt actiones immanentes à tranſeuntibus,quod per has aliquid extra producitur, per illas verò nihil, præter ipſam actionem: ergo Pater per ſuam actionem immanentem intelligendi, & volendi nihil producet,perſonam præſertim realiter à ſe diſtinctam. Reſpondeo. Si ſit ſermo de actionibus immanentibus rerum creatarum, tranſeat Antecedens: at,ſi ſit ſermo de actionibus immanentibus Dei,nego Antecedens. Habet enim hoc ſingulare Deus, vt per actiones ipſius immanentes duæ producantur perſonæ,realiter à producẽte diſtinctæ, Verbum, & Amor, Hujus autem generis actiones ignotæ fuerunt Philoſophis, qui ſolo naturæ lumine nitebantur. Lege Not.4 & 5.

Tertia Ratio probat, nihil eſse, quod habere poſſit rationem ſubiecti reſpectu iſtarum actionum:ac proinde actiones iſtas eſse non poſse. Arguunt ergo Sic.Si Filius eſt genitus ex Patris ſubſtantia; ergo Patris ſubſtãtia deciſa eſt,vt inferebat Arius:quod eſse non poteſt, aut certè tota Patris ſubſtantia eſt producta in Filio. Sed. Primo non poteſt eadem res, & ſubſtantia eſse producta,& improducta, vel bis producta. Secundò. Quid eſt, quod productum eſt in Filio? non Eſsentia. Quia,hæc eſt illa eadem improducta, quæ reperitur in Patre : nec eſt Hypoſtaſis. Quia hæc eſt idem cum Eſsentia re,& formaliter. Deinde, ſi eſt producta: non ex nihilo; quia tunc eſset creatura: ergo eſt educta ex

Eſsen-

Eſsentia,& in illius potentia erat; ergo Eſſentia habet rationem materiæ: quod videtur non poſſe dici de Eſſentia Diuina. Reſpondeo. Communicatam eſſe Filio totam Patris ſubſtantiam, non partem: quare ſubſtantia, quæ erat in Patre cum proprietate ingeniti, eadem eſt in Filio cum proprietate Geniti, & in Spiritu Sancto,cum proprietate Spirati:& hoc eſt peculiare Eſſentiæ Diuinæ, vt ſit communicabilis pluribus Suppoſitis; nec poteſt in rebus creatis exemplum reperiri. Ad id autem, quod quæritur, Quid ſit productum in Filio, Eſſentia ne,an Relatio. Reſpondeo. Producere,& produci propriè non eſſe formæ,ſed Suppoſiti. Quare Pater eſt, qui producit,& Filius,qui producitur. Vrgent. Filius erat ne in potentia? Reſpondeo. Erat in potentia actiua,ſeu productiua Patris,hoc eſt,poterat à Patre produci. In potentia autem paſſiua non erat: quia non eſt productus ex materia aliqua: quod oſtenditur ratione allata in argumento. Nam in Filio eſt Eſſentia, & Relatio: Eſſentia non eſt educta; quia præerat in Patre, & cõmunicata eſt Filio: Relatio non eſt educta; quia non differt,neq; re, neq; formaliter ab Eſſentia;ergo verè non poteſt educi ab illa: dici tamen poteſt producta à Patre, vt terminus (quo) non (quod) Quare fruſtra hic quæritur, vnde eductus eſt Filius, aut,vnde educta Filiatio, cum nulla ſit hic materia. Scio, Durandum 1.diſt.5.quæſt.2.& Henricum in Summa art.5.quæſt.3. aſſerere, Eſſentiam Diuinam reſpectu Filij, & Spiritus Sancti habere rationem quaſi materiæ: tum quia Eſſentia Diuina ſupponitur aliquo modo termino productionis, quod proprium videtur eſſe materiæ, quæ ſupponitur formæ,& compoſito: tum quia, Patres dicunt, Filium genitum eſse de ſubſtantia Patris: at præpoſitio (de) ſignificare videtur rationem cauſæ materialis. Sed multo melius dicunt alij, Eſſentiã Diuinã, ſi quã habet ſimilitudinem cum aliqua cauſa intrinſeca,habere potius ſimilitudinẽ cũ forma, quam cum materia. Nam ſupponi termino productionis non conuenit ſoli materiæ, ſed vtriq; principio productionis actiuo, tam (quod) quam (quo) Et ſecundum hanc potiſſimum rationem conuenit Eſſentiæ præcedere aliquo modo Filium,& Spiritum Sanctum: præſertim quia Eſsentia non producitur, vt apud nos forma,ſed communicatur Filio,& Spiritui Sancto: Ideo debet ſecundum rationem,& ordinem originis præcedere perſonam productam. Cum autem dicunt Patres, produci Filium,& Spi-

ritum

ritum Sanctum de ſubſtantia Patris; nihil aliud ſignificare volunt, quam, Diuinas Perſonas conſubſtantiales eſse, vt docet Ioan. Theologus in Concilio Florentino Seſs. 18. Conſubſtantialitas autem Perſonarum, vt ita dicam, non eſt materialis, ſed maximè formalis: eſt enim ratione eiuſdem integræ, & ſimpliciſſimæ Diuinæ Naturæ in omnibus Perſonis, quæ eſt puriſſimus actus. Nam, etiam apud nos, eos dicimus eſſe conſubſtantiales, qui habent eandem formam. Quare Eſſentia non determinatur per Relationes tãquam materia, ſed vt actus, & natura per terminũ ſubſtantialẽ, & perſonalẽ. Lege Notationẽ Primã.

Quarta Ratio probat, Si admitti debet Proceſſio in Deo, vnã tantum admitti poſſe, non duas. Hoc autem probant dupliciter. Primo, Ex termino Proceſſionum. Secundo. Ex virtute productiua, quę requiritur ad Proceſſionẽ. Ex termino Proceſſionis argumentantur hoc modo. Perſona, quæ procedit, vel eſt finita, vel infinita: ſi finita; ergo non eſt Deus, qui eſt infinitus: ſi infinita; ergo, ſicut non poſsunt eſse plures Dij, quia plura eſsent infinita; vt oſtendit S. Thom. p.p. q. 11. ita nec poterunt eſse plures Perſonæ. Reſpondeo. Quamlibet Perſonam eſse infinitam; quia eſt verè Deus. Ad Conſequentiam; Ergo non poſsũt eſse plurẹs perſonæ. Nego Cõſequentiã. Ad probationẽ. Dico, Non poſse eſse plures Deos, quia eſſent plura infinita; quod eſse nõ poteſt: poſsunt tamen eſse plures perſonæ; quia in omnibus illis Perſonis, eſt vnum, & idem infinitum, ſed cum diuerſa Relatione. In Prima Perſona eſt Eſsẽtia infinita cum Relatione Ingeniti: idem infinitum eſt in Secunda Perſona; ſed cũ Relatione Geniti; idem infinitum eſt in Tertia; ſed cum Relatione Spirati. Contra. Licet Eſsentia ſit vna coniuncta tribus Relationibus. Relationes tamen ſunt tres, & omnes infinitæ; ergo adhuc inſolutum eſt argumentum. Reſpõdeo. Relationes eſse quidem infinitas, ſed in ſuo genere tãtum, vt diximus libro ſecundo Not. 18. Ideo poſse eſse plures: at Eſsentia eſt infinita ſimpliciter; ideo non poteſt eſse niſi vna. Et quia, quod eſt infinitum ſimpliciter, cõtinet quæ ſunt infinita in quolibet genere; hinc fit vt Eſsẽtia, ſeorſim ſumpta à relationibus, quia eſt infinita ſimpliciter, cõtineat eminẽter omnẽ perfectionẽ Relationũ. Ex Virtute productiua argumentantur ſic. Proceſſio vnius Perſonæ eſt infinita ſimpliciter, ſicut eſt Perſona, quæ procedit; ergo adæquat virtutem producentem principij; licet ſit infini-

ta;

ta; ergo ad ſummum vna tantum productio admitti poteſt in Diuinis, vna proceſſio, non plures. Reſpondeo. Et conceſſo Antecedenti,& prima Conſequentia, nego ſecundam. Ratio eſt, quia ad duas proceſſiones in Deo non requiritur maior vis productiua,quam ad vnam tantum. Sicut etiam duæ Perſonæ procedentes non continent maiorem perfectionem, quam vna tantum, quia vna eſt tantum Eſsentia,& vna perfectio in vtraq; perſona. Cócluderet aliquid argumentum,ſi Maior vis productiua requireretur ad duas proceſſiones,& duas perſonas, quam ad vnam: ſed non eſt ita.Huius rei euidens exemplum habemus in tribus illis globulis,qui adhuc apparent in corde B.Claræ de Monte Falco: tanti enim ponderis eſt vnus, quanti tres ſimul; vt hoc exemplo,& cernamus oculis, & tangamus manibus, verum eſse,quod dicimus,tãtum perfectionis eſse in vna Perſona, quantum reperitur in omnibus tribus ſimul;& parem vim producendi, requiri ad vnam Perſonam, & ad vtramque ſimul. Contra. Per vnam proceſſionem non procedit in Diuinis quidquid poteſt procedere, ſed requiritur ſecũda; ergo ſignum eſt, primam illam eſse imperfectam, & aliquid ibi deeſse; alioquin non requireretur ſecunda. Et idem dicam de Secunda, deeſse illi perfectionem Primæ. Admitto Antecedens, & nego Conſequentiam, ob allatam rationem. Quia enim vna eſt numero Eſsentia in vtraque Perſona procedente, & vna perfectio, eandem perfectionem habent duæ ſimul, quam vna tantum. Quod autem per vnam proceſſionem non procedat quidquid poteſt procedere; id non oritur ex imperfectione proceſſionis;ſed huius rei cauſa eſt, quod Diuina Natura ob ſuam fœcunditatem communicare ſe poteſt duobus modis; per intellectum,& volũtatem: & hoc accepimus per fidem. Eadem nos docet, non eſse in Deo proceſſiones plures duabus: ſicut actiones immanentes, quibus Diuina Natura communicatur duæ ſunt tantum, & nõ plures. Lege Not.5.

Quinta Ratio probat,hanc productionem Diuinarum Perſonarum pugnare cum eſse Diuino. Quia omne productum ab alio eſt cauſatum,& dependens;ac proinde nõ neceſſarium ſimpliciter;ergo Filius,& Spiritus Sanctus, aut non ſunt producti, aut ſi ſunt producti,non ſunt Deus, qui eſt ens omnino neceſsarium. Negatur Antecedens. Non enim omne productum eſt cauſatum,& dependens, ſed illud tantum, quod accipit eſse di-

uer-

uerſum à producente,per actionem,vt dicũt,ad extra. At Filius, & Spiritus Sãctus,qui producuntur his emanationibus ad intra, accipiunt idem omnino eſse,quod habet Pater producens:nam Eſsentia in his tribus,eſt omninò eadem; Relationes verò non ſunt entitas diuerſa ab Eſsentia: quare ſicut eſse Patris non eſt dependens,& cauſatum;ita nec eſse Filij,& Spiritus Sãcti,quod eſt idem cum illo,erit dependens & cauſatum.

Epilogus Tertij Libri.

SAtisfecimus Philoſophorum argumentis, quibus fortaſsè ſatisfecit etiam Porphyrius,cum primum ad mẽtem redijt. Scribit enim S. Hieronimus in Chronico, ſenem hũc pertęſum exilij,quo mulctatus fuerat à Conſtantino,miſso ad eum inſigni volumine,anno imperij eius 23. reuocatum eſse. Non dicit S. Hieronymus,quo argumento ille liber conſcriptus eſset. Cæterum,cum affirmet,reuocatum propterea eſse ab exilio, quo ob impugnatam Religionem mulctatus fuerat, quod illi inſigne volumen obtulerit;ſimile verò valde eſt,volumen illud confutationem eorum continuiſse,quæ antea ſcripſerat. Huic conſentanea refert Eunapius Sardianus in vita Porphyrij: vbi ait, *ab eo in ſenectute non nulla ſcripta fuiſſe contraria ijs, quæ prius ediderat, quod ſententiam mutaſſet.* Mouit Porphyrium, vt arbitror, Cõſtantini clementia erga Arium,quem ante triennium, ſententiam mutantem, & homouſio ſubſcribentem exceperat perbenigne. Vt cumque eſt, tam in Ario, quam in Porphyrio Diuinum Oraculum impletum cernimus. *Pſalm.* 71. *Inimici eius terram lingent*; & alibi. *Iſai.* 60. *Venient ad te curui, qui humiliauerant te,& adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Cognoſcant te omnes ô Beata Trinitas, *nec euaneſcant in cogitationibus ſuis, ſed vt Deum glorificent in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Ad Rom. 1.

FINIS.

A II 171168

3597

D 58.

IX
D 19